BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
31 C
9

6 - 42 - 6 - 1

6 - 41 - f - 10

Digitized by Google

JACOBI SADOLETI
EPISTOLÆ FAMILIARES
IN TRES PARTES DISTRIBUTÆ.

JACOBI SADOLETI
S.R.E. CARDINALIS
EPISTOLÆ
QUOTQUOT EXTANT

PROPRIO NOMINE SCRIPTÆ

NUNC PRIMUM

DUPLO AUCTIORES

IN LUCEM EDITÆ.

PARS PRIMA.

BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EM

ROMÆ, CIƆIƆCCLX.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONIUS

PRÆSIDUM FACULTATE.

Dom. Probat. Rom. Schol. Piar.
ex P. Ildefonſo.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

FLAVIO CHISIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

DIACONO S. MARIÆ IN PORTICU

VINCENTIUS ALEXANDER CONSTANTIUS F.

SI quid eſt, CHISIE Cardinalis Ampliſſime, in quo eloquentiæ atque artium optimarum pretium & utilitas adprime eluceat; id certe in vetuſtiſſimo Epiſtolarum

 ſcri-

ſcribendarum uſu potiſſimum reperias ; quum ex eo tot ac tanta nobis proveniant commoda, ut nihil magis ad humanæ ſocietatis bonum pertinere videatur. Epiſtolarum enim beneficio, fere omnium quæ ubique etiam in ultimis orbis terræ regionibus geruntur, certiores efficimur, amicorum benevolentiam conſervamus, novas amicitias coglutinamus, veteres inſtauramus, eos qui cordi inprimis cari ſunt noſtro, ut parentes, liberi, fratres, cognati, amici, quamvis longo a nobis intervallo disjunctos adimus, amplectimur, alloquimur, conſolamur, ſalvere jubemus; ea quæ coram ne efferamus, prohibet metus aut pu-

pudor, epiſtola omni pene metu ac rubore ſoluta, non titubanter neque perplexe, ſed audacter diſerteque profundit: quæ illi mandata committas, alacriter excipit, diligenter cuſtodit, fideliter explicat. Quamobrem cogitanti mihi tam magnas epiſtolarum utilitates, mirum videri ſolet, cur in re, quæ communi hominum ſocietati eſt adeo neceſſaria, in qua omnes fere quotidie laborant, (quotus enim quiſque eſt, qui non cuiquam neceſſe habeat literas dare?) tam pauci non dicam admirabiles, ſed ſi verum fateri velimus, vix tolerabiles reperiantur. Ex quo enim urbs Roma domicilium quondam Imperii, eloquentiæ, atque omnium bo-

narum artium ſedes, ac totius miraculum Orbis, frequentibus barbararum nationum in Italiam incurſionibus ſæpe diruta atque vaſtata, non ſolum imperii majeſtatem dignitatemque, verum etiam elegantiorum diſciplinarum ſtudia, eloquentiæque laudem amiſit; ad finem uſque Seculi decimiquinti, aut nulli aut admodum pauci Epiſtolarum ſcriptores reperiuntur, quos æquo animo ferre legendo poſſimus. Et quamquam Seculo decimoquarto Dantes Aligherius, Joannes Boccatius, ac præſertim Franciſcus Petrarcha omnium primi conati ſint mortuam latine ſcribendi facultatem tamquam ab inferis excitare, ſucceſſu non infelici; multum

tum tamen & ipſis defuit: quod quidem facile eſſent conſequuti, niſi poſtea mutato conſilio, maluiſſent illam linguam, in qua nati erant, quamque una cum lacte nutricis ſuxerant, vocibus augere, figuris dicendi ornare, & ad perfectionem abſolutionemque perducere, quam in ea lingua ex aureis illis antiquorum ſcriptorum libris, quos bellorum calamitas reliquos fecerat, tamquam ab Orco revocanda operam perdere: in qua excolenda & naturali illius puritate nitoreque perſequendo bene cum illo agatur, qui cuipiam ex veteribus ſcriptoribus proximus, ſed longo tamen intervallo proximus acceſſerit. Latuerunt poſt hos latinæ literæ non paucos an-

nos ; ſed rurſus Nicolao V. Pont. Max. auſpice, a nobiliſſimis ingeniis excitatæ revixerunt. Etſi autem alii his atque alii ſucceſſerint uſque ad noſtram ætatem ; nec unquam Latio latinus aliquis ſcriptor egregius defuerit, eorum tamen hominum, qui ſcite eleganterque Epiſtolas ſcripſerint, magna ſemper paucitas extitit: quod profecto cuidam rei magnitudini difficultatique tribuendum. Multis enim & multigeneribus rerum atque artium cognitionibus neceſſe illi eſt, qui recte Epiſtolarum ſcribendarum laudem ſpe atque animo complectitur; ad quam aſſequendam multis eſt opus literis, opus ingenio, opus eloquentia, opus re-

rerum maximarum uſu, opus inprimis acerrimo exquiſitoque judicio. Verum enim vero poſt prima illa antiquitatis lumina vix ullus Epiſtolarum ſcriptor exſtitit, in quo hæc omnia ſuis abſoluta numeris reperiantur, præter JACOBUM SADOLETUM Cardinalem, quo neminem, in eo præſertim genere ſcribendi, ad eorum quos mirata eſt antiquitas laudem, propius acceſſiſſe, omnes fatentur. Sive enim ſermonis nitorem & nativam quamdam pulchritudinem, ſive rerum gravitatem ſpectes; quid SADOLETI Epiſtolis limatius, gravius, ac in omni genere perfectius optari poteſt? Quamquam autem Cardinalis iſte præſtantiſſimus, a

ſummis Pontificibus Leone X. Clemente VII. & Paulo III. temporibus difficillimis, ad graviſſima Sacerdotii & Imperii negotia continuo adhibitus, in magnis vitæ ac ſtudiorum impedimentis verſatus fuerit, adeo tamen ingenio ac labore profecit, ut dicendi facultate ex multorum ſeculorum ſcriptoribus quos cum illo conferas paucos invenias, quem præferas, plane dicas eſſe neminem. Succo enim ac ſanguine veteris Romani ſermonis imbutus, nitidus ſemper munduſque, & ubi res poſtulat ſplendidus ac magnificus, ita Ciceronem & ut quiſque Ciceroni proximus imitatur & ſequitur; ut non eadem quæ illi, ſed liber ſolutuſque incedens,
co-

eodem modo dicere ſtudeat ; ejuſque oratio non inepta ac putida verborum M. Tullii conquiſitione conſtructa , non jejuna , non inops , non fuco illita & tamquam intempeſtivis conſperſa floſculis , non in anguſtiis hærens , ſed ſuo innixa pondere , ſuo illuſtris nitore , ſplendida ac magnifica , tamquam proprio fonte fluere videatur . Itaque ad omnes tanti viri Epiſtolas (quas quidem invenire licuit) recenſendas evulgandaſque animum adjeci . Ac Epiſtolæ quidem Pontificum Romanorum nomine ſcriptæ , jam editæ a nobis ſunt . Nunc privatas omnes ſeu Familiares , cum veteres ſive jam antea editas , tum novas ſive nunc primum

col-

collectas (additis clarorum virorum ad SADOLETUM) juxta annorum ſeriem diſpoſitas, ac in tres partes diſtributas, in lucem emitto. Qua quidem ex re, ſi aliquid iis qui ingenuarum artium ſtudiis dediti ſunt commodi utilitatiſque redundabit, totum id quantumcumque eſt, acceptum Tibi referri debet, Princeps Eminentiſſime. Quum enim paucis abhinc menſibus Pontificias SADOLETI Epiſtolas Tibi obtuliſſem, dixiſſemque multas a me præterea fuiſſe collectas Familiares ejuſdem Cardinalis literas, quæ ſi una cum ceteris jamdiu editis evulgarentur, integram ac numeris omnibus abſolutam eligantiſſimarum Epiſtolarum ſeriem habe-

re-

remus; memini Te conſilii hujuſce mei rationem mirifice probaſſe, eaque in medium protuliſſe, quæ me operis ſuſcipiendi ſtudio jam flagrantem magis magiſque inflammarunt. Magnopere enim cum ad artium optimarum præſidium, tum ad Romanæ Sedis decus atque ornamentum pertinere dixiſti, ut diſertiſſimi Cardinalis Epiſtolæ cum ſermonis venuſtate atque elegantia, tum rerum inibi explicatarum varietate, copia, dignitate præſtantes, aſſidue verſentur in manibus, & in majorem aliquam proferantur hominum lucem; præſertim in tam corrupta apud multos ſtudiorum & ſcientiæ diſciplina. Suſcepi igitur cum mea ſponte in-

incitatus,tum graviſſima Tua au-
thoritate permotus, Cardinalis
Ampliſſime, omnium SADOLETI
Epiſtolarum edendarum curam.
Quas quidem nomini dicatas
Tuo ad Te potiſſimam mitto:
optimi ſcilicet Cardinalis viri-
que clariſſimi, atque hominis
diſertiſſimi plenas eloquentiæ,
plenas auctoritatis, plenas di-
gnitatis lucubrationes, ad Car-
dinalem itidem omni virtutum
genere cumulatiſſimum, nec
cultorem modo, ſed & patro-
num literarum munificentiſſi-
mum. Quas quidem virtutum
laudes ſi commemorem, dicam-
que Te ad ſummam generis no-
bilitatem, & ad communia am-
pliſſimæ nobiliſſimæque familiæ
ornamenta, & optimarum ſcien-
tiam

tiam diſciplinarum, & ſtudium de omnibus benemerendi adjunxiſſe, non equidem vereor, ne aſſentationi dare videar, quæ in omnium ore verſantur, ſed metuo, ne offendam modeſtiam Tuam. Itaque a prædicandis Tuis laudibus abſtinebo, præſertim quum eas ita egregiis factis illuſtres reddideris, ut prædicatione mea debilitari potius, quam ornari poſſe videantur. Reliquum igitur eſt, Ampliſſime Cardinalis, ut quoniam jam hoc tribuiſti humanitati Tuæ, ut nos in clientelam ac familiaritatem ſuſciperes, tribuas idem conſtantiæ, ut ſuſceptos tuearis ac foveas; noſtroſque in hiſce Epiſtolis edendis illuſtrandiſque labores æqui bonique conſulas.

Quod

Quod ut ita ſit vehementer opto, &, ſi aſſequor, videbor profecto cum eximiæ obſervantiæ erga Te meæ, tum ſtudiorum meorum fructum ampliſſimum atque uberrimum conſequutus.

VIN-

VINCENTIUS ALEXANDER CONSTANTIUS LECTORI S.

N*Oſtra hæc Familiarium* Sadoleti *Epiſtolarum collectio*, *eſt omnis diviſa in partes tres*. *Quarum prima ſcriptas exhibet literas ab anno* M. D. III. *ad annum* M. D. XXXI. *Secunda ab anno* M. D. XXXII. *ad an.* M. D. XXXVII. *Tertia demum ab an.* M. D. XXXVIII. *ad an.* M. D. XLVII. *quo diem ſuum obiit auctor præſtantiſſimus*. *Harum aliæ* veteres, *aliæ* novæ *dici poſſunt*. Veteres *eæ ſunt*, *quæ a Paulo Sadoleto* Jacobi *Cardinalis fratris patruelis filio Lugduni primum in vulgus editæ apud Sebaſtianum Gryphium an.* M. D. L. *ſæpius deinceps & ſeorſum* (a), *& cum*

(a) Ibid. an. 1554. Item Coloniæ apud Petrum Horſt ann. 1575. & apud Petrum Colinum ann. 1608. in octavo.

cum ceteris operibus (a) *fuerunt in lucem prolatæ, quas inter illas etiam vel latino vel etruſco ſermone conſcriptas Epiſtolas comprehendimus, quibus Veronenſes editionem auxerunt ſuam*. Novarum *autem Epiſtolarum nomine, quæ in eadem Veronenſi* SADOLETI *operum editione deſiderantur, afficiuntur univerſæ. Quarum in numero præter* XXXVIII. *in primo Miſcellaneorum tomo evulgatas* (b), *aliaſque bene multas nunc primum a nobis ſive editas ſive collectas, illæ etiam ſunt hominum ea ætate clariſſimorum atque eruditiſſimorum ad* SADOLETUM *ſcriptæ literæ, ex quibus magnum noſtræ huic collectioni acceſſit lumen atque ornamentum. Neque vero eas dum proferimus, non* SADOLETI *ipſius ſcripta proferre putamus; quum omnes eodem fere & guſtu & artifi-*

cio

(a) Moguntiæ typis Balthaſaris Lippii anno 1608. tom. I. in octavo. Item Veronæ apud Jo. Alb. Tumermanum an. 1737. & 1738. tomis quatuor in quarto.

(b) Pag. 511. & ſeqq.

tio elaboratæ ab ipſo SADOLETO *profectæ videantur. Quis enim Petri Bembi, Gregorii Corteſii, Benedicti Accolti, Reginaldi Poli Cardinalium, Chriſtophori itidem Longolii, Lazari Bonamici, Hieronymi Nigri, Aonii Palearii, aliorumque illius ætatis hominum elegantiſſimorum, divinum plane dicendi genus non magnopere ſuſpiciat atque admiretur? Et, ſi in paucis aliis, quorum extant ad* SADOLETUM *literæ, non eadem elucet Ciceroniana ſcribendi ratio; at hominum eloquentia, & quæ in* SADOLETO *mirabilis fuit ex antiquorum lectione doctrina atque eruditio apparet. Verum quum multa, tum de his, tum de univerſæ hujus editionis conſilio atque occaſione a nobis dicta ſint in Præfatione ad ipſius* SADOLETI *Epiſtolas Pontificias, quas ſuperioribus menſibus emiſimus in manus hominum; reſtat modo, ut adhibitam in hiſce Familiaribus ejuſdem literis evul-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

evulgandis methodum rationemque indicemus.

Eas igitur omnes juxta temporis quo ſcriptæ ſunt ordinem collocandas curavimus, ita tamen, ut interdum reſponſi potius ac rerum de quibus agitur, quam dici aut etiam menſis quo data Epiſtola eſt rationem habuiſſe videamur. Qua quidem in re etſi multum mihi & ſtudii & operæ ponendum fuerit, propterea quod nonnullis Epiſtolis aut nullus, aut mendoſus dies eſſet adſcriptus, nullo tamen labori parcendum exiſtimavi, ut in ordinem quamque ſuum tempuſque redigerem, præſertim quum & ad inſignem novarum *literarum acceſſionem, & ad inordinatam* veterum *congeriem, animum adjicerem. Ut enim eas ſecundum annorum ſeriem diſpoſitas qui legat, non multum hiſtoriam contextam eorum temporum deſiderabit, & fructus qui ex hiſtoria ipſa cognoſcenda hauriri poſſunt uberrimos, facilius percipiet;*

ita

ita ſi centum quinquaginta Epiſtolæ (tot enim fere novas SADOLETI *literas collegimus) ceteris in ſeptem quidem & decem libros digeſtis , ſed tumultuario quodam nulloque certo ordine diſpoſitis , fuiſſent adjectæ , informe omnino atque incompoſitum Epiſtolarum corpus confeciſſe videremur . Cujus quidem immutati ordinis cauſas , paullo fortaſſe uberius , quam par erat , perſequuti ſumus ; quod pleroſque fore non dubitamus , quibus conſilium hoc noſtrum minime probetur . Nam & rem plane moleſtam antiquo numero aſſuetis novum menti velut inſcribere futuram arbitrabuntur , & difficillimæ plenum , ut dicitur , opus aleæ viſum iri exiſtimabunt ,* veterum *loca Epiſtolarum priori numero citata adire , illis ſcilicet nova atque ignota numerorum ſerie prænotatis . Sed hi erunt fortaſſe , qui recentiorum hac in re conſilii & diligentiæ expertes , minimeque advertentes ,*

omnem

omnem poſſe incommodi metum auferri Indice, qui aliarum editionum ordinem repræſentet, nihil rectum, niſi quod cum antiquorum quorumdam editorum uſu conveniat, putabunt. Quamquam enim inordinatam illam, ut ita dicam, per libros diſpoſitionem, in Ciceronis, aliorumque illuſtrium virorum, puta Bembi, Longolii, Manutii, Riccii, Mureti Epiſtolis retentam videamus, haud facile tamen dictu eſt, quantas hic temporum neglectus hiſtoriæ ac rebus tenebras offundat. Sed de his jam ſatis. Neque enim de rebus in Epiſtolis SADOLETI *obviis, deque earum pretio utilitateque præfari aut libet, aut vacat: & ſi quid in iis colligendis deſcribendiſque ſuccurrit, quod viſum ſit ad ea, quæ dicuntur intelligenda neceſſarium, illud jam ſubjectis quibuſdam enarrationibus animadverſionibuſque confecimus; idque breviter, ne extra circumſcriptos omnibus*

nibus qui judicio valent, rerum dumtaxat de quibus agitur ſtrictim explicandarum cancellos, egrederemur. Nec velim tamen quiſquam aliquid ſe ex illis adnotationibus exquiſitum atque reconditum hauſturum eſſe arbitretur. Nam & in tranſcurſu illas ac veluti aliud agentes in ſumma editionis feſtinatione conſcripſimus, & labor noſter vel in divinarum literarum earumque interpretum lectione, vel in Chiſianæ Bibliothecæ Catalogo contexendo hucuſque verſatus, vix ullam recte eleganterque ſcribendi facultatem eſt conſequutus, & ea ſumus ætate atque ingenio, ut nihil non vulgatum, nihil non ubique obvium expoſitumque a nobis expectari poſſe videatur. Verum & de his hactenus. Illud ſilentio non prætereundum, fuiſſe ſcilicet a nobis ſingulis Epiſtolis rerum tractatarum capita præfixa, ac præter eum Indicem qui veterum Epiſtolarum ordinem denotet, tres alios

Indices adjectos, eorum nimirum ad quos Sadoletus *Epiſtolas ſcripſit; illorum præterea qui ad* Sadoletum *literas dederunt; rerum denique & nominum quæ tum in ipſis Epiſtolis, tum in noſtris ad illas animadverſionibus continentur. Tu interim, Lector Benevole, hæc ſi ita, uti ſperamus accipies, quoddam quaſi curventi calcar addetur, ad cetera quæ in animo habemus perficienda. Vale.*

SERIES EPISTOLARUM HUJUS PRIMÆ PARTIS

Epiſtolæ nunc primũ a nobis collectæ, quæ ſcilicet reliquis, vel ſeorſum, vel una cum ceteris Sadoleti operibus editis in hac editione acceſſerunt, hac nota † obſignantur.

ANNO M. D. III.

† EPISTOLA I. Jacobus Sadoletus Angelo Ubaldo. *Pag.* 1

† II. Petrus Bembus Jacobo Sadoleto. VI. *Calend. April.* 4

ANNO M. D. V.

† III. Idem eidem. *Calend. Octobris.* 8

ANNO M. D. VI.

† IV. Idem A. M. Franc. Attar Cipriano. *A dì 25. Febr.* 10

† V. Petr. Bembus Jacobo Sadoleto, III. *Nonas Maii.* 12

ANNO M. D. XII.

† VI Jacobus Sadoletus Actio Syncero Sanazario. 16

† VII. Idem Petro Bembo. 18

 AN-

ANNO M. D. XVII.

† VIII. Idem Nicolao Teupulo. v. *Calend. Junias*. *Pag.* 21

† IX. Idem Franciſco Victorio. *Prid. Nonas Septembris*. 26

ANNO M. D. XVIII.

† X. Gregorius Corteſius Jac. Sadoleto. 28

† XI. Jac. Sadoletus Gregorio Corteſio. *Prid. Kal. Majas*. 32

ANNO M. D. XIX.

† XII. Jac. Sadoleto Andreas Naugerius. 34

XIII. Jac. Sadoletus Chriſtophoro Longolio. VI. *Idus Septembr.* 41

XIV. Idem eidem. VII. *Idus Decembris*. 45

XV. Idem Gulielmo Budæo. VII. *Idus Decembris*. 49

ANNO M. D. XX.

XVI. Idem Chriſtophoro Longolio. IV. *Nonas Januar.* 52

XVII. Idem eidem. XI. *Cal. Februarii*. 53

XVIII. Chriſtophorus Longolius Jacobo Sadoleto. *Prid. Cal. Febr.* 56

XIX. Jacobus Sadoletus Chriſtophoro Longolio. VI. *Cal. Martii*. 72

† XX. Chriſtoph. Longolius Jac. Sadoleto. 76

† XXI. Idem eidem. *Pridie Idus Julias*. 77

XXII. Jacobus Sadoletus Chriſtophoro Longolio. III. *Cal. Jan.* 80

ANNO M. D. XXI.

† XXIII. Chriſtophorus Longolius Jacobo Sadoleto. III. *Cal. Sextil.* 83

† XXIV. Idem eidem. VII. *Cal. Decemb.* 85

† XXV.

Le pagine che qui mancano, si trovano in fine del volume, dopo la pag. 462.

CI. Idem Petro Bembo. VI. *Cal Junii. Pag.* 294
† CII. Pietro Bembo a M. Paolo Sadoleto. *A* XXVIII. *di Luglio.* 297
CIII. Jacobus Sadoletus Federico Fregoſio. *Idibus Auguſti.* 299
CIV. Idem Auguſtino Grimaldo. XV. *Calend. Octobris.* 302
CV. Idem Thomæ Cajetano Card. *Nonis Novembris.* 306
CVI. Idem Angelo Colotio. 309

ANNO M. D. XXX.

CVII. Idem Thomæ Cajetano Cardinali. 319
CVIII. Idem Federico Fregoſio. IX. *Calend. Februarii.* 321
CIX. Idem eidem. VI. *Cal. Febr.* 325
CX. Idem Andreæ Alciato. VIII. *Cal. Febr.* 328
CXI. Idem eidem. VIII. *Idid. Julii.* 331
CXII. Idem Deſ. Eraſmo Roterodamo. *Prid. Id. Februar.* 334
CXIII. Idem Pino Rivenſi Epiſcopo. *Calend. Martii.* 339
CXIV. Idem a M. Gio. Franc. Bini. *A* XXVIII. *di Giugno.* 342
CXV. Idem Alberto Pio. XV. *Cal. Aug.* 344
CXVI. Idem Ægidio Cardinali. 347
CXVII. Idem Petro Bembo. XI. *Cal. Aug.* 350
† CXVIII. Petrus Bembus Jacobo Sadoleto. XIV. *Calend. Februarii.* 354
CXIX. Jacobus Sadoletus Joan. Franc. Pico. IX. *Calend. Auguſti.* 360
CXX. Federicus Fregoſius Jac. Sadoleto. 363
CXXI. Jacobus Sadoletus Federico Fregoſio. *Prid. Idus Septembris.* 366
CXXII Idem Deſ. Eraſmo Roterodamo. XIV. *Calend. Octobris.* 371

† CXXIII.

† CXXIII. Jacobo Sadoleto Germanus Brixius. X. *Calend. Januarii.* *Pag.* 378

ANNO M. D. XXXI.

† CXXIV. Petrus Bembus Paulo Sadoleto. XIV. *Calend. Februarii.* 381
CXXV. Jacobus Sadoletus Herculi Gonzagæ. VI. *Calend. Februarii.* 383
CXXVI. Idem Joan. Salviato Card. 387
CXXVII. Idem eidem. VI. *Cal. Martias.* 391
CXXVIII. Idem Hieronymo Nigro. III. *Nonas Junii.* 395
CXXIX. Idem Petro Bembo. XI. *Cal. Julii.* 400
CXXX. Idem Joan. Nicolao. VII. *Cal. Junii.* 407
CXXXI. Idem Ant. Prato. *Prid. Non. Junii.* 314
CXXXII. Lazarus Bonamicus Jacobo Sadoleto. XIII. *Calend. Septembris.* 416
† CXXXIII. Jacobus Sadoletus Clementi VII. P. M. XXVIII. *Julii.* 418
† CXXXIV. Idem eidem. VIII. *Octobris.* 426
CXXXV. Idem Antonio Puccio Card. 417
CXXXVI. Idem Benedicto Accolto. 431
CXXXVII. Idem eidem. XVII. *Cal. Novem.* 434
CXXXVIII, Bened. Accoltus Card. Jac. Sadoleto. *Prid. Idus Decembr.* 458
CXXXIX. Jac. Sadoletus Matthæo Giberto. VI. *Cal. Novemb.* 446
CXL. Idem A M. Gio. Fr. Bini. *A* III. *Nov.* 449
CLI. Idem Auguſtino Trivultio Card. VI. *Idus Novembr.* 453
† CXLII. Idem Epiſcopo Conchæ. XXVIII. *Decembris.* 456
† CXLIII. Gulielmus Budæus Jac. Sadoleto. ANNO M. D. XIX. XVI. *Cal. Septemb.* 459
† CXLIV. Idem eidem. ANNO M. D. XX. VI. *Calendas Martias.* 463

APPROBATIO.

EPiſtolarum Familiarium Jacobi Sadoleti Cardinalis viri diſertiſſimi, (quas nunc primum duplo auctiores, in tres partes diſtributas, ad temporis rationem exactas & eruditiſſimis animadverſionibus illuſtratas vir clariſſimus Vincentius Alexander Conſtantius in lucem emittit) priorem partem juſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Auguſtini Richinii S. Palatii Apoſtolici Magiſtri attente perlegimus. Quumque nihil in ea, quod vel Catholicæ fidei, vel bonis adverſetur moribus invenerimus; quinimo & ſummum Auctoris eloquentiſſimi ſermonis nitorem, atque elegantiam, & Editoris eruditionem ac ſtylum præſtantiſſimum, laborem diligentiamque in ſuis adnotationibus maximam ſumus admirati. Quare eas, veluti optimarum artium ſtudioſis hominibus ſummopere profuturas dignas eſſe cenſemus, quæ typis impreſſæ, in hominum manus perveniant. Romæ Idibus Februarii M. DCC. LX.

Raymundus Alberici Presbyter Oratorii Romani.
Philippus Laurentius Dioniſi.

IM-

cum ceteris operibus (a) *fuerunt in lucem prolatæ, quas inter illas etiam vel latino vel etruſco ſermone conſcriptas Epiſtolas comprehendimus, quibus Veronenſes editionem auxerunt ſuam*. Novarum *autem Epiſtolarum nomine, quæ in eadem Veronenſi* SADOLETI *operum editione deſiderantur, afficiuntur univerſæ. Quarum in numero præter* XXXVIII. *in primo Miſcellaneorum tomo evulgatas* (b), *aliaſque bene multas nunc primum a nobis ſive editas ſive collectas, illæ etiam ſunt hominum ea ætate clariſſimorum atque eruditiſſimorum ad* SADOLETUM *ſcriptæ literæ, ex quibus magnum noſtræ huic collectioni acceſſit lumen atque ornamentum. Neque vero eas dum proferimus, non* SADOLETI *ipſius ſcripta proferre putamus; quum omnes eodem fere & guſtu & artificio*

(a) Moguntiæ typis Balthaſaris Lippii anno 1608. tom. I. in octavo. Item Veronæ apud Jo. Alb. Tumermanum an. 1737. & 1738. tomis quatuor in quarto.

(b) Pag. 511. & ſeqq.

cio elaboratæ ab ipſo SADOLETO *profectæ videantur. Quis enim Petri Bembi, Gregorii Corteſii, Benedicti Accolti, Reginaldi Poli Cardinalium, Chriſtophori itidem Longolii, Lazari Bonamici, Hieronymi Nigri, Aonii Palearii, aliorumque illius ætatis hominum elegantiſſimorum, divinum plane dicendi genus non magnopere ſuſpiciat atque admiretur? Et, ſi in paucis aliis, quorum extant ad* SADOLETUM *literæ, non eadem elucet Ciceroniana ſcribendi ratio; at hominum eloquentia, & quæ in* SADOLETO *mirabilis fuit ex antiquorum lectione doctrina atque eruditio apparet. Verum quum multa, tum de his, tum de univerſæ hujus editionis conſilio atque occaſione a nobis dicta ſint in Præfatione ad ipſius* SADOLETI *Epiſtolas Pontificias, quas ſuperioribus menſibus emiſimus in manus hominum; reſtat modo, ut adhibitam in hiſce Familiaribus ejuſdem literis evul-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

evulgandis methodum rationemque indicemus.

Eas igitur omnes juxta temporis quo ſcriptæ ſunt ordinem collocandas curavimus, ita tamen, ut interdum reſponſi potius ac rerum de quibus agitur, quam dici aut etiam menſis quo data Epiſtola eſt rationem habuiſſe videamur. Qua quidem in re etſi multum mihi & ſtudii & operæ ponendum fuerit, propterea quod nonnullis Epiſtolis aut nullus, aut mendoſus dies eſſet adſcriptus, nullo tamen labori parcendum exiſtimavi, ut in ordinem quamque ſuum tempuſque redigerem, præſertim quum & ad inſignem novarum *literarum acceſſionem, & ad inordinatam* veterum *congeriem, animum adjicerem. Ut enim eas ſecundum annorum ſeriem diſpoſitas qui legat, non multum hiſtoriam contextam eorum temporum deſiderabit, & fructus qui ex hiſtoria ipſa cognoſcenda hauriri poſſunt uberrimos, facilius percipiet;*

ita

ita ſi centum quinquaginta Epiſtolæ (*tot enim fere* novas SADOLETI *literas collegimus*) *ceteris in ſeptem quidem & decem libros digeſtis, ſed tumultuario quodam nulloque certo ordine diſpoſitis, fuiſſent adjectæ, informe omnino atque incompoſitum Epiſtolarum corpus confeciſſe videremur. Cujus quidem immutati ordinis cauſas, paullo fortaſſe uberius, quam par erat, perſequuti ſumus; quod pleroſque fore non dubitamus, quibus conſilium hoc noſtrum minime probetur. Nam & rem plane moleſtam antiquo numero aſſuetis novum menti velut inſcribere futuram arbitrabuntur, & difficillimæ plenum, ut dicitur, opus aleæ viſum iri exiſtimabunt,* veterum *loca Epiſtolarum priori numero citata adire, illis ſcilicet nova atque ignota numerorum ſerie prænotatis. Sed hi erunt fortaſſe, qui recentiorum hac in re conſilii & diligentiæ expertes, minimeque advertentes,*

omnem

omnem poſſe incommodi metum auferri Indice, qui aliarum editionum ordinem repræſentet, nihil rectum, niſi quod cum antiquorum quorumdam editorum uſu conveniat, putabunt. Quamquam enim inordinatam illam, ut ita dicam, per libros diſpoſitionem, in Ciceronis, aliorumque illuſtrium virorum, puta Bembi, Longolii, Manutii, Riccii, Mureti Epiſtolis retentam videamus, haud facile tamen dictu eſt, quantas hic temporum neglectus hiſtoriæ ac rebus tenebras offundat. Sed de his jam ſatis. Neque enim de rebus in Epiſtolis SADOLETI *obviis, deque earum pretio utilitateque præfari aut libet, aut vacat: & ſi quid in iis colligendis deſcribendiſque ſuccurrit, quod viſum ſit ad ea, quæ dicuntur intelligenda neceſſarium, illud jam ſubjectis quibuſdam enarrationibus animadverſionibuſque confecimus; idque breviter, ne extra circumſcriptos omnibus*

nibus qui judicio valent, rerum dumtaxat de quibus agitur ſtrictim explicandarum cancellos, egrederemur. Nec velim tamen quiſquam aliquid ſe ex illis adnotationibus exquiſitum atque reconditum hauſturum eſſe arbitretur. Nam & in tranſcurſu illas ac veluti aliud agentes in ſumma editionis feſtinatione conſcripſimus, & labor noſter vel in divinarum literarum earumque interpretum lectione, vel in Chiſianæ Bibliothecæ Catalogo contexendo hucuſque verſatus, vix ullam recte eleganterque ſcribendi facultatem eſt conſequutus, & ea ſumus ætate atque ingenio, ut nihil non vulgatum, nihil non ubique obvium expoſitumque a nobis expectari poſſe videatur. Verum & de his hactenus. Illud ſilentio non prætereundum, fuiſſe ſcilicet a nobis ſingulis Epiſtolis rerum tractatarum capita præfixa, ac præter eum Indicem qui veterum Epiſtolarum ordinem denotet, tres alios

 In-

Indices adjectos, eorum nimirum ad quos SADOLETUS *Epiſtolas ſcripſit; illorum præterea qui ad* SADOLETUM *literas dederunt; rerum denique & nominum quæ tum in ipſis Epiſtolis, tum in noſtris ad illas animadverſionibus continentur. Tu interim, Lector Benevole, hæc ſi ita, uti ſperamus accipies, quoddam quaſi curventi calcar addetur, ad cetera quæ in animo habemus perficienda. Vale.*

SE-

SERIES
EPISTOLARUM
HUJUS PRIMÆ PARTIS

Epiſtolæ nunc primū a nobis collectæ, quæ ſcilicet reliquis, vel ſeorſum, vel una cum ceteris Sadoleti operibus editis in hac editione acceſſerunt, hac nota † *obſignantur.*

ANNO M. D. III.

† EPISTOLA I. Jacobus Sadoletus Angelo Ubaldo. *Pag.* 1

† II. Petrus Bembus Jacobo Sadoleto. VI. *Calend. April.* 4

ANNO M. D. V.

† III. Idem eidem. *Calend. Octobris.* 8

ANNO M. D. VI.

† IV. Idem A. M. Franc. Attar Cipriano. *A dì* 25. *Febr.* 10

† V. Petr. Bembus Jacobo Sadoleto, III. *Nonas Maii.* 12

ANNO M. D. XII.

† VI Jacobus Sadoletus Actio Syncero Sanazario. 16

† VII. Idem Petro Bembo. 18

CI. Idem Petro Bembo. VI. *Cal Junii.* *Pag.* 294
† CII. Pietro Bembo a M. Paolo Sadoleto. *A* XXVIII. *di Luglio.* 297
CIII. Jacobus Sadoletus Federico Fregoſio. *Idibus Auguſti.* 299
CIV. Idem Auguſtino Grimaldo. XV. *Calend. Octobris.* 302
CV. Idem Thomæ Cajetano Card. *Nonis Novembris.* 306
CVI. Idem Angelo Colotio. 309

ANNO M. D. XXX.

CVII. Idem Thomæ Cajetano Cardinali. 319
CVIII. Idem Federico Fregoſio. IX. *Calend. Februarii.* 321
CIX. Idem eidem. VI. *Cal. Febr.* 325
CX. Idem Andreæ Alciato. VIII. *Cal. Febr.* 328
CXI. Idem eidem. VIII. *Idid. Julii.* 331
CXII. Idem Def. Eraſmo Roterodamo. *Prid. Id. Februar.* 334
CXIII. Idem Pino Rivenſi Epiſcopo. *Calend. Martii.* 339
CXIV. Idem a M. Gio. Franc. Bini. *A* XXVIII. *di Giugno.* 342
CXV. Idem Alberto Pio. XV. *Cal. Aug.* 344
CXVI. Idem Ægidio Cardinali. 347
CXVII. Idem Petro Bembo. XI. *Cal. Aug.* 350
† CXVIII. Petrus Bembus Jacobo Sadoleto. XIV. *Calend. Februarii.* 354
CXIX. Jacobus Sadoletus Joan. Franc. Pico. IX. *Calend. Auguſti.* 360
CXX. Federicus Fregoſius Jac. Sadoleto. 363
CXXI. Jacobus Sadoletus Federico Fregoſio. *Prid. Idus Septembris.* 366
CXXII Idem Def. Eraſmo Roterodamo. XIV. *Calend. Octobris.* 371
† CXXIII.

† CXXIII. Jacobo Sadoleto Germanus Brixius. X. *Calend. Januarii.* *Pag.* 378

ANNO M. D. XXXI.

† CXXIV. Petrus Bembus Paulo Sadoleto. XIV. *Calend. Februarii.* 381
CXXV. Jacobus Sadoletus Herculi Gonzagæ. VI. *Calend. Februarii.* 383
CXXVI. Idem Joan. Salviato Card. 387
CXXVII. Idem eidem. VI. *Cal. Martias.* 391
CXXVIII. Idem Hieronymo Nigro. III. *Nonas Junii.* 395
CXXIX. Idem Petro Bembo. XI. *Cal. Julii.* 400
CXXX. Idem Joan. Nicolao. VII. *Cal. Junii.* 407
CXXXI. Idem Ant. Prato. *Prid. Non. Junii.* 314
CXXXII. Lazarus Bonamicus Jacobo Sadoleto. XIII. *Calend. Septembris.* 416
† CXXXIII. Jacobus Sadoletus Clementi VII. P. M. XXVIII. *Julii.* 418
† CXXXIV. Idem eidem. VIII. *Octobris.* 426
CXXXV. Idem Antonio Puccio Card. 417
CXXXVI. Idem Benedicto Accolto. 431
CXXXVII. Idem eidem. XVII. *Cal. Novem.* 434
CXXXVIII, Bened. Accoltus Card. Jac. Sadoleto. *Prid. Idus Decembr.* 458
CXXXIX. Jac. Sadoletus Matthæo Giberto. VI. *Cal. Novemb.* 446
CXL. Idem A M. Gio. Fr. Bini. *A* III. *Nov.* 449
CLI. Idem Auguſtino Trivultio Card. VI. *Idus Novembr.* 453
† CXLII. Idem Epiſcopo Conchæ. XXVIII. *Decembris.* 456
† CXLIII. Gulielmus Budæus Jac. Sadoleto. ANNO M. D. XIX. XVI. *Cal. Septemb.* 459
† CXLIV. Idem eidem. ANNO M. D. XX. VI. *Calendas Martias.* 463

APPROBATIO.

Epiſtolarum Familiarium Jacobi Sadoleti Cardinalis viri diſertiſſimi, (quas nunc primum duplo auctiores, in tres partes diſtributas, ad temporis rationem exactas & eruditiſſimis animadverſionibus illuſtratas vir clariſſimus Vincentius Alexander Conſtantius in lucem emittit) priorem partem juſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Auguſtini Richinii S. Palatii Apoſtolici Magiſtri attente perlegimus. Quumque nihil in ea, quod vel Catholicæ fidei, vel bonis adverſetur moribus invenerimus; quinimo & ſummum Auctoris eloquentiſſimi ſermonis nitorem, atque elegantiam, & Editoris eruditionem ac ſtylum præſtantiſſimum, laborem diligentiamque in ſuis adnotationibus maximam ſumus admirati. Quare eas, veluti optimarum artium ſtudioſis hominibus ſummopere profuturas dignas eſſe cenſemus, quæ typis impreſſæ, in hominum manus perveniant. Romæ Idibus Februarii M. DCC. LX.

Raymundus Alberici Presbyter Oratorii Romani.
Philippus Laurentius Dioniſi.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D.G.*Archiep. Nicomed. Viceſg.*

IMPRIMATUR,

Fr.Thomas Auguſtinus Richinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

JA-

JACOBI SADOLETI
S. R. E. CARDINALIS
EPISTOLÆ FAMILIARES

ANNO M. D. III.

EPISTOLA I. (a)

JACOBUS SADOLETUS
Angelo Ubaldo S. P. D.

Poema cui tit. Curtius *ejus nomini inſcribit.*

QUANTI faciam te, etſi antea multis de rebus cognoſſe te arbitror, tamen hoc argumento etiam perſpecta erit erga te voluntas mea. Nam cum propter diutinas occupationes longum jam tempus mutum mihi a litteris præteriret; idque, quod quandoque daretur, in ſtudiis gravioribus conſumere eſſem meditatus, tibi

(a) Præfixa hæc Epiſtola legitur poemati ejuſdem Sadoleti *Curtius* inſcripto, editaque eſt a Veneta Academia in li-

tamen aliquod a me hujuſmodi quaſi benevolentiæ teſtimonium, hanc operam negare non potui, quamquam genere ſcribendi pene a me alieno: ſcis enim, quod me raro ad Poetas dare ſolitus ſim. Sed ſi amicitiæ noſtræ familiariter excipere, tuæ tamen dignitati non debere hoc munus non licebat. Cui enim tua & virtus & auctoritas non afferat recuſandi verecundiam? M. itaque Curtium nuper abſolutum tuo nomini dedicavi; conſilio etiam inito ſi inciderit, ut commode poſſimus clariſſimum quodque ex veteri memoria factum, aut militiæ aut domi, hexametro carmine deinceps perſequi. Sed hoc poſtea: Curtium quidem nunc meum, ut olim Lucilius, quominus legatur a mediocriter peritis non impedio; doctorum judicia vereor, ac ne in ipſo limine offendam, pertimeſco. Opponis enim tu mihi ſummam doctrinam, ſingularemque ingenii & provinciæ gravitatem maximi viri Franciſci Soderini Cardinalis (*a*). Quoniam au-

---

in libro cui titulus: „ Duo tum graviſſima tum ſepidiſſima poemata Heroica Illuſtriſſimi Jacobi Sadoleti „ & Franciſci Sfondrati, quorum alterum inſcribitur „ *Curtius*, alterum vero de Raptu Helenæ. In Academia Veneta M. D. LIX. „ Porro etſi in hac epiſtola deſit annus, quo ſcripta eſt, conſtat tamen datam eſſe anno 1503. quo Sadoletus poema illud confecerat. Vide notas ad ejus vitam pag. v.

(a) Hic Florentiæ illuſtri & nobili genere natus an. 1453. & in omni literarum ſcientia egregie ac liberaliter inſtitutus, Volaterranus Epiſcopus a Sixto IV. Pont. Max. renunciatus eſt. Poſt obitas pro Florentinorum Republica tum Romæ tum in Gallia legationes, eum Alexander VI. inter Canonicos primò Baſilicæ Vaticanæ, poſtea inter Purpuratos Patres cooptavit. De varia

autem ad benevolum nobis arbitrum me vocas, non mihi fugiendum compromiſſum eſt, ſed cum tantum tibi debeam, quantum perdifficile ſit uno nomine expedire; advocabo mihi æquitatem probatiſſimi hominis Matthæi Ubaldi patris tui. Is enim, ut juris civilis & Pontificii ſcientia clarus, XIIvir cauſis judicandis, atque in eo munere præſtantis ſcientiæ eſt: ita profecto ex æquo & bono decernet, magni æris alieni, quod mihi cum tota familia veſtra contractum eſt, non fugitivum me debitorem videri. Vale.

varia ejuſdem fortuna ſub Pontificibus Leone X. Hadriano VI. & Clemente VII. conſule ejus vitam apud Ciaccon. tom. III. col. 203. Extremum diem clauſit Romæ an. 1524. ætatis ſuæ ſeptuageſimo die 17. Maii, quum eſſet Epiſcopus Oſtienſis, & Sacri Collegii Decanus.

EPISTOLA II. (*a*)

PETRUS BEMBUS (*b*) J. SADOLETO S. *Romam.*

Laudat primum ejus litteras ; tum illum ex gravi morbo convaluiſſe gaudet ; ac ſuum erga eumdem amorem teſtatur. Phædri demum, Jacobi Galli, Vincentii Quirini, Angeli Gabrielis, ac Valerii Phyſici communium amicorum mentionem facit.

EGO vero perlectis literis tuis (*c*), quibus tu deſiderium, vel potius aviditatem meam legendi jam aliquid abs te, cumulate atque amantiſſime leniiſti, etiam effigiem amoris erga me tui, omnibus prorſus officii, benevolentiæ, humanitatis, pietatis luminibus expreſſam, ac perpolitam, in illis agnoſcens, non ſum admiratus. Nihil enim mihi ma-

(a) Ex Epiſtolis Bembi familiaribus lib. III. ep. 21.

(b) De Petro Bembo vide ejus vitam a Joanne Caſa Archiepiſcopo Beneventano latine conſcriptam, & ab Apoſtolo Zeno notis auctam ac illuſtratam. Scripſit Bembus latino idiomate *Hiſt. Rerum Venetar. lib.* XII. *Epiſtolarium Leonis* X. *nomine ſcriptarum lib.* XVI. *&* *familiarum lib.* VI. *De Guido Ubaldo Feretrio, deque Eliſabetha Gonzagia Urbini Ducibus lib. De Virgilii culice & Terentii fabulis lib. & Epiſtolam de imitatione ad Joannem Picum Mirandulanum, de Æthna, & Carmina.* Italicè autem: *Le Proſe*, ovvero *Della volgar lingua libri trè. Gli Aſolani, le Rime, e le Lettere volgari.* Omnia hæc Bembi opera cum latina, tum Italica in quatuor Tomos in fol. diſtributa, Venetiis prodiere an. 1729. apud Franciſcum Hertzhauſer.

(c) Sadoleti literæ, quibus Bembus in his & duabus proxime ſequentibus reſpondet, minime reperiuntur.

magis exploratum eſt, quam me abs te amari, vel antiquam illam noſtram conſuetudinem, ac pene convictum, cum Ferrariæ Leonicenum audiebamus (a), vel poſtremo cum Romam veniſſem recens, tuum in me, atque meis ornandis ſtudium diligentiamque repetenti, quod quidem ipſum ſedulo facio. Itaque ſi mihi unquam ejus rei occaſio dabitur (quæ profecto dabitur) efficiam ſane, ut quoniam quanti ego ſemper fecerim perſpicaciſſimum illud ingenii tui acumen, ad omnes bonas artes capeſſendas, quibus te a puero tradidiſti, cum per ſeſe, tum uſu, atque exercitatione incitatiſſimum, conjunctum cum ſuaviſſimis moribus, admirabilique lenitate vitæ, ipſe perſpicere potuiſti, etiam quantum tibi debere me exiſtimem aliquando cognoſcas, vel potius ut omnes homines utrunque, & te mihi eſſe chariſſimum propter egregias virtutes tuas, & propter ea, quæ dixi officia, me tibi eſſe devinctiſſimum intelligant. Nunc venio ad reliquas partes epiſtolæ tuæ. De valetudine tua gratulor convaluiſſe te, diuturna præſertim, ac gravi: ſic enim exiſtimabam conjectura utens, te niſi tibi recte eſſet, tam bellam epiſtolam conſcribere non potuiſſe. Nam tu quidem nobis, præter diſcrimen, in quod te ais, vexatum diebus circiter nona-

 ginta

(b) „ Erant tum (inquit Florebellus in Sadoleti vi-
„ ta) in ea urbe omnium optimarum artium magiſtri
„ ac doctores egregii. In his Nicolaus Leonicenus, qui
„ non ſcientia ſolum medicæ artis excelluit; ſed Phi-
„ loſopiam etiam magna cum laude profeſſus eſt. Eum
„ Jacobus pene etiam puer Ariſtotelis libros de mori-
„ bus publice interpretantem audiit. „

ginta, pene ad extremum perductum, nihil ſcribis. Cave autem exiſtimes quenquam te habere, cui tua ſalus charior ſit, quam mihi: quibus æque chara ſit, fortaſſe habes non multos, atque illos quidem, vel fratres, vel parentes tuos: cæteros omnes ſi a me in te amando plane vinci ſuperarique dixero, fortaſſe non mentiar. Quod epiſtolam meam miſſam ad Phædrum laudas (*a*), teque ipſum inopem nuncupas ab argumentis epiſtolarum, facis tu quidem in altero amoris abundantia, n altero humanitatis. Sed omnino neque clam me eſt, quam tu abundans, quam fluens, iquam elegans in ſcribendo ſis: neque ſi quid interdum nos fortaſſe non inepte ſcribimus, id qualecumque eſt (ſi modo eſt aliquid) ignorare te exiſtimo. Phædrus autem ad meas ad ſe literas, adhuc nihil mihi reſcripſit, quod ſi propterea differt, quia illi potior cura videatur eſſe, Plautinas nobis fabulas, quas ab illo iiſdem literis petebamus (*b*), ex perantiquo illo ſuo, quem vidi, libro deſcribendi, & corrigendi, equidem minus laboro. Sed illi volo te meis verbis dicere, in eo nihil agat ſuo incommodo, nihil feſtinet: ſciſſe

(a) Extat hæc Bembi Epiſtola ad Phædram Volaterranum Famil. lib. III. num. 19. ſcripta Venetiis XVII. Cal. Octobris anni M. D. II.

(b) Ita autem in iiſdem literis ad Phædrum ſcripſerat Bembus. „ Nos jam abs te Plautinum librum ex„ pectamus, in quo quidem ſi tibi videbitur foenera„ ri, tanquam *χρύσεα ἀντὶ χαλκείων*, illud mi Phæ„ dra cogitabis, decere te plura dare in literis, quam „ exigere, vel Romanum hominem, vel rei literariæ „ plane principem „.

ſciſſe me, cum peterem, ab homine occupatiſſimo petere rem multæ curæ, multique temporis. Sin autem alia cauſa eſt, tu mihi velim perſcribas. Et quoniam ſtatui æſtatem hanc omnem in Herculis mei Strotiano conficere, quo veni, ut ſolitudine, quæ me interdum ſummopere delectat, ſolutiore animo fruerer, omneque hoc communibus noſtris ſtudiis tempus impenderem, te rogo, ut quotiens literas domum mittes ad tuos, des etiam illis ad me ſemper aliquid perferendum literarum: ſic enim mihi rectius perferetur: nam ab illis minus longe abſum, quam a meis. Quod ſi feceris, profecto nunquam mihi unas literas miſeris, quin tibi alteras remittam. Jacobum Gallum plurima ſalute imperties meis verbis, eique dices, ut quam mihi fidem præſenti dederit, quæ ipſe carmina ex Aſulanis meis (*a*) deſcripſerat apud ſe retinendi, eam præſtet etiam abſenti: valde enim immutata ſunt poſt id tempus, quo illi eos libros dedimus, te quidem internuncio per-

---

(a) Prodiit primum hoc opus Venetiis in octavo, ùt dicitur, magno, *nelle caſe d'Aldo Romano*, *nell' anno* M. D. V. *del meſe di Marzo*; ubi notandum, quod in aliquibus tantum hujus editionis exemplaribus, non in omnibus legitur Epiſtola auctoris nuncupatoria ad Lucretiam Borgiam Ferrariæ Ducis uxorem. Huic autem primæ *Aſulanorum* editioni ſimiles omnimo ſunt reliquæ, nimirum Veneta Aldi an. 1515. Florentina Philip Juntæ ejuſd. anni, Veneta Alex. Paganini ejuſd. anni Bononienſis Franc. de Bononia an. 1516. ac tandem Veneta Nicol. Zopini an. 1522. donec auctor ſuum opus iterum emendavit, ac in lucem edidit Venet. apud Joan. Ant. & Fratres de Sabio an. 1530. in quarto, atque juxta hujus editionis exemplar, reliquæ deinceps ſunt impreſſæ.

perlegendos. Quam ob rem major tibi etiam adhibenda cura eſt, ne exeant (a), qui mihi pro illo ſpopondiſti. Vincentio Quirino, & Angelo Gabrieli, & Valerio phyſico mittam tuarum literarum exemplum, quibus quidem ipſis tarde ad nos (ut vides) propter noſtrum diſceſſum perlatis, tarde reſpondimus. Cura, ut valeas. VI. Cal. Apr. MDIII. E Strotiano.

ANNO M. D. V.

EPISTOLA III. (b)

IDEM JAC. SADOLETO. *Romam.*

Jacobum Gallum mortem obiiſſe dolet, cujus in funere eligiolam a ſe conſcriptam ei mittit. Ejus de ſuis tribus Aſulanarum quæſtionum ſermone vernaculo conſcriptis libris amplum judicium, gratiſſimum ſibi accidiſſe; Valeriumque Phyſicum honorifice de eo ſentire ac loqui teſtatur.

PRimum quidem Jacobum Gallum mortem obiiſſe, quod ſcribis, doleo, probum hominem, & doctorum virorum cupidiſſimum, & amantiſſimum tui, & cui ego multum debebam. Itaque tuæ mihi litteræ lacrymas excuſſerunt, neque ſolum lacrymas, ſed elegiolam etiam. Non enim potui continere me, ne quid mandarem carminibus in in tanto mœrore. Quam quidem ad te mitto. Tu

(a) Nondum enim, ut patet ex iis, quæ paullo ſupra adnotavimus erant editi.

(b) Ex Epiſtolis Bembi familiaribus lib. III. ep. 22.

Tu ſi videbitur, & quibus videbitur oſtendes. Deinde tuum de tribus meis Aſulanarum quæſtionum ſermone vernaculo conſcriptis libris (*a*) judicium mihi valde gratum eſt, modo ne tu ad indulgentiam pronior fueris amore, qui multum ſæpe fallit, quo me ſemper es proſecutus. Sed omnino Sadolete, ſive tu amanter, hoc eſt indulgenter noſtra judicas, ſive, ut alia ſoles, diligenter, tua iſta de illis libris ſententiæ ſignificatio mihi gratiſſima eſt. Poſtremo autem quod petiiſti, ut memoriam veſtræ conjunctionis apud Valerium phyſicum revocarem, ea re nihil opus fuit: ipſe enim valde te diligit, honorificeque de te & ſentit, & loquitur. Quærit etiam crebro de me, ecquid abs te habeam literarum: mirifice enim delectatur tuis literis. Ab eo igitur tibi multam ſalutem. Reſcripſi epiſtolæ tuæ ſeptimo Cal. Octobris datæ (*b*). Sed heus tu, cur mihi adhuc eos tuos verſiculos non miſiſti, quos pollicitus es, te miſſurum? An quia ſponſorem ejus rei non habeo, nihil penſi tuam fidem facis? Vide quid agas. Nam ſi te in jus vocavero, duplum petam. Domus te tota noſtra ſalutat; in primiſque Bembus pater, cui quidem valde es in oculis. Vale Cal. Octobris. M. D. V. Venetiis.

(a) Jam enim eos libros Sadoletus legerat, quod menſe martio hujus anni 1505. fuerint primum evulgati.

(b) Hanc Sadoleti ad Bembum Epiſtolam nullibi reperies.

ANNO M. D. VI.

EPISTOLA IV. (a)

A. M. FRANCESCO ATTAR CIPRIANO.

Primum de Jacobi Galli obitu dolet, poſtea de ſtudiis litterarum, earumque pretio & utilitate agit; demum rogat, ut Græcos libros ac præſertim Philoſophicos conquirat, ac ſibi mittat.

LA prima lettera voſtra, la quale alcuni meſi ſono ricevei, non potè da me eſſer con quella allegrezza accettata, che a meſſaggera d' un mio cariſſimo amico ſi conviene; per incorrere quaſi nella morte del mio meſſer Jacopo Gallo, da me tanto amato, quanto voi ſapevate. La cui morte a me grave, e dannoſa, & per le ſperanze, le quali con lui inſieme hò perdute & ſmarrite, & molto più per eſſer privato di ſoaviſſima, & ſantiſſima amicitia, in tale ſtato mi ha laſciato che dall' hora in qua non pure una volta mi ſon potuto rallegrare. Avegnacchè non poca giunta fù al mio dolore la perdita del noſtro meſſer Antonio uomo ſantiſſimo & ornatiſſimo di virtù, & di coſtumi; ma l'animo mio occupato già per la prima & grave malatia, non potè nella nuova ferita dare molto loco al nuovo dolore. In tanto male, a me piace intendere l'officio voſtro di vero, & non finto amico da voi eſſere ſtato nel pericolo, & nelle coſe

(a) Ex tom. 2. operum edit. Veronen. pag. 232.

le coſe adverſe uſurpato: onde ſe io già vi amai, come in vero vi amai, moſſo dalla voſtra gentil natura, & animo nobile, quale in voi mi pareva conoſcere, ora per operatione certa di virtù, & fede, & verſo l'amico ſollecita lealtà, aſſai più vi amo; & così eſtimate l'animo mio verſo voi eſſer diſpoſto, come verſo ſincero, & ſingolare amico. Et non potrei ſcrivervi quanto gratamente habbia letto quella parte della lettera voſtra, nella quale mi avviſate dell'inclinatione, & deliberatione voſtra d'attendere a Lojca, & Filoſofia. Nulla coſa è più degna, dove l'opera e'l tempo noſtro paſſiamo, che gli ſtudi delle lettere, & maſſimamente quelli, che ci fanno dell'eſſer noſtro, & delle parti in noi alte & divine accorti. Oltre a ciò neſſuno è più tranquillo porto, nullo rifugio è più ſicuro ne' pericoli, & tumulti di tempeſtoſa fortuna, che le lettere: le quali non ſolo nelle coſe liete honorano, ma nelle avverſe ſalvano; ne ſolamente di fama & riputatione, ma ancora di ſalute ſono donatrici. Per tanto vi conforto a perſeverare in tale laudevole, & generoſo concetto, in cui mi rendo certo per eſſer conſapevol del voſtro pronto ingegno, farete non mediocre frutto. Ora acciocchè a quello, che voi primieramente nella lettera voſtra domandate, ultimamente riſponda, ſon ſano col corpo, coll'animo direi ammalato, ſe non che i libri miei diligentiſſimi & peritiſſimi medici dirlo mi vietano. Pur più preſto in più baſſa, che in più eminente fortuna dell'uſato mi dimoro. Solo a queſto penſo, in che modo io poſſa, quanto per difetto d'altri di me ſteſſo perdo; tanto per mia fatica ri-

cuperare. Gli amici ſtanno tutti bene, & vi amano, ſpecialmente Letrario, e'l Beroaldo, li quali ſono ambidui per parte voſtra ſalutati, eſſi non ſolo vi riſalutano, ma ancora della volontà voſtra verſo di loro vi ringratiano. Io vi priego, ſe mai alcun libro greco, maſſimamente in Filoſofia vi capita nelle mani, quando ſenza voſtro incommodo far ſi poſſa, vi vogliate ricordar di me. Non altro. Dio i voſtri deſideri arrechi a proſperevol fine. In Roma a dì XXV. di Febraro M.D.VI.

Jacopo Sadoleto voſtro.

EPISTOLA V. (a)

PET. BEMBUS JAC. SADOLETO. *Romam.*

Reſpondet ejus excuſationi de intermiſſione literarum. Mittit Epitaphium quod petierat in Galli tumulum. Rogat ut Camillo Portio gratias agat, quod in funebri (fortaſſe ejuſdem Galli) laudatione, multa cum laude ac dignitate publice de ſe verba fecerit; ejuſque carmen de Laocoonte pluribus verbis celebrat.

ACcipio excuſationem tuam de intermiſſione literarum, non tam quidem neceſſariam, quam & prudenter amiciſſimeque ſcriptam, & mihi magnopere jucundam, & gratam. Nam neque ego eram neſcius, in vera, & recte ab initio conſtituta, & plurimis, maximiſque officiis confirmata, ac jam inveterata benevolentia (qualem eſſe noſtram fere poſſu-

(a) Ex Epp. Familiaribus Bembi lib. III. ep. 23.

poſſumus dicere) non multum requiri, quantum quiſque calamo, & papyro utatur: neque tu is eras a quo creberrimæ literarum miſſiones expectarentur: cum quia ipſe ocio non abundas, quem quidem ſcio omne tuum tempus in optimarum artium ſtudiis inſumere, etiam non ſine incommodo valetudinis tuæ; tum propterea quod ii, qui te amant, propter morum tuorum elegantiam, præſtantiſſimaſque virtutes atque doctrinam, ſatis uberem ſe ex te capere fructum debent exiſtimare, abs te ſi amantur, eoſque tu item grata atque mutua animi charitate proſequare. Itaque tibi quidem neceſſe non multum fuit plurimas te afferre cauſas, cur ad me non ſæpiſſime ſcripſeris. Sed quoniam dum eas colligis, de tuo erga me amore, omnibus reliquis officiorum generibus culto a te ſemper diligentiſſime, multa, & graviter, & amanter diſputas, non modo non moleſte tuli, in quo te nihil reprehendebam ipſe, tamen excuſari abs te factum tuum, ſed plane etiam ea commemoratione tuæ in nos voluntatis tam alte abs te, tamque religioſe repetita, vehementer ſum delectatus. Nam cum in omnium hominum, præſertimque literatorum benevolentia libentiſſime conquieſco; tum certe in tua (ita me dii ament) ſic vivo, ut quaſi aere ad reſpirandum, ſi ejus memoria quotidie utar. Quare ſcito, illa ipſa parte tuarum literarum (dicendum eſt enim ſæpius) nihil mihi eſſe potuiſſe jucundius. Nam quod attinet ad eam partem, in qua me miris laudibus ad cœlum fers, video te tanquam Zeuſim, qui in depingenda Crotoniatis Helena, multarum virginum pulchritudinem in illam ſuam ima-

imaginem tranſtulit, ſic innumeras virtutes, quas fortaſſe ſingulas in aliquibus agnoſcis viris undecumque mutuatum, mihi uni tribuiſſe, ut me ornares. Qua in re utinam vel te, tuus erga me amor ſummus non fefelliſſet, vel ceteri omnes ita ſe decipi facile ſinerent, ut tu es deceptus: in altero nihil tibi ſuſtinendum eſſet, in altero nihil mihi. Nunc autem tibi quidem vel judicii, vel etiam conſtantiæ tuæ cauſa, ut me perpetuo exornes, videndum curandumque eſt: mihi vero dignitatis meæ, ut facere id poſſis, elaborandum. Utrum præſtare majus, difficiliuſque ſit, nemo facile dixerit, ego tamen, quod erit facillimum, ſi quiſpiam tuo teſtimonio deceptus me appellabit, ad te rejiciam: tu, ſi tibi abjurare ſatius non fuerit, pro me dependes. De Galli tumulo quod ais, hui, an non tibi ſatis ineptiarum in elegiola illa noſtra, qui me etiam ad epitaphium vocas? Sed omnino tibi morem geſſimus. Itaque rem hexametris quinque confeci, qui ſi tibi fortaſſe plures etiam quam opus erit, videbuntur, reſecare eos poteris nullo negocio, duobus rejectis prioribus: ſi mali, pagellam concerpito. Camillo Portio, quem de me ſcribis publice verba in illa ſua funebri laudatione feciſſe, multa cum mea laude ac dignitate, quibus verbis gratias agam non reperio: ita me illi plus debere ſentio, quam quod declarare ſermone ullo poſſim. Tu qui omnem dicendi artem mirabiliter tenes, promitto, ſi me amas, de tua illa uberrima, ſuaviſſimaque facundia, aliquod genus verborum ad hanc rem idoneum, eique pro me gratias, quam potes maximas, & quam ampliſſi-

pliſſimas agito. Quod ſi etiam ejus orationis exemplum ad nos miſeris, tibi omnia ſecundum illum debebo. De Laocoonte legi centies carmen tuum (a). O te poetam mirificum, ita non modo ejus ſigni nobis quaſi aliud ſimulachrum effinxiſti, ſed plane jam ſignum ipſum prorſus in animo inſculpſiſti meo! Quid quæris? Equidem cum Beroaldo valde ſentio: non jam enim Romam cogito, ut Laocoontem videam, cum habeam tuos verſus. Sed heus tu, parumne tibi videbaris effeciſſe, qui oratoriam nobis omnibus, quaſi de manu eripueris, teque ejus diſciplinæ principem feceris, niſi etiam poeticen eripias, præ teque unum feras? O profundam ingluviem gloriæ! Sed mehercules, omiſſis jocis, non poſſum dicere, quantum me illa carmina delectarint. Nolo me tibi aſſentari exiſtimes, ſi utar verbis tuis: ſed profecto ſic eſt: eo te carmine ſpem, atque expectationem eorum, qui te in oculis ferunt, viciſſe, longeque reliquiſſe puto; etiam quemadmodum a Cicerone Græcos homines, ſcriptis commentariolis ejus conſulatus, ſic poetas reliquos a ſcribendo eo de ſigno deterritos, iſtis hexametris tuis. Salutavi tuis verbis quos juſſiſti. Tu item & ipſorum, & meis ſalutem dices eis omnibus, quos me velle atque illos ſcis, tibique inprimis. Quamquam quidem & tibi, & Cetrario

(a) Hoc Sadoleti de Laocoonte carmen habetur to.2. *carm. illuſtr. poetar.* quæ Ioan. Mathæus Toſcanus recenſuit pag.113. edit. Pariſien. Item *in delitiis Italor. poetar.* collectore Ranutio Ghero par.2. pag.582. & *Carm. illuſtr. Poetar. Italor.* edit. Florentiæ an.1721. tom.8. pag.228. Idem reliquis Sadoleti operibus editis Moguntiæ an.1607. & Veronæ 1738. adnectitur.

rio etiam inſonuiſſe aures debuerunt, ita uterque nuper ſingulis fere horis in ſermone Phriſii & noſtro: qui plane Phriſius, quando eſſet ad vos venturus, cum ob eo diſceſſi, ſatis exploratum non habebat, ſed ſperabat propediem. Ego vero ſerius ad tuas literas reſpondi (*a*), quoniam in Gallia Ciſalpina abfui viginti totos dies. Vale. Tertio Nonas Majas MDVI. Venetiis.

ANNO M. D. XII.

EPISTOLA VI. (*b*)

JACOBUS SADOLETUS

Actio Sincero Sannazaro (*c*).

Orationem ab Ægidio Viterbienſi Ord. S. Auguſtini habitam in publicatione fœderis a Julio II. cum Maximiliano Cæſare initi, ad eum mittit.

QUanti ſis apud Ægidium meum Viterbienſem (*d*) Rectorem Ordinis Auguſtiniani, facile cognovi ex eis rebus, quas ille vir ſolitus eſt de te prædicare. Fuiſti enim

(a) Ne hæ quidem Sadoleti ad Bembum literæ habentur.

(b) Extat tom. 2. operum Sadoleti edit. Veronen. pag. 166.

(c) Jacobi ſive Actii Synceri Sannazarii vitam eleganter ſane adcurateque deſcripſit Joan. Antonius Vulpius, ejuſdemque Sannazarii latinis operibus Patavii apud Cominum ſemel atque iterum editis præpoſuit.

(d) Hic Viterbii natus, ab ineunte adoleſcentia FF. Eremitarum Ord. S. Auguſtini Familiæ nomen dedit. In ea

enim in ſermonibus utriuſque noſtrum ſane frequens. Ille certe cum ingenium eruditionemque tuam, cujus & nos teſtes eſſe poſſumus; tum vero humanitatem atque elegantiam vitæ ita celebrare non deſinit, ut facile appareat cum ſummo illius viri judicio, ſummum erga te amorem eſſe conjunctum. Quapropter cum Oratio, quæ in publicatione fœderis, quod cum Maximiliano Cæſare Julius II. Pontifex Maximus iniit, habita ab eo eſt, digna mihi videretur quæ in manus perveniret hominum, ſtatui eam tibi potiſſimum eſſe dicandam, ut hominis amiciſſimi egregiam actionem, ab homine etiam amiciſſimo miſſam ad te, perlegeres. Tu, id quod facis, ita bonis incumbendo literis excelles, ut utrumque noſtrum amare non deſiſtas. Vale.

EPI-

---

ea cum & pietate & litterarum ſcientia unus omnium maxime floreret, Vicarius primum, poſtea Prior Generalis ſui Ordinis eſt renunciatus: mox a Julio II. Pont. Max. ad gravia Eccleſiæ negotia pluries adhibitus, tantum ob eximiam Theologiæ & ſacrorum dogmatum ſcientiam nomen ſibi comparavit, ut ab illius ſucceſſore Leone X. in Sacrum Cardinalium Senatum fuerit cooptatus. Multa eaque inſignia reliquit ingenii ſui monumenta, quæ Romæ in Bibliotheca Angelica S. Auguſtini mſs. ſe vidiſſe teſtatur Andreas Victorellus, & quorum Catalogum habes apud Ciaccon. in ejus vita tom.3. col.1513. Obiit IV. Idus Novemb. an.1532.

EPISTOLA VII. (a)

Jacobus Sadoletus Petro Bembo (b)

Salutem plurimam dicit.

Mittit ei a ſe editam Orationem Ægidii Viterbienſis Auguſtiniani Ordinis Generalis, habitam in prima Lateranenſis Concilii Seſſione.

HAbes, Bembe, Orationem Ægidii Viterbienſis (c), quam tanta ope expetiviſti, dignam illam quidem propter elegantiam quæ ab iis potiſſimum legatur, qui judicare aliquid de præſtantibus ingeniis poſſunt (d): ſed & aliis quoque commendationibus prælucentem, tum quod magna auctoritate Lateranenſis principia Concilii auſpicata eſt, quod a Julio II. Pontifice Maximo paulo ante inſtitutum, ſanctæ Chriſtianæ Reipublicæ optamus fore ſalutare. tum quod ab eo viro eſt, quem ego & tu ſæpe ſoliti ſumus in ſermonibus noſtris clariſſimum hujus ſeculi tamquam obſcuraſcentis lumen appellare. Et quidem quæ in communibus hominum ſenſibus poſita ſunt, ea nemo eſt, qui in Ægidio ſumma eſſe non agnoſcat. Sumus enim experti pluries illam

(a) Ex Conc. Labbei edit. Pariſien. tom.14. col.18.

(b) Vide quæ de Petro Bembo diximus in notis ad vitam Sadoleti pag.x.

(c) Vide not. ad Epiſt. antecedentem pag.16. & 17.

(d) Habita fuit hæc prima Synodi Lateranenſis Oratio ab Ægidio Viterbienſi in æde ipſa Laterani quinto nonas Majas anno M.D.XII. legiturque Conciliorum Labbei tom.XIV. col.19. & ſeqq. edit. Pariſien.

lam hujus viri mulcentem omnium aures atque animos eximiam eloquentiam, vernacula quidem lingua Hetruſcorum, que illi patria eſt, abundantem, ſed ex uberrimis & græcæ, & latinæ eruditionis fontibus deductam. Magno enim hic ſtudio theologiæ ac philoſophiæ altiſſimis artibus, comites literas politiores adjunxit. Ergo illa in ſacris concionibus divina ſemper & admiranda, flectere arbitrio ſuo hominum mentes, refrenare incitatas, languentes accendere, vel inflammare potius ad virtutis, juſtitiæ, temperantiæ ſtudium, ſummi Dei venerationem, ſanctæ Religionis obſervantiam, novit. Nec vero quidpiam interfuit, illo dicente, inter doctos homines & idiotas: non ſenex ab adoleſcente, vir a muliere, non princeps ab infimo homine potuit dignoſci: ſed omnes pariter vidimus præcipites ferri impetu animos audientium, quocumque eos oratori impellere libuiſſet: tanta vis orationis, tantum flumen lectiſſimorum verborum, pondus optimarum ſententiarum ex eo ferebatur. Ex quo, quod ſemper evenire cernimus, jam plane intelligimus neceſſitate evenire, non caſu, ut quotieſcunque dicturus eſt, concurſus maximi omnibus ex locis audiendi cauſa fiant. Sed nos hæc popularia cum multis, illa ſecretiora cum paucis cognoſcimus. Soleo enim mirari te, Bembe, vehementerque probare judicium tuum, cum ita dicas; humanitatem ipſam, & eas artes, quæ humanitatis propriæ & affines ſunt, ſi malo hominum fato amiſſæ intereant, ab hoc uno homine exprimi, & repreſentari poſſe; nec adumbrata in eo ſimulacra, ſed totam effigiem virtutis agnoſci.

Quod

Quod vero addis, grandiorem tibi etiam in cubiculo videri Ægidium, quam in pulpito, ubi certe eſt maximus, facile tibi aſſentior. Sed hæc alias. Nunc Orationem leges, de qua teſtatum eſſe apud omnes volo, quicumque eam in manus ſument, redempturos eos non Hectorem, ſed Hectoris corpus: quod ipſum tamen tanti pretii eſt, ut jure optimo rependi auro queat. Certe non aderit calor ille & vis in dicendo oratoria, ſpirituſque ζώσης (a), ut ajunt, φωνῆς, quo tantum potuit Ægidius, ut omnium adſtantium animos primum ſuaviſſime demulſerit, deinde ad extremum vehementiſſime commoverit. Verum quid opus hæc ad te ſcribere, qui amore quidem & benevolentia erga Ægidium mihi par, judicio omnibus antecellis? Ego, quod egi, ut elucubratio optimi & religioſiſſimi viri non lateret tenebris ſuppreſſa, ſed in populum exiret (b), ſpero me bonis omnibus gratum feciſſe; tibi quidem certo ſcio. Vale.

AN-

(a) *Vivæ vocis.*

(b) Edidit enim eam Sadoletus præfixa hac Epiſtola Romæ apud Jacobum Mazochium 1513. in quarto.

ANNO M. D. XVII.

EPISTOLA VIII. (a)

JAC. SADOL. NICOLAO TEUPULO S. P. D. (b)

Suum erga illum amorem benevolentiamque ſignificat, & ſimul de ſtudiis, quibus operam navet, interrogat.

Franciſcus Valerius noſter, cum ſuperioribus diebus Venetiis rediiſſet Romam, meque inter primos forte obvium habuiſſet, complexus eſt ille me quidem, ut noſtra conjunctio ferebat amiciſſime, ſed & multis ſermonibus ultro citroque habitis ſalutem quoque mihi a te plurimam nunciavit; deque tuo, & fratrum tuorum ſtatu atque incolumitate ea quæ maxime optabam, eum cum percontarer, expoſuit. Quem ego ipſum cum libentiſſime vidiſſem, tum vero hoc adjuncto nuncio ſalutis tuæ & conſtantis erga me voluntatis, ſumma lætitia me affectum ſenſi; cum, & te in omnes partes valere intelligerem, & mihi eam benevolentiam præſtare, quam ego tibi tuis ſingularibus virtutibus adductus perpetuam præſtitiſſem. Quæ recordatio vel ſignificatio potius tui priſtini erga me ſenſus hoc mihi, etiam gratior & jucundior accidit,

(a) Ex Miſcellan. Biblioth. Colleg. Roman. tom. I. pag. 511.

(b) Nicolaum Teupulum laudat Sadoletus Epiſt. XIV. ad Longolium atque in litteris datis prid. Cal. Novembris 1528. Teupulum inter amicos ſuos numerat. Teupulos tamen duos ſalvere jubet in litteris ad Bembum ſcriptis III. nonas Novembris 1527. ut anceps ſit an Nicolaum hunc, illis appellet.

dit, quod cum antea addubitare cœpiſſem, ne te mei forſitan cœpiſſet oblivio, propter eam occupationem ambitionis civilis, cui te more majorum deſervire neceſſe eſſet; mihi vero ipſe conſcius eſſem, animum meum arga te eum ſemper fuiſſe quem hominis amiciſſimi eſſe oporteret, facile cognovi hoc benivolentiæ conſervatæ nuncio, te mei abſentis memoriam retinere, nullamque rem eſſe quæ ex natura ingenua, & animo optimis artibus exculto fidem veræ amicitiæ poſſet evellere; quam ego mihi tecum inſtitutam eſſe duco jam ab illo tempore, quo tu in Urbem veniens, tui præſtantis ingenii ſingularisſque doctrinæ tam præclara documenta publica præbuiſti. Laudis tum primum tuæ me utique commovit admiratio, ut te mihi diligendum proponerem; poſtea vero conſuetudine aliquot dierum, quibus una jucundiſſime fuimus humanitate tua, moribuſque perſpectis, amori meo in te cumulum adjeci; quem ſi ullo tempore apud meum animum obliterari paſſus fuiſſem, ipſe me non ſatis hominem eſſe exiſtimarem: nil enim bono viro magis alienum eſt, quam ſemel vero judicio ſuſceptam benivolentiam, aut oblivioni tradere, aut temporum ſpatiis, & locorum imminui debilitarique ſinere. Sed accidit neſcio quo pacto, ut quamquam mea ſumma cupiditas exiſteret his etiam exterioribus rebus atque officiis, quibus, commercia communis vitæ continentur, meam voluntatem tibi declarandi, nihil tamen a me in te profectum fuerit, quod aut tibi commodo fuerit, aut ornamento: credo, quod res nulla incidit, in qua meam tibi operam neceſſariam putaris. Quod ſi ita fuit, gra-

gratulor medius fidius, vel virtuti, vel felicitati tuæ: virtuti, ſi fortunæ nihil omnino detuliſti, omniaque in te tibi poſita duxiſti; felicitati, ſi ita abundaſti eis rebus omnibus, quæ ad lautiorem vitam pertinent, ut ex hac Urbe, atque ab hoc Orbis terrarum optimo clementiſſimoque Principe nullam rem expetieris, in qua amicorum tibi operam, ac diligentiam adhibendam exiſtimaris. Sed ſive res ita ſe habuit, ſive ad Collegam meum (a) hominem omni virtute, & dignitate ornatiſſimum poſtulata tua potius retuliſti, magiſque jure cenſuiſti petendum tibi ab eo eſſe, ſi quid opus fore putares; hoc tamen ſcire te volui; quanquam multæ inter vos cauſæ intercedant & vetuſtatis, & civitatis, & propinquitatis, tamen unam apud me virtutem tuam pro omnibus cauſis neceſſitudinum ad ſummum meum amorem erga te valuiſſe: nihilque me præterea requirendum putaſse, cum tu tantis ornamentis præditus omni benivolentia dignus exiſteres. Etſi idem omnino fecit, te Bembo tuo, Collegæ meo, nonnihil aliquando oneris, ideſt ut ego interpretor, beneficii, aliquid petendo ab eo, detuliſſe: magnum enim ego me capere beneficium arbitror, cum talibus viris gratum aliquid faciendi facultas mihi data eſt. Sed in illo perinde eſt, ac ſi egomet tibi hanc gratiam deberem. Tanta enim eſt conjunctio, atque ita noſtra inter nos voluntas conglutinata amore quodam incredibili, ac unanimi conſpiratione & conſenſu rerum omnium; ut non modo opiniones, ſed ne animas quidem videamur

(a) P. Bembum.

mur habere ſejunctas; quod forte in vulgus difficile habeatur in tanta communicatione honoris, dignitatis, rerumque omnium, ac raritate exemplorum hujuſmodi. Quamquam ego illum me ipſo dignitate ſuperiorem ſemper duxi. Sed nos, qui innocentiam, & probitatem præcipua ornamenta veræ vitæ ſemper duximus, vulgi admirationem ſcilicet irridemus; in fide autem perfectæ, & conſtantis amicitiæ, nihil non unum, atque idem incidere poſſe, recte arbitramur. Ergo ſi nihil tibi opus fuit ab hoc magiſtratu quem gerimus, nec ab eo Principe, cui propter ipſius virtutem, & ſapientiam, & humanitatem, & libentiſſime ſimul, & liberaliſſime inſervimus; potius gratulandi, quam quicquam tibi pollicendi cauſa eſt: ſin autem contingat aliquid, in quo mea benivolentia tibi eſſe queat opportuna, te exiſtimare volo in meis jucundiſſimis optatiſſimiſque rebus mihi futurum, ſi cognoro, te eam de me obtinere opinionem, tamquam neque mea res ulla tanti ſit, quam ego non tuis rebus omnibus poſtpoſiturus ſim; neque tua, in qua non tuum ipſius deſiderium ac ſtudium ſim mea cura, aſſiduitate, diligentia ſuperaturus. Sed hæc, re tibi potius quam præſtabo litteris. De ſtudiis autem utriuſque noſtrum; etſi de te id exiſtimo, quod de homine ſummo ingenio, ſingulari diligentia prædito, necesſario exiſtimandum eſt, te cum aliquot ab hinc annis optime cognoveris, quam ſit neceſſarium ad egregiam doctrinam aſſequendam excolere Philoſophiam his artibus, quæ ſemper habitæ fuerunt honeſtiſſimæ, & illi tanquam colorem ac ſuccum, ſic bonarum litterarum vigorem

gorem infundere; cumque poſt hoc judicium factum, omnem tuam operam, ſtudium, laborem, induſtriam ad liberaliores ſcientias contuleris; perfectum hominem jam evaſisse, tum in pulcherrimis, & maximis rebus ſcientia comprehendendis, tum in eiſdem ornate, ac copioſe litteris explicandis; tamen vere tibi hoc confirmo, cupere me majorem in modum noſse de te ipſo, quantum profeceris in ſtudiis eloquentiæ, & quam ſpem habeas in manibus, equidem arbitror non mediocrem. Neque enim eſt hujus tui ingenii, & animi, habere propoſitum quicquam potius, quam virtutem, ac immortalitatem ipſam; quarum altera vel legendo dumtaxat has cultiores literas, altera vero ſua etiam cogitata poſteris prodendo, facillime comparatur. Verum erit amoris tui erga me, huic meo deſiderio ſatisfacere per litteras, quas ego avide expecto, modo illæ te,& Venantium fratrem tuum, quem ego mehercule facio plurimi, nobis ſalvum nuntient. Nam de me tibi quod ſcribam tantum habeo; me, cum quatuor annorum aſſiduis occupationibus ab ocio, & a litteris vehementer abductus fuerim, nihil cupere ardentius, quam me totum referre ad ea ſtudia, ſine quibus nec vitam ipſam eſſe expetendam duco; quod ut ex ſententia eveniat, magnæ felicitatis futurum eſt: ſed habeo optimi Pontificis ſummam voluntatem, in qua valde acquieſco. Ego F. Valerio nōn parvam habeo gratiam, quod mihi occaſionem attulit, has ad te litteras ſcribendi: a te peto, ut in priſtina ſententia diligendi me permaneas; teque a me amari vehementer tibi perſuadeas. Quod ſi acciderit, ut re tibi demon-

ſtrare poſſim; efficiam profecto, ut intelligas, me in omnibus officiis benivolentiæ tibi eſse amiciſſimum. Vale. Ab Urbe v. Kal. Junias MDXVII.

EPISTOLA IX. (*a*)

JAC. SADOL. FRANCISCO VICTORIO (*b*).

Conſilium ſuum Galeni opera vertendi laudat, ſpondetque ſe pro eo cum Summo Pontifice acturum.

ACcepi tuas, quas Hieronymus Mutius, cum ipſe propter urbanæ peſtilentiæ ſuſpicionem Florentiæ ſubſtitiſſet, ex itinere ad me præmiſit; ex quibus animum tuum probavi, quod ad convertenda Galeni volumina dedere te inſtituiſſes: conſilium vero non probavi: quod ob eam cauſam publicum docendi munus omittere decreviſſes, atque incipere te a multorum detrimento, quod omnium ſalutis cauſa abs te ſuſceptum eſſet, ut ſi qui te audire ſoliti ſunt, tua doctiſſima lectione

(a) Ex Miſcellan. tom. I. pag. 516.

(b) Alius hic eſt a Franciſco Victorio, qui Petri τοῦ φιλολόγου nepos, Franciſco magno Etruriæ Duci Petri Victorii avi epiſtolas & orationes nuncupavit, ſcribens Florentia XVI. Kal. Maii 1586. Bergomenſis hic erat Rinaldi ludi magiſtri filius, ob ingentem memoriæ vim, *Memoriæ* cognomen ſortitus. Philoſophiam & Medicinam in multis Italiæ Gymnaſiis profeſſus eſt, & extremum in Patavino, ubi mortuum an. 1523. tradit Papadopoli *Hiſt. Gymn. Pat. lib. 3. Sect. 2. cap. 7.* Laudat eum Manutius *in pref. ad Comment. Alex. Aphrod. in Top. Ariſt. Græc.*

ctione fruſtrarentur, tuque tibi fortaſſe ires non bene conſultum. Ut enim ad te antea ſcripſi, Maximi Pontificis ſumma omnino benignitas eſt; ſed incredibiles rerum anguſtiæ: nam neque in vectigalibus habet, nec in arca quippiam: præterea ipſe alieni abſtinentiſſimus: ut quod ipſe maxime vult atque optat, ſuppeditare & benigne facere doctis viris, quo pacto facere prolixe poſſit, non perſpiciam. Quamobrem rectius ages, & temperantius, ſi quæ habes certa non dimiſeris: nam & ſubciſivis, ut ajunt, horis poteris proficere in ejuſmodi translatione multum; & tua ætas, atque ingenium ejuſmodi eſt, ut cuique labori par eſſe poſſe videatur. Si vero advenerint compoſitiora tempora, quod non diffidimus fore, hujus optimi Principis ſapientia freti; tunc ego una cum aliis amicis tuis cauſam tuam agemus; & interea tamen aliquid curabimus, quo Pontificis liberalitatem reipſa experiare. Quod ſi ad me ſcripſeris, qua Patavii mercede publice profiteare, tentabo, num idem tibi in Urbe referri poſſit. Denique omni in re benevolentia mea, & amiciſſimi hominis officium tibi aderit. Ego tuis acceptis, has reſcripſi ſtatim, antequam ſummum Pontificem alloquutus eſſem: quod mox agam, commodum tempus nactus. Giberto noſtro, omnium tui ſimilium amantiſſimo reddam tuas litteras, ipſeque ſermone ſubſequar, ut habeat meum quoque de tua doctrina & virtute teſtimonium. Jovius ob contagionis ſuſpitionem quamdam ſeceſſerat. Curabimus tamen tuas litteras ad eum perferendas. Tu vale, & nos, quod facis, dilige. Ex Urbe pridie Non. Sept.

ANNO M. D. XVIII.

EPISTOLA X.

GREGORIUS CORTESIUS (a)

Jacobo Sadoleto. *Romam.*

Ejus laudes celebrat, ſeque eo libentius ad illum ſcribere profitetur, quod Epiſcopum Graſſenſem fuiſſe eidem amiciſſimum noverit, & Archidiaconi Avenionenſis opportunus contigerit ad Urbem acceſſus.

CUM primum in hanc Provinciam veni, vehementer admiratus ſum nominis tui apud omnes eam eſſe claritatem, ut nihil ſibi omnino ſcire videretur, qui memoriæ lucubrationes tuas non commendaſſet. Nec eo ſane admirabar, quod neſcirem virtutes tuas facile opinionem omnium vincere, ſed quod nequaquam tantum humanitatis, judicii, & litterarum in Provincialium ingeniis reſidere cognoveram. Cum vero omnia illa prædicatione noſtra longe majora comper[illegible], ſæpius ſtatui de ea re, datis ad te [illegible]nda-
men-

(a) H[illegible] a quam in ſtud[illegible] arti[illegible]
in utri[illegible] s ſcientia fu[illegible]
Joann[illegible] ediceus, q[illegible]
ciatus [illegible] lus eſt, in [illegible]
dito [illegible] Corteſius R[illegible]
ſib[illegible] nomen [illegible]
m[illegible] umma [illegible]
[illegible] III. C[illegible]
[illegible] 542
[illegible] 548

mentum aliquod amicitiæ ponere. Verumtamen neſcio quo pacto, ſimul atque id cogitaſſem, deterrebat me pudor quidam (ut Cicero inquit) pene ſubruſticus, quod verebar eum, præſertim occupatiſſimum interpellare, in quem nullum non modo officium noſtrum extaret, ſed nec paulo firmius conſtituta intercederet amicitia. Mirifice autem accidit ut dum hæc cogitarem, tu Pontifex Carpentoractenſis crearere (*a*). Id vero poſtquam mihi renunciatum eſt, ſtatim in ſpem maximam veni, fore ut aliquando conſuetudine tua frui poſſem. Cum enim ego patriam hac Provincia commutarim, tibi etiam honeſtiſſima impoſita ſit neceſſitas ætatem in ea traducendi, videbam me non diutius id fruſtra deſideraturum. Nuper autem cum Graſſenſis noſter (*b*) ex Syria revertiſſet, cujus beneficio & ocium,

---

(a) Carpentoractenſis Eccleſiæ Pontificatum fuiſſe delatum Sadoleto an. 1517. tradit Dionyſ. Sammarthanus tom. [illegible] Gall. Chriſt. col. 910.

[illegible] Auguſtinus nimirum Grimaldus Graſſenſis Epiſ[illegible] eſt autem Graſſa, olim Grinnicum urbs Gal[illegible]bonenſis ſeptem leucis a Nicæa diſtans). Pa[illegible]buit Lamb[illegible]m Grimaldum Principem Mona[illegible] atrem v[illegible]diam ejuſdem familiæ ac to[illegible] hæred[illegible]mam. Defuncto Luciano ejus major[illegible]berorum tutor relictus, princi[illegible]m iis i[illegible]rexit. Interfuit Seſſ. duodecimæ [illegible]c. Late[illegible] habitum eſt an. 1517. die 13. men[illegible] Mar[illegible] tempus in Syriam profectus eſt, [illegible]um a[illegible]nſe Majo, quo Corteſius hæc ſcri[illegible] [illegible] Hujus ſuſcepti a Graſſenſi itineris, ne v[illegible] faciunt Sammarthani in Gallia Chriſt. to[illegible]quum eum non ſine veneni ſuſpicione [illegible]c tradunt.

& facultas nobis ſuppeditatur in ſtudiis acquieſcendi, cumque tibi intellexiſſem eſſe amiciſſimum, illico has ad te literas dare conſtitui. Accedebat patriæ vinculum, & ſanctiſſimum illud neceſſitudinis genus, quo haud ſcio, an aliud gravius excogitari poſſit, ſtudiorum videlicet ſimilitudo quædam, etſi ea quidem valde diſſimilis. Vix enim ſimilitudo dici poteſt, ubi, quamvis in eadem ſtudia incumbemus, incredibilis tamen eſt progreſſus diſtantia. Tibi vero tam facile docti etiam omnes concedunt, ut cum doctorum princeps citra controverſiam judicere, ſummopere omnes gaudeant, te potiſſimum ea auctum & gratia & poteſtate, ut doctis omnibus, quantum ingenio & doctrina, tantum etiam dignitate præſtes, & eis prodeſſe non minus poſſis ac velis. Ne tamen aliquid deeſſet ad excitandam voluntatem meam, opportune accidit acceſſus Archidiaconi Avenionenſis, (a) ad urbem dicam, an ad te? quando is tibi uni tantum tribuit, ut non gravate fuerit, ſi iſtinc abeſſes, urbe cariturus: cum vero adſis, pluris urbem quam patriam faciendam eſſe ducit. Cum eo mihi ſumma eſt neceſſitudo, rurſuſque eum tibi plane ſcio eſſe amiciſſimum: quare gaudeo hunc præcipue teſtem accidiſſe, quam te colam & obſervem. At qualem teſtem? qui ſuavitate congreſſus, morum gravitate, rerum experientia, totius vitæ integritate nemini forte concedat. Jam vero quam ſancte & diligenter amicitiam colat, tibi etiam credo eſſe perſpectiſsimum. De

(a) Fortaſſe Bartholomæi Caſtellani, cujus in litteris præſtantiam binæ ad illum Bembi Epiſtolæ teſtantur.

De quo, niſi ad te proficiſceretur, parcius omnino verba facerem. Nunc vero, cum non verear, ne me abuti ignoratione tua credas, & ne virtus ejus prædicationi meæ non reſpondeat, tibi polliceor te majoris conſilii, gravitatis, modeſtiæ, adde quod caput eſt, erga te benivolentiæ, vidiſſe neminem. Nam quantos habeat in liberalibus ſtudiis progreſſus, tu facile præſens poteris judicare. Quanti vero eum faciat Graſſenſis noſter, vel inde poteris cognoſcere, quod cum nihil habeat quo magis amicos demereri poſsit, quam ut tibi illos conciliet, te tamen hujus præ ceteris cupit eſſe amantiſsimum. Supereſt ut quoniam tres tales viri in amicitiam conſpiraſtis, me tam ſuavis & honeſtæ conjunctionis, quam ſpero apud poſteros fore celebrem, non ſocium, ſed ſpectatorem & præconem aſcribere ne gravemini: nolim enim, ne ſi concedatur quidem, gratiarum meo interventu turbare congreſſum. Nunc quoniam adventum tuum ad hanc provinciam propediem futurum intellexi (*a*), me interim ea ſpe conſolabor, fruarque aſsidue & Graſſenſi noſtro, & Lerinenſis inſulæ ſolitudine amœniſsima, in qua mira literarum & religionis contentio viget, ut tamen conjunctis animis cum ſqualida barba-

(a) Ita quidem Sadoletus ſtatuerat, ſed Pontifex eum Romæ retinuit. Hinc Bembus, Epiſt. Fam. lib. v. ad Longolium XIII. Cal. Septembris an. 1520. ſcribens: „ Collega meus (inquit) Roma pedem non extulit: Princeps eum retinet, &, ut puto, retinebit „. Et retinuit quidem. Quin imo uſque ad an. 1523. Sadoletum ad Carpentoraſten. Eccleſiam non migraſſe, demonſtravimus in notis ad ejus vitam a Florabel. deſcriptam p. XVI.

rorum colluvie continenter bellum gerant, ita græcis & latinis literis, humanæ & divinæ philoſophiæ juxta dies noctesque illic incumbunt. Quod cum tibi gratiſſimum, tum etiam ſummo Pontifici, ut eſt virtutum omnium ſupra quod dici poteſt amantiſſimns, jucundiſſimum fore confido. Vale. (*a*)

EPISTOLA XI.

JAC. SADOL. EPISC. CARPENTORACTENSIS

Gregorio Corteſio (*b*) S. *Graſſam*.

Ejus pietatem ac litterarum ſcientiam Archidiaconi Avenionenſis teſtimonio atque ex ſuis litteris perſpectam, celebrat. Graſſenſem laudat, ſuumque ad eos proficiſcendi deſiderium teſtatur.

ETſi fidem mihi de te faciebant literæ tuæ: ſcriptæ enim amice, ac pereleganter declarabant ſingulare ingenium tuum, conjunctum pari erga me benevolentia, tamen poſtquam etiam Archidiaconi Avenionen. teſtimonium acceſsit, ea de te prædicantis, quæ de de optimo viro & homine doctiſsimo poterant commemorari, non dubitavi, quin tu eſſes non modo mea (id enim non tanti eſt) verum omnium bonorum benevolentia digniſsimus. Ita enim intellexi, te cum ſumma religione & integritate vitæ, conjuncta habere omnium artium

(a) His Corteſii literis reſpondet Sadoletus Epiſtola ſequenti, pridie Kal. Majas anno 1518. unde colligitur annus quo hæ ſcriptæ fuerint.

(b) Vi de notas ſuperius pag. 28.

artium ſtudia optimarum. Nec id tantum quod ab ordine veſtro præſtari, aut expectar ſolitum eſt, poſuiſſe te operam in dialecticis & phyſicis, aut his etiam quæ pertinent ad Theologiam literis, ſed hæc omnia latinitatis lumine, hoc eſt, eloquentiæ cultu ac divitiis inſtituiſſe ornanda, quamquam hujus quidem inſtituti tui atque judicii egregium teſtimonium literæ mihi tuæ attulerunt. Sed ego, quo rariora hæc in te ornamenta eſſe conſpicor, hoc ſum magis ad te diligendum, tum communi meo in tales viros ſtudio, tum propria erga te voluntate incenſus. Nam & ſanctiſſimum, ut tu rectiſſime præſcribis, accedit patriæ vinculum, & ſtudiorum ſimilitudo, in quibus ego non modo non primas appeto partes, ſed & commode agi mecum arbitror, ſi in maximis occupationibus, quæ & animum meum & operam diſtrahunt, aliquod retineam veſtigium priſtinæ voluntatis. Omnino ocio nihil beatius optabiliuſque; quod quidem in legendis aut etiam æmulandis doctiſſimorum virorum monumentis traducatur. Quo poſteaquam ego ſpoliatus ſum, tu qui id optimi & liberaliſſimi præſulis Graſſenſis noſtri (a) beneficio, ut ſcribis, es aſſecutus, partem tibi beatæ vitæ maximam ab eo eſſe collatam debes exiſtimare. In quo ego & tuo & bonarum artium ac literarum nomine habeo illi optime merenti gratiam, libentiſſimeque profiteor, me quoque tali pro munere ei eſſe obſtrictum. Ac mihi utinam aliqua aliquando tribuatur occaſio ad vos & in iſtam provinciam proficiſcendi, ut cum conſuetudi-

(a) Vide quæ de Graſſenſi diximus ſuperius pag. 29.

ne veſtra, tum eo ipſo quod ceteris rebus omnibus antepono, ocio perfrui mihi liceat, in qua una nunc ſpe & cogitatione acquieſco. Sed quando id, niſi ſalvo officio faciendum non eſt, & ut quidem nunc eſt, non perſpicio quo pacto honeſte me explicare poſſim: quod noſtræ interea eſt poteſtatis, inſtitutam amicitiam noſtram & fide & benivolentia mutua excolamus. Quo ego in genere, arbitror ſi me de rebus tuis quid vel interſit tua, vel tu maxime optes admonendum duxeris, me tibi ſatis eſſe facturum. Vale & Graſſenſem noſtrum ſalvere a me plurimum jube. Ex Urbe pridie kal. Majas M. D. XVIII.

ANNO M. D. XIX.

EPISTOLA XII.

JACOBO SADOLETO

Andreas Naugerius (a). *Romam*.

Volumen tertium Orationum M. Tullii Ciceronis a ſe editarum ejus nomini inſcribit.

SÆpe ego mecum, Sadolete, tum a natura editas, tum ab hominibus inventas res, animo reputans, eundem in omnibus certa quadam ratione ſervari ordinem ac progreſſum animadverto. Primo quidem parvo quodam

(a) Eſt dedicatio tertii voluminis Orationum M. Tullii Ciceronis, quas Naugerius edidit Venet. typis Aldi Manutii an. 1519. deinde apud Juntas an. 1535. ac demum Lugd. apud Seb. Gryphium 1536. Naugerii vitam adcurate deſcripſit Joan. Antonius Vulpius, ejuſque operibus præpoſuit.

dam a principio ortum omnes trahunt: tum deinde augeſcentes eo paulatim per gradus quaſi quoſdam perveniunt; quod in uniuſcujuſque natura perfectiſſimum eſt, tum vero poſtquam id adeptæ fuerint, referri rurſum, ac ſeneſcere incipiunt: atque ita ſenſim minui, ut poſtremo ad interitum etiam dilabantur. Id & in natis e terra ſtirpibus, & in omni animantum genere intueri licet, quæ ut imbecilla primo in lucem exierunt, hinc vires in dies ſumant, mox quæ acquiſierint, paulatim dependant, ac conficiantur denique neceſſe eſt. Neque vero fieri potuit, ut non eamdem hanc conditionem omnes item artes, omnia opera, omnia inventa hominum ſequerentur. Sed & hæc quum ab ortu adoleverin. eadem poſtea vetuſtate tandem extabeſcuntt, Tulit hanc ſcilicet legem natura, quæ nulla umquam vi abrogari poſſet: ſed una ſine ulla exceptione inferiora hæc omnia neceſſitate quadam immutabili contineret. Ac, ne multis ego exemplis conquirendis in re manifeſta immorer, quam neceſſe eſt, vel ex ipſa id eloquentia, cujus cauſa hæc a nobis dicta ſunt, cognoſci poteſt. Hæc (ut Græcos omittam, quibus tamen hoc idem eveniſſe reperietur) quum primum Romæ exorta eſt, per parva quædam incrementa longo tempore paulatim ſe ad ſummum evexit. Cum rudis antea, & prope infans eſſet, primus Cato ei multum addidit: longius Galba, Porcinna, Carbo, Gracchi provexerunt; Græcorum eam gloriæ Antonius, Craſſus, Hortenſius æquaverunt. Ita ſumma demum illi manus ab Cicerone impoſita eſt, ut nihil præterea cujuſquam neque ingenio, neque induſtria, neque ullo doctri-

næ genere addi poſſet. Ab eo ruere, & ferri in pejus cœpit: ac primo quidem ſublata è civitate pax, & ea, cum qua ſimul creverat, extincta libertas eſt. Nam quum bellis cuncta civilibus diutius agitata eſſent; eorum denique is finis fuit, ut oppreſſa tandem poſt multas civium clades reſpublica, in unius poteſtatem conceſſerit. Tum vero, quum omnia ex unius nutu penderent: nulla majorum more judicia exerceruntur, nullæ in Senatu ſententiæ, aut eæ certe non liberæ dicerentur; nullæ ad populum conciones haberentur, ſed omne penitus ſublatum eloquentiæ theatrum eſſet, aliis quibuſdam artibus & his pravis plerumque ac flagitioſis ſumma omnia homines conſequerentur, ſimul præclariſſimæ artis reſtingui in dies ſtudium, ſimul ea evaneſcere paulatim cœpit. Poſt vero quum illa omnium populorum victrix, ac totius terrarum orbis imperio diu potita, eo tandem (ut humanarum rerum vices ſunt) redacta gens eſſet, ut nulli non nationi contemtui ac prædæ eſſet; ac novæ quotidie & eæ ab omni humanitate alienæ gentes, vel ab extremis etiam orbis finibus Italiam devaſtarent; extincto latinæ linguæ uſu, delato pene Romano nomine, factum eſt, ut è tot cladibus vix umbra quædam ad nos eloquentiæ pervenerit. Sed & hæc etiam pene e manibus nuper elapſa, pene omnis funditus extincta eſt. Quam enim poſt tot incommoda recreari jam aliquantum decuit, eam nova quædam calamitas excepit. Exorta opinio eſt, & ea per plurimorum jam animos pervaſerat; ut nemo ſatis eruditus, nemo ſatis ullo doctrinæ genere excultus judicaretur, qui cognitis & uſi-
tatis

tatis verbis uteretur. Hi demum præclare loquuti, hi omni laude, omni admiratione digni præter cæteros putabantur, qui ita aliquid ſcripſerant, ut vix id percipi ab ullo poſſet. Imperiti quidam, & nullo uſu, nullo ingenio homines, quum ea plerumque plurimi fieri vulgi judicio viderent, quæ ab omnibus ignorarentur; nec ſibi aliud ad commendationem hominum patefieri iter animadterent: eo ſe poſſe per tenebras pervenire arbitrati ſunt, quo pauci luce potuiſſent. Quod quum primo illis in maxima latinæ linguæ, atque omnium bonarum artium inſcitia recte ceſſiſſet: tum non pauci eos ſequuti, eo tandem rem adduxerant, ut brevi tempore veterem illam dicendi gloriam hac caligine obrui, atque aboleri penitus neceſſe eſſet. Nullas hi non vetuſtatis latebras perſcrutabantur: hinc verba vel ipſi etiam Romulo, & priſcis illis Latinis jam tum obſoleta & deſita proferebant. Quin, ut obſcuriora ea eſſent, quæ dicerent, Græca etiam ſæpe pleraque, ſæpe barbara congerebant: digni, qui eo naturæ munere, quo tam male abutebantur, omnino carerent. Cum enim ob id nobis ſermo datus ſit, ut hoc ea quæ animo occultantur, depromi poſſint, quid fieri alienius poteſt, quam ita quemquam loqui, ut nihilo magis intelligatur, quam ſi omnino nihil loqueretur? nulla umquam res magis omnem evertere eloquentiam potuit. Quippe & labefactatæ jam, ac prope dirutæ, inciderat: & ſublata verborum elegantia, ipſum etiam illius ſolum, ac fundamenta eruebantur. Quid? quod inſolentibus & ſordidis illis verbis hæ ſententiæ ſuberant; ut recte hoc ſaltem feciſſe viderit queant,

queant, quod tam abjectas res, tam ſedulo, tantis verborum tenebris occultarint. Sed bene id profecto cecidit, quod non melior huic, quam cæteris rebus conditio data eſt. Cum late ſerperet, ac non parvam jam Italiæ partem occupaſſet, atque ubique jam ſe terrarum diffunderet, medio in curſu concidit. Nonnulli his ſcilicet ſe viri doctiſſimi, ut infeſtiſſimis latini nominis hoſtibus objecerunt. Quorum ope factum eſt, ut fœda illa barbariè profligata ab propinquo jam interitu eloquentia vindicata ſit. Et initium quidem benè gerendæ rei ab Romanis ortum eſt: una Roma, quaſi tutiſſima arx quædam fuit, a qua ſemper hæc labes rejecta eſt, quo nullo unquam conatu irruperit. Hic tanquam pro aris ac focis ſumma vi certatum eſt, ut, cum cetera a majoribus tradita, amiſſa eſſent: hæc ſaltem parentum laus retineretur. Repreſſo igitur fœdiſſimorum hoſtium impetu, facilior de illis victoria facta eſt. Ac ne omnes a me hi, quorum egregia in hac re opera extitit commemorentur: tu certè præter cæteros acerrime illos inſectatus es: tu afflictam ſemper eloquentiam protexiſti: tu tuis ſcriptis, quorum nemo non maximè elegantiam admiratur, quæ illius, quæ latinæ linguæ vox eſſet, oſtendiſti. Factum eſt igitur, ut nemo jam tota Italia ſit, qui obſcurum id & incultum dicendi genus non magnopere contemnat: qui non unum ſibi maximè Ciceronem, tum ut quiſque Ciceroni ſimillimus eſt, & ſæpiſſimè perlegendos, & omni ſtudio ſequendos putet. Quin & tranſalpinæ etiam nationes jam ſe nobis conjunxerunt: nec minus ab his feliciter arma pro Latino nomine ſum-

ſumpta ſunt, ne omnes ex his recenſeam; atque ipſi tantum a me duces nominentur: Budæus & Longolius propinqua e Gallia, e Germania Eraſmus, ita rem gerunt; ita longius quotidie Romanæ linguæ fines proferunt: ea, extrema etiam è Britannia, tum a Reginaldo Polo, (a) & nobiliſſimo juvene, & qui generis ſui nobilitatem hac maximè laude commendari poſſe exiſtimat: tum a plurimis item aliis eruditiſſimis viris opera navatur, ut ſi id deſperandum ſit, poſſe aliquando eloquentiam in antiquam illam, ex qua dejecta eſt, reſtitui dignitatem: id certè affimari poſſit, eam linguam, quæ quondam, tum cum maximè floruit, Italiæ tantum finibus, aut paulo certè latioribus continebatur; nunc brevi tempore in nullas non totius orbis partes perventuram. Neque tamen ceſſandum eſt, ſed ſi uſquam latet, & ubique locorum perquirenda, & omni ratione ejicienda penitus hæc peſtis eſt. Ego quidem quantum in me virium eſt, id omne in hanc rem confero: & cum majora non audeam, id ſaltem enitor, ut Ciceronis ſcripta, quæ incuria quadam aut vetuſtate deformata circumferuntur, ex antiquis exemplaribus meo labore ſuæ dignitati reddantur, & emendatiora in lucem prodeant. Atque alia quidem alias, nunc ejus orationes damus. Quarum cum jam duo volumina alterum Leoni X. alterum Petro Bembo miſſum ſit: tertium hoc Sadolete ſub tuo nomine in manus hominum perveniet. Recte tu mihi Bembo adjungi viſus es: ambo ejuſ-

(a) De Reginaldo Polo ſæpe inferius redibit ſermo.

ejuſdem Pontificis a ſecretis eſtis: ambo & literis, & omni morum elegantia præſtantiſſimi: quin eo etiam inter vos amore devincti, ut exemplo eſſe poſſitis, nullum eſſe ad confirmandam amicitiam arctius vinculum, quam morum ſimilitudinem ac ſtudiorum ſocietatem. Sed & ego tanti te facio, ut egregias tuas virtutes neque admirari, neque de his, quoties aliqua offertur occaſio, prædicare unquam deſinam. Id adeo cum mea ipſe ſponte libens facio, tum eo libentius etiam, quod nihil arbitror poſſe a me Bembo gratius accidere. Multæ mihi cum illo, ac magnæ neceſſitudinis cauſæ intercedunt: conjunxit patria communis utriuſque noſtrum parens: mea quædam præſtantis ingenii admiratio, & non alienus illius a me animus conjunctiores fecit: auctam in dies benevolentiam aſſiduà familiaritas confirmavit: plurimis illius in me meritis hæc omnia cumulata ſunt. Quam ob rem, ut nihil me aliud ad id impellat, qui poſſum non ſumma te benevolentia proſequi? cujus ſumma cum amiciſſimo mihi viro conjunctione nihil ſit illuſtrius. Cum vero animi ad id tui, ea etiam accedant ornamenta, quæ vel ignotos etiam ut amemus cogere conſueverunt: quam tandem meam in te eſſe voluntatem decet? eam ſcilicet, quæ & amiciſſimo & omni laude præſtantiſſimo viro debetur. Accipe igitur parvum hoc meum in te amoris pignus: neque eum tamen ex hoc metiri velis: ſed ex eo potius, quod profectus a Leone Pontifice Max. cui literarum amantiſſimo omnia literarum monimenta deberi videntur, & Petro Bembo, cui ego omnia debeo: ne-

neminem habui, quem tibi præferendum putarim (*a*).

EPISTOLA XIII. (*b*)

JACOBUS SADOLETUS

Chriſtophoro Longolio S.

De ſuorum adverſariorum conatibus eum certiorem facit, ſuamque erga illum benevolentiam declarat.

EX eis litteris, quas ad Lælium Maximum das, cognovi te proficiſci Venetias cogitare, aut hoc tempore fortaſſis jam eſſe profectum; quod nec ſum admiratus, & te potius mecum collaudavi, quod more veterum Philoſophorum (ſicut de Platone ferunt & de Pytha-

(a) Quamquam in hac Epiſtola deſcribenda fidem editionis Juntinæ an. 1535. utpote acriori judicio caſtigatæ, conſtanter ſequuti ſimus; viſum tamen eſt nonnulla heic addere, quæ in editione Aldi Manutil anni 1519. aut abundant, aut deſunt, aut leviter immutata leguntur.

Pag.39.lin.1.*Ne omnes ex his recenſeam: atque ipſi tantuma me duces nominentur*, & reliqua uſque ad *ut ſi id deplorandum ſit*; deſunt in omnibus exempl. Ald. edit. Horum autem loco ea ibi habentur: *ut reliquos ex his omittam, tuus ille, e tuis caſtris profectus, tuis præceptis inſtructus, tuis monitis excitatus Longolius, ita rem gerit, ita longius quotidie Romanæ linguæ fines profert; & ab aliis item nonnullis opera navatur: ut ſi id &c.* Et ibid. lin.16. *Italiæ tantum finibus, aut paulo certe latioribus continebatur*, iu omnibus exempl. Ald. edit. deeſt, *aut paulo certe latioribus*: quod videtur addidiſſe Naugerius, Longolii Epiſtola quadam admonitus.

(b) Extat inter Epiſt. ejuſdem Longolii, interq. Sadoleti opera edit. Veron. tom.2. pag.151. Scripta videtur an. M. D. XIX. De Longolio in not. ad Ep.xv. agemus.

thagora) omnes tibi terras obeundas putaris, unde ſperes hauſturum te & doctrinarum aliquid & ſapientiæ, etſi nonnihil te in eo Bembo noſtro tribuiſſe arbitror, ut cum eo aliquantum eſſes, fruerereque & familiaritate illius exoptata, & virtute nunquam ſatis laudata. Sed ego ſenſus tuos ſi bene perſpectos habeo, ſtatuo te cum amicitiæ veſtræ ac illius ſummi viri ſuavitati multum, tum huic tuæ perpetuæ voluntati plurimum tribuiſſe, ut quoad acerrimi vis ingenii cum incredibili diligentia ſtudioque conjuncta progredi in re litteraria poteſt, in te ipſo contendendo atque elaborando experiare. Sed huic virtuti ut laus debitum præmium eſt, ſic nonnunquam invidia obtrectatrix accedit. Suſpicor enim ad te delatam eſſe concionem, quam hic poſt tuum diſceſſum in magno conventu, ipſo audiente Principe, adverſarii tui habuerunt, in qua magna laus Celſi Millini optimi atque ornatiſſimi adoleſcentis. Is enim orationem eam dixit ſane quam appoſite: & animo (ut facile poſſumus exiſtimare) non malo. Specie enim boni quandoque obtenduntur, quæ ſuapte natura vitioſa ſunt: & ea illius ætas, cui concedatur, ut errare aliquando poſſit ſine reprehenſione. Certe, quod mentis ingenuæ eſt, idem ipſe Celſus affirmat, hac cauſa excepta, in qua patriæ ſuæ dignitati & famæ (ut ait) non adeſſe non vult, ceteris in rebus honoris tui rationem ſe inprimis habiturum. Atque ut hujus (quemadmodum dixi) ingenio laus tribuenda eſt, voluntas minus reprehendenda: ſic qui huic rei ab initio authores fuerunt, non ſatis nec animum ſuum nec conſilium probabant: animum, quod

pror-

prorſus apparebat prava conciliatrix injuſti odii obtrectatio: conſilium, quod abſurdum videbatur, quas ipſi literas ſibi laudi ſperarent fore, eas damnare atque oppugnare in altero. Itaque non modo non extinxit ſtudia eorum, qui cauſæ tuæ favebant, verum etiam ardentius inflammavit. Nam & in circulis ſubito exorti ſunt ſermones plurimi, & fiebat in iis, ut quamquam ille viſus fuiſſet dicere præclare, tamen non minus authoritatis haberent teſtimonia noſtra apud incorruptos: excepta certe principis vox eſt, cum ita diceret, probare ſe ingenium actionemque Celſi, cauſam vero tuam meliorem judicare. Quare ſic quoque inde tum diſceſſum eſt, ut honorificentius tecum actum putaretur ejuſmodi oratione habita, quam ſi omnino nulla fuiſſet habita. Noſtris vero neque ſic tacitum ferendum viſum eſt: ſed cum extaret defenſio tua, quam pro te ipſe conſcripſeras, primo decretum eſt, dandam operam eſſe, ea uti recitatur, operam ſuam ad hoc pollicente Flaminio, adoleſcente in primis ornato hujus civitatis. Deinde cum hoc ſpiſſius eſſet viſum, in eam ſententiam potius diſceſſum eſt, edendam illam, & in omnium manus divulgandam eſſe, quod & factum eſt, magna non ſolum approbatione omnium bonorum, ſed etiam commendatione eloquentiæ tuæ. Sic enim a cunctis judicatum eſt, incredibile quiddam eſſe, quod de tuo ingenio expectari poſſit, cum quod præſtitiſti jam ſit admirabile. Mihi quidem qui te amo & gero in oculis, nihil evenire potuit optatius, quam intelligere, cognoſci ab omnibus, non fruſtra noſtra de te ſuſcepta eſſe judicia, jureque te flo-

rere

rere clariſſimorum virorum amicitiis; in quibus, ſi quæris, egregius Paccius, nec ſolum fide atque amore erga te, ſed etiam authoritate & gratia ſingulari: vehemens Caſalius, ac denique, ne infinitum ſit, univerſus ille chorus præſtantium ingeniorum, quem tibi amiciſſimum præſens ſenſiſti, is tui abſentis memoriam ſancte diligenterque conſervat. Quæ ego ad te idcirco ſcripſi, licet minime invitatus tuis literis: quod profecto conveniebat, cum magis peregrinantium ſit eos qui domi remanent, de ſuis rebus omnibus reddere certiores: ſed eam ob rem ſcripſi, primum ut forti animo ferres, quod tamen facis, iniquorum hominum injurias: deinde ut meditarere, quantum tibi in omnem partem connitendum ſit, ut incredibili expectationi, quæ de te concitata eſt, ſatisfacias. Quamquam ego arbitror te, quod de Theopompo dicere ſolebat Iſocrates, fræno egere magis, quam calcaribus: quem ego novi in ſtudiis literarum dies & noctes aſſidue inſiſtentem, parum habere valetudinis rationem. Sed ego eam tibi, ſi & te, & nos diligis, maximopere tuendam eſſe cenſeo. Nam & temporis plus ad hæc eadem ſtudia habebis, & prudentiæ tibi laudem ex hoc quoque genere comparabis: quæ profecto non minoris, quam illa ingenii, a docto viro facienda eſt. Ego pro mea in te ſingulari benevolentia, omnia tibi honeſta & ſalutaria evenire cupio. Tu, ſi me mutuo amabis, ad meque de tuis rebus ſæpe ſcribes, perficiam, ut nec te fruſtra ſcripſiſſe, nec amorem tuum perperam collocaſſe arbitrere. Ex urbe. VI. Idus Septembris.

EPI-

EPISTOLA XIV. (a)

Jacobus Sadoletus
Christophoro Longolio S.

Lætatur Longolio de ejus propediem ad urbem adventu. Gaudet de amicitiis ſibi ejus cauſſa comparatis. Ad Pontificem ut ſcribat hortatur.

Dederam diu ante ad te litteras, cum te aut conſtitiſſe jam Venetiis, aut non procul inde abeſſe exiſtimarem: quas ſpero tibi nunc denique fuiſſe redditas. Longior autem itineris tui mora interceſſit, quam putaviſſemus. Nam ea noſtra fuerat expectatio, te cum Venetias perveniſſes, hominumque ibidem ingenia moreſque cognoſſes, celeriter ad urbem eſſe rediturum, cum præſertim omni depulſo periculo, placatis animis eorum, qui tibi fuerant infenſiores, abſens virtutis cauſa digniſſimus eſſes ea civitate judicatus, quæ una propter virtutem omnibus ſemper gentibus præſtitiſſet. Sed etſi nobis deſiderio fuiſti, tamen hæc tua diuturnior commoratio mihi non ingrata accidit, quando te auctore & interprete nactus ſum doctiſſimorum & clariſſimorum virorum amicitias. Quorum ego mehercule benevolentiam omnibus fortunis antepono. Itaque litteris tuis ad me Lugduno datis, pleniſſimis illis quidem amoris atque officii, dupliciter lætatus ſum, quod & te ſalvum nobis atque incolumem tot laboribus exhau-

(a) Extat inter Epiſtolas Longolii, & inter opera Sadoleti opera edit. Veronen. tom. 2. pag. 153.

exhauſtis, tot periculis, propediem affore nunciabant, & illud ſignificabant tres præclariſſimos viros, vel potius tria lumina doctrinæ ac ſapientiæ, mihi tuis teſtimoniis amiciora eſſe facta, quorum equidem unius Budæi litteras accepi una cum tuis ſcriptas humaniſſime, reliquorum nondum ad me allatæ erant. Eis ego omnibus reſponſurus ſum, & quidem ſedulo, neque propter vim verbi ejus, quo tu in ſcribendo uſus es, quaſi fuero dignatus iniquis; ſed quod nihil alienius homine ingenuo eſſe exiſtimo, quam non contendere in omni officio omnique ſignificatione benevolentiæ eſſe ſuperiorem. Sane talium virorum litteris ſcriptis nullas reſcribere, cujus tandem eſſet ſuperbiæ? Qui cum ſuis ſummis excellentibus ingeniis illam doctiſſimæ antiquitatis gloriam in noſtrum ævum retulerint, ſunt quoque omnium opinione ac judicio non inferiorem ſua virtute laudem conſecuti. Habes itaque ſtatim ad Budæum perſcriptas. Ad ceteros pendeo animi quo pacto me geram, ne forte me illi ſuas accepiſſe, quas non accepi arbitrentur, accuſentque tarditatem in reſcribendo meam, meumque officium & mea fides reprehendatur. Cui tu meæ ſollicitudini ut ſubvenias peto; ſubvenies autem, ſi illos quam primum certiores feceris, eorum litterarum adhuc in expectatione eſſe, aut ego prior ſi tibi videbitur ſcribam, hoc fundamento nixus, quod te teſte cognoverim, qua ſint erga me voluntate; id mihi eſſe gratiſſimum. Verum nihil horum, prius quam tuas accepero, quibus me de re tota quid ſentias admonebis. Sed in his ad me Budæi; ille enim luculento teſtimonio con-

confirmat, quod me amare cœperit tua prædicatione eſſe factum, & commemoratione meorum in te officiorum, quæ ſane commemoratio tuæ priſtinæ eximiæ probitatis index eſt. Nam ego ea in te uſurpavi officia, quæ prætermitti ſine ſcelere, & ſine ſumma inhumanitatis nota non potuerunt, tu in eis quæ mihi honori cenſuiſti fore ita es verſatus, ut (quod facile appareret) ſtudium amoris, oratio vero tua honorifica de me, effuſæ cujuſdam bonitatis fuerit. Quod ſi liceret in vera & conſtanti amicitia ſubducere rationes, dicerem quantum tibi hoc nomine deberem: ſed omnia ad officium referenda ſunt, quod unum bonis ſemper eſt propoſitum, cujus unius conſcientia contenti ſumus. Quamobrem ne illud quidem verendum tibi eſt, ut ad me parum latine aut ineleganter ſcribas, es tu omnino quidem latiniſſimus: ſed aliud etiam eſt familiariter, aliud accurate & prope anxie ſcribere, quod genus ſcribendi moroſius a noſtris familiaribus epiſtolis rejiciendum eſt. Quod me conſulis num tibi ad Pontificem ſcribendum eſſe cenſeam, ego vero cenſeo; quo autem modo: quocumque tibi libeat: in quam enim cunque partem te dederis, litteræ illi erunt ſilentio gratiores. Is porro, ut ad bene tuis ſimilibus faciendum promptus eſt, ita bonorum de ſe memoria teſtimonioque lætatur; nec vero ullum ſcribendi ceperis argumentum, quin ad unam aliquam ex ejus præſtantiſſimis virtutibus aptum & accomodatum ſit. Si familiariter & domeſtice ſcripſeris, ad illius ſummam humanitatem: ſi cum honore & graviter, ad eminentiſſimam dignitatem reſpectum habuiſſe videbere: utro autem ille magis gau-

gaudeat, difficile dictu eſt. Hoc quidem haud utique dubium, litteras illi tuas cujuſmodicumque futuras gratiſſimas. Ego quas tuas ad amicos mihi miſiſti, ad Lælium Maximum ambas curavi perferendas, eique juſſi nunciari ſuas ut continuo redderet Mariano. Camillum Porcium tua ſalute impertivi, qui te ab ſe amari mirifice confirmat, multamque tibi renunciat ſalutem. Ubaldinus aberat Florentiæ, matris primo morbo evocatus, dein funere retentus, quoad rem ſuam explicet familiarem, dies aliquot abſumpturus eſt. Nos levi ægritudine aliquandiu tentati, damus operam ut valeamus, tibique idem faciendum ducimus. Bembo noſtro & Nicolao Theupulo quem cognoſces, hominem ut opinor tua benevolentia digniſſimum, plurimam meis verbis ſalutem dicito. Vale ex urbe VII. Idus Decembris.

EPI-

EPISTOLA XV. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Gulielmo Budæo S. (b).

Budæi litteris, quibus ſe ejus amicitiæ cupidum oſtenderat, officioſe reſpondet.

TU vero ad me ſcribens recte atque præclare, vim maximam virtutis a paucis poſſeſſam omnibus amabilem eſſe affirmaſti. Sed ſi tu unius viri narratione ac ſermonibus in aliquam bonam de me diſceſſiſti opinionem, animumque tuum ad benevolentiam mei abſentis applicuiſti, quid nunc aut facere me, aut jam antea feciſſe exiſtimas, cum non ſolum rumore nuncio, ſed clariſſimis monumentis ingenii tui adductus, ad te amandum ac-

(a) Extat tom.2. Operum edit.Veronen. pag.155.

(b) Florebat ea tempeſtate Pariſiis Budæus cum omni litterarum ſcientia, tum præſertim eximia Græcæ linguæ atque antiquitatia cognitione, ut edita ab eo opera teſtantur. Simultates exercuit cum Eraſmo, cujus permultæ extant ad eum litteræ ac viciſſim Budæi ad Eraſmum inter ipſius Eraſmi Epiſtolas & præcipue lib.III. edit. Londinen. an.1642. Has inter legitur Chriſt. Longolii Epiſtola ad Jacobum Lucam Decanum Aurelianenſem, qua Eraſmus & Budæus invicem comparantur. Quin imo a Guthberto Tonſtallo idem Budæus, Hermolao, Politiano, Vallæ aliiſque præclariſſimis viris præfertur; & Eraſmus ipſe licet eum cum Badio contuliſſet, tamen & Germanis omnibus prætulit, & ἐν τῶν γρæφειν ʽελλωνιστ primas eidem tribuit. Ejus quoque laudes celebrat Joan. Lud. Vives Epiſt.IV.lib.17.ad Eraſmum, edit.cit. p.752.

ceſſerim? Habeo enim ſi forte neſcis penes me tui imaginem, quam ſæpe lectione contemplatus ſum, omnibus artis atque ingenii coloribus abſolutam; vel ipſum te potius. Etenim ſi vere dicere ſolitus erat Socrates, neminem ſe videre, niſi quem audiret loquentem, quod hominis formam vultus, mentem oratio indicat: profecto mens tua eſt, hoc eſt, ipſe tu qui loqueris & ſpiras in eis libris, quos antiquæ eruditionis refertiſſimos doctorum commodo evulgaſti. Quamobrem quod te aïs moleſte ferre, quod me de facie non noveris: ego vero in eo te ſuperior ſum, cui etſi gratiſſimum eſſet præſentem te intueri & alloqui, teneo tamen ſimulachrum præſtantius, idque immortale Budæi jam mei. Quod nomen, ut hominis omnium doctiſſimi, libens antea recolebam: nunc etiam ut amiciſſimi, nunquam ex ore meo, & animo elabi patiar. Cui tu amicitiæ pro tua ſingulari humanitate aditum pateſeciſti, litteris ultro ad me ſcriptis, quæ mihi munus omnium optatiſſimum, animum tuum benevolentiamque deferrent. Pro quo habeo quidem Longolio noſtro gratiam, qui mihi tantum boni conciliarit. Sed (ingenue enim fatebor) ipſe quoque amore efferri viſus eſt, cum ea tibi de me nunciavit, quæ ſunt ipſius prædicatione, quam meo merito majora. Ego enim in illum quæ officia contuli, ea prætermitti ſine ſcelere, & ſine turpi inhumanitatis nota non potuerunt; quæ etſi fuiſſent maxima, quid non erat cum innocentiæ ipſius, tum excellenti in eo & præſenti & ſperatæ virtuti debitum? Peregrinitas porro ad eam rem valuit, ut quo magis ipſa nuda per ſeſe, & præſidio orba

erat,

erat, hoc magis ſtudiis noſtris confoveretur. Quanquam in hoc ipſo officio communis quædam doctiſſimorum hujus urbis & præſtantiſſimorum hominum extitit conſpiratio, ut meæ partes nullæ præcipuæ fuerint, niſi forte voluntatis: quæ ſi in beneficii partem numeranda eſt, volo ego & volui ornatiſſimum eſſe Longolium, quem tu dum perurbane & comiter demigraſſe a vobis animo, & in hanc urbem ſtudia ſua contuliſſe narras, præripere nobis poſtulas quærelam juſtam. A vobis enim ad nos literati quandoque viri, a nobis vero iſthuc literæ ipſæ transfugiunt: cui quidem perfugio in primis tu cauſam affers. Sed hæc hactenus. Ego mi Budeæ, quod mei præſentis officii eſt, vellem agere poſſe tibi meritas gratias. Tale enim mihi teſtimonium præbes in literis tuis, & amoris erga me tui & judicii, ut vehementer me tibi omni ratione intelligam obſtrictum. Sed nullæ mihi, neque literæ, neque verba ſatisfaciunt; ago tamen, quas poſſum maximas: tu qua es prudentia, in hac mei ingenii imbecillitate agnoſcito meriti tui magnitudinem. Quippe cum me etiam ipſa illa humanitate ſuperaris, quam in me tantopere commendas, qui mihi tam dulces, tamque elegantes literas miſeris, ut cum diu antea ex monumentis tuis habuerim apud me tuæ præſtantis doctrinæ effigiem, nunc etiam habeam humanitatis. Sed ego hominem me eſſe non putabo, ſi tibi concedam, ut ullis officiis aut amore me vincas. Ac vellem tantas meas opes eſſe, ut eas tibi deferendo aliquid deferre expetendum viderer; ſed quando illæ tenues atque exiguæ ſunt, cum has quidem ipſas malo tuas eſſe quam meas, tum quod poſſum præſtare, quoquo

uno viri boni contenti eſſe ſolent, id tibi a me & polliceor & defero, ſummam cum in amicitia noſtra fidem, tum in conjunctione benevolentiam. Vale ex Urbe VII. Idus Decembris.

ANNO M. D. XX.

EPISTOLA XVI. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Chriſtophoro Longolio S.

Quod litteras ab eo non acceperit, dolet. Quod vero Petri Bembi contubernalis ſit factus, lætatur. Demum propenſa ſummum Pontificem in eum eſſe voluntate, ſignificat.

TAntum litteras tuas acceperam Venetiis datas, cum has ad te exaravi tertio loco. Nam binas ante ſcripſeram, unas te provocans, & de iis quæ poſt tuum diſceſſum acciderant certiorem te faciens, alteras ad illas Lugdunenſes tuas, quarum exempla tibi miſi, poſteaquam non mediocri mea cum moleſtia ad te non fuerant allatæ, ſed & ad Budæum ſuas, eodem item exemplo; quæſo accipe in bonam partem, neve tabellariorum negligentiam meæ culpæ adſcribito. Lælius onus receperat, curaturum ſe ut recte redderentur. Quæ de Bembi noſtri humanitate erga te & liberalitate ſcribis, mihi nova non ſunt. Eſt enim ille vir omnibus numeris abſolutus, prin-

(a) Extat Operum edit. Veron. tom. 2. pag. 161. Scripta videtur hæc Epiſtola anno M, D, XX.

princeps optimarum artium, cui te contubernalem factum, & mehercule lætor, & ſubinvideo vobis tantam ſuavitatem congreſſus ſermonumque veſtrorum. Pontifex te ad urbem expectabat, ex meque de reditu tuo percontatus eſt: incidit enim ſæpe, ut de te habeatur mentio perhonorifica; & plena amicæ voluntatis; quare ad eumdem ſcribas plane conſulo. Orationem tuam ſi huc miſeris, legetur ea & a me & ab ipſo ſummo Principe perlibenter. Ego ex plurimis occupationibus quibus hoc tempore urgeor; hoc tempus eripui reſpondendi tibi, idque raptim. Tu ignoſces litteris perperam ſcriptis, meque amabis, & iſtis omnibus ſalutem a me dices. Ex Urbe IV. Nonas Januar.

EPISTOLA XVII. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Chriſtophoro Longolio S.

Hortatur eum ut inſtruendæ in humanioribus litteris Florentinæ juventutis munus ſuſcipiat.

MI Longoli ſalve. Primum putavi ſcribi a me tibi oportere, ſi quid eſſet, quod intereſſe tua arbitrarer, deinde quid ipſe ſentirem adjungendum eſſe. Scis Florentia quanta ſit civitas, ut celebritate frequentiſſima, ingeniis nobiliſſima. Quod ergo in ea urbe

C 3 mens

(a) Extat tom. 2. Operum Veronæ pag. 161.

mens eſt, & conſilium totius civitatis, incredibile eſt, quam te unum ad illam præclaram juventutem optimis artibus publico munere inſtruendam appetat, in quo non judicio hercule illi falluntur: ſed de tua voluntate dubitant. Cum igitur qui apud me auctoritate plurimum poſſunt, contendiſſent a me, ut de te per litteras ſciſcitarer qui tuus eſſet in hac re ſenſus, feci libenter ut illorum voluntati morem gererem, & ſive conditionem accepiſſes, magno cum honore & emolumento tuo illuſtriſſimæ civitati eſſe ſatisfactum, ſive repudiaſſes, gauderem tamen talia de te tam honorifica fieri judicia (*a*). Percrebuit enim opinio multorum quoque teſtimonio & auctoritate corroborata, te unum eſſe hoc tempore cujus in litteris eruditio tanta ſit, ut nihil ultra optari debere videatur: tanta in poſterum expectatio, ut quod nunc obtines doctrinæ, parva portio, quæ ut conſecuturus es exiſtimetur. Non igitur mirum eſt ſi te, quem talem eſſe crediderunt, ſuæ reipublicæ commodo natum optaverunt; quantum autem ſit fundamentum bene moratæ & ſapientis civitatis, ab optimo magiſtro juventutis eruditio, ſcimus omnes. Itaque te eo accedere ſumma ope exoptant, nec exiguis hoc quidem, ſed ampliſſimis oblatis præmiis, quæ mihi non viſa ſunt ſcribenda; donec de voluntate tua ha-

(a) Hinc Bembus ad eumdem Longolium ſcribens Romæ IV. Cal. Jun. 1520. lib. V. ep. 15. „ Cum Julio; in„ quit, Medice Card. multus de te ſermo. Is mihi ſi„ gnificavit, quod ad te JACOBUS SADOLETUS de Flo„ rentinorum erga te voluntate ſcripſerit, ſe auctore „ factum.

habuero exploratum. Quid autem tibi auctor ſim in hac re uti facias, ego mehercule hæreo. Non enim habeo cognitum quem tu vitæ tuæ univerſæ propoſuiſti finem. Si enim nihil aliud quam litteras, ut miſſa faciam officia boni viri, quæ in omni ſtatu & conditione vitæ uſurpanda ſunt, non arbitrarer alienum, ſubire te hoc oneris, quod ſtudiis tuis conſentaneum, plurimis hominibus utile eſt futurum. Bene enim de humano genere mereri in primis nobis optabile eſſe debet. Honor vero in hoc negotio is, cum quo juncta ſit quædam Italiæ contumelia, acceſſitum trans alpes, qui latinas litteras in latio ipſo conferat: quo quidem nomine ſuperba futura eſt Gallia. Sed ego latinitatem virtuti, non patriæ acceptam ferendam puto. Tu quid tibi expediat melius & prudentius, quod ſtatueris quidem non ſolum probabo tacitus, ſed ut optime deliberatum apud omnes defendam. Cupiebam plura, ſed occupationes interpellant. Ignoſces meæ in ſcribendo incuriæ, cum ad virum doctiſſimum ſcribenti ſumma adhibenda diligentia ſit. Vellem equidem ipſe, ſed negotia me non ſinunt. Tu vale & me dilige. Romæ XI. Cal. Febr. Erit tuæ humanitatis quam primum ad me reſcribere.

EPISTOLA XVIII. (a)

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS (b) Sadoleto Pontifici S.

Primum Sadoleti erga ſe beneficia commemorat, poſtea de ſuorum adverſariorum injuriis multis verbis queritur.

EGO quidem mi Sadolete (ſine me quæſo, quod nec ſtudiis nec amicitia noſtra indignum, paulo tecum familiarius agere, quam vel

(a) Epiſtolam hanc conferendam curavimus cum ejuſdem Longolii Epiſtolis editis a Joan. Michaele Bruto Baſil. per Euſeb. Epiſcopium & Nic. Frob. hæredes anno 1580. ubi legitur lib. IV. num. 26. pag. 316.

(b) Hic Machliniæ nobili Germaniæ oppido honeſto ſplendidoque inter ſuos loco natus, tantum brevi tempore in optimarum artium ſtudiis profecit, ut omnes facile diſertiſſimos aureæ ſuæ ætatis viros Romanæ eloquentiæ laude ſuperaturus viſus eſſet, niſi immatura morte in medio ſtudiorum ſuorum curriculo litterarum reip. fuiſſet ereptus. Quamquam autem ineunte ætate quum promiſcue per omnia ſcriptorum genera vagaretur, incondita minimeque æquabili uteretur forma dicendi, attamen vir factus, ita Petri Bembi conſilio unum Ciceronem ſibi imitandum exprimendumque propoſuit, ut in iis quæ ex eo tempore litteris conſignavit, ipſe Tullius loqui prorſus videatur. Longolii Orationum ac Epiſtolarum, duas vidi perantiquas editiones. Prioris hic eſt titulus: *Chriſtophori Longolii orationes duæ pro defenſione ſua ab læſæ majeſtatis crimine, longe exactiori quam ante judicio perſcriptæ, atque ex ipſius authoris ſententia in lucem editæ. Oratio una ad Lushe-*

vel ſumma tua auctoritas, vel perpetuum meum, de tua ſingulari virtute judicium patiatur): ego igitur mi Sadolete ſic mihi antea perſuaſeram, eſſe te virum omnino cum omni literarum genere præſtantiſſimum, tum vero incredibili quadam integritate atque animi conſtantia admirabilem: tanta autem te vel humanitate, vel ſuavitate præditum eſſe, plane neſciebam. Sic enim vitam hominum eſſe arbitrabar, uti quiſque gravitate, temperan-

 tia,

Lutherianos. Ejuſdem Epiſtolarum libri quatuor. Epiſtolarum Bembi & Sadoleti liber unus: quibus omnibus præponitur ipſius Longolii vita perdocte atque eleganter ab ipſius amiciſſimo quodam exarata. Accuratione, typis Jodoci Bladii Aſcenſii, & impenſis ejus, & Joannis Roigny in inclyta Parrhiſiorum Academia 1533. Idem ferme eſt titulns alteræ editionis Venetæ an. 1539. abſque nomine typographi, qui fortaſſe, ut facilius emptores alliceret, addit *nunc primum &c. in lucem editæ*. Porro Longolii vitæ auctorem, cujus nomen in eo titulo reticetur, conſtat fuiſſe Reginaldum Polum Britannum, qui dum Patavii ſtudiorum cauſa commorabatur, Longolium tibi in contubernium adſciverat, quique poſtea in ſacrum Purpuratorum Patrum Senatum a Paulo III. relatus, magnum Eccleſiæ & ſcriptis & rebus præclare geſtis lumen attulit atque ornamentum. Extant etiam Longolii Epiſtolæ editæ a Michaele Bruto Baſileæ, apud Epiſcopium an. 1580. quibus accedunt *Bartholomæi Riccii de imitatione libri tres*. Hujus operis libro tertio Riccius Longolium magnopere celebrat, ejuſque longam defenſionem ſuſcipit contra illos, qui de Longolii ſcriptis parum recte ſentirent; (inter hos fuit Paullus Manutius, ut ex quadam ejus epiſtola intelligitur) probareque contendit in omnibus Longolii ſcriptis ita Ciceronis locutionem ac dicendi formas omnes apparere atque eluceſcere, ut qui, quomodo Cicero loquitur, unus tandem extitiſſe videatur Longolius.

Libe-

tia, dignitate, doctrina maxime excelleret, ita ſe ad hæc familiaria quidem officia minime demitteret. Nunc vero lectis tuis literis, quas tu ad me eodem etiam exemplo plurimas & ſuaviſſimas dediſti, ſane expectationem meam longe ſuperaſti, proficiſtique, ut ipſe a me ſis poſthac etiam valde amandus, non, ut antea laudandus modo, & ſuſpiciendus. Nam quod me turbulentiſſimo illo tempore Melliniano, cum incredibili omnium ordinum invidia iſtic arderem, tuis ſententiis perſæpe ornaſti, quod cauſam noſtram & in Senatu, magno cum tuo periculo, & apud Pont. Maximum, ſumma mea cum laude egiſti: denique quod certorum hominum offenſiones, & multitudinis calumnias fortiter ſubieris, nihilque, tibi vel ſalute, vel dignitate noſtra antiquius eſſe oſtenderis: multum tibi quidem, imo vero tantum iis nominibus debeo, ut ſi ſubditis rationibus tabulas conferre libeat, ſolvendo ſim nunquam futurus. Verum iſta, ut neque tuo erga me amori dediſſe, neque tuendi judicii tui conſtantiæque tuæ cauſa potius, quam quod id æquum eſſe putares, feciſſe videare: ſunt tibi quidem certe cum P. Bembo, P. Paccio, ac nonnullis item aliis viris clariſſimis communia, quos in innocentia noſtra tuen-

Libenter hoc loco univerſam Bartholomæi Riccii de Longolii oratione diſputationem exſcriberem, niſi clariſſimi diſertiſſimique Præſulis Thomæ Emaldi ſtudio ac diligentia inter cetera ejuſdem Riccii opera, hi etiam de imitatione libri omnium manibus tererentur. Ceterum Longolii laudes paſſim celebrat Eraſmus in ſuis epiſtolis col. 249, 348. 966. 1211. 1259. 1514. 1555. &c. edit. Londinen. quamquam eum carpſerit in dialogo qui *Ciceronianus* inſcribitur; quod Ciceronis dictionem nimis anxie Longolius affectare ſibi videretur.

tuenda, pari tecum ſtudio, induſtria, gratia, authoritate contendiſſe non ignoras. At vero quod tu iſta doctrina, dignitate, amplitudine vir, tot privatis, tot publicis diſtentus negociis, ad me, ne literis quidem meis ſubinvitatus, ea quæ diſceſſum meum conſecuta ſunt omnia, tam accurate, nec id una epiſtola, nec aliena manu perſcripſiſti, præſertim cum id ut ſcirem, tua nullam in partem referret, mea plurimum intereſſet; in hoc quidem ſocium habes neminem. Hæc ſcilicet animi tui probitas, hæc facilitas, hæc in hominem exterum, & multitudinis invidia abjectum humanitas, plane tota, quantacunque eſt, quæ certe apud me maxima eſt, tota eſt inquam tua. Itaque adeo me tibi devinxit, ut nulla jam oratione conſequi poſſim, quanti te faciam, quantum tibi debeam, quantum mihi omnem in partem enitendum eſſe videam, ut me gratum memoremque ſemper intelligas. Sed hæc ſuo loco, ſuo tempore commodius. Nunc venio ad tuas literas, quas hic quatuor epiſtolis accepi: quanquam id jam ſupervacaneum in pleriſque earum videri poſſit, ſed quando ita vis, geretur tibi mos, & ſingulis ordine quemadmodum poſtulas, a me reſcribetur. Ad primam, quam ad VI. Id. Septembr. cum in Britanniam iter haberem, dediſti (*a*), tibi hoc reſcribo, me vero ea jam inde ab ineunte adoleſcentia fuiſſe mente atque animo, ut ne cui æqualium meorum ingenuarum artium cognitione concederem: nunc autem ſummo ſtudio conniti, ut me cum vobis patronis fuiſſe non indignum, tum inſolenti atque ſcele-

 lera-

(a) Ep. XIII. pag. 41.

lerata iſtorum inſectatione multo indigniſſimum, æqui & iniqui aliquando intelligant. Nam quod ſtatim a profectione mea, in celeberrimo ampliſſimi collegii conſeſſu, ipſo quoque audiente Pont. Maximo, ita ſunt in me invecti, ut parum abfuerit, quin omnium prope ſententiis hoſtis abſens judicarer: id equidem multorum literis Genuæ primum, deinde Lugduni cognoveram, plenius autem apud extremos hominum Morinos, atque adeo apud ipſos toto diviſos orbe Britannos eadem omnia intellexeram. Quo non enim gentium contumelioſæ illius & peracerbæ actionis fama pervenit? Quas non terras urbanus ille tumultus pervaſit? Ipſis nimirum (opinor, ut ſe exteris nationibus aliquid, & eſſe, & feciſſe oſtenderent) tum ſuis, tum amicorum literis hoſce rumores diſſipantibus. Profecto meorum plerique, ut primum in conſpectum veni, nec oculis ſuis ſatis credere, nec me ſalvum arbitrari: ceteri vero, quod quidem Gallis in more poſitum non eſt, arctius etiam me amplexari: etenim quibus nihil æque præter ſpem accidiſſet, atque ut me incolumem intuerentur. Ut autem a me reditum in Italiam adornari intellectum eſt, non dici poteſt quibus precibus, quibus promiſſis animum meum ab eo conſilio ad remanendum traducere ſint conati. Quid? Poſtquam ſe fruſtra moliri viderunt, ad minas converſi, diris atque execrationibus me defigere, qui ſpem ſuam tam crudeliter fallerem; nullo me non ſupplicio dignum judicare, qui ſciens ac prudens in ipſam invidiæ flammam me coniicerem, qui contumaciter ſpretis neceſſariorum, propinquorumque, & optime de me meritorum hominum precibus, ad ini-

mico-

micorum meorum carnificinam feſtinarem, quam me ſemel evaſiſſe magni miraculi inſtar eſſe ducerent. Sed extremum iſtuc parum ad literas tuas: in quibus quod ais Pontificem Maximum accuſatoris noſtri actiones ita laudaſſe, ut cauſam meam ſuperiorem diceret (*a*), fuit id mihi quidem, pro eo ſane ac debuit, apprime gratum. Verum illud tibi minime aſſentior, illum nominis noſtri delatorem optimo omnia animo feciſſe, atque ſummis virtutibus ornatiſſimum eſſe. Quibus ille vel naturæ vel fortunæ ornamentis ſit præditus, plane neſcio: eſt quidem peſſime, tum de me, tum etiam de ſe ipſo meritus, qui contra bonorum omnium voluntatem, præter jus omne ac fas, auſus ſit me abſentem, imo ne in jus vocatum quidem, in magno conventu, apud Principem ipſum, non tam accuſare, quam probris omnibus impudenter perfundere: quod cujuſmodi, ſit ipſe æquius tu multo dijudicares, ſi, ut es infamiæ inſolens, eodem loci impuris conviciis, non magno tantum ſilentio, ſed mirifica etiam quadam conviciatorum tuorum laude jactarere. Tu optimum illum mi-

(a) De iſta accuſatione hæc habentur in Longolii vita.
„ Accuſavit eum nobilis & diſertus adoleſcens Romanus,
„ in quo magnam dignitatis ſuæ ſpem majores natu Ro-
„ mani collocarant, ad id inductus inimicorum Longo-
„ lii multis & aſſiduis precibus, objecto etiam falſæ
„ gloriæ ſplendore, quod patriæ laudibus; quas oppu-
„ gnatas a Longolio eſſe voluerunt, in hujuſmodi ac-
„ cuſatione adeſſe eum aſſeverarent. Ita vero acerbe &
„ vehementer ipſo audiente Principe Romano, cum
„ multi nobiliſſimi & clariſſimi viri judicio intereſſent,
„ egit, ut nonnulli amici Longolii eſſent, qui de cauſa
„ obtinenda deſperarent „.

mihi, tu ornatiſſimum, qui alterius capitis periculo hiſtrionicæ neſcio cujus geſticulationis famam aucupetur? qui veræ pietatis oblitus; apud ipſos religionis Chriſtianæ principes, in hominem Chriſtianum immaniter debacchetur? qui fœdam illam civium ſuorum ſeditionem ſibi concitandam putarit, ut per hominis novi innocentiſque contumeliam, vel apertum potius exitium, nomen illuſtraret ſuum? Tantum abeſt, ut cauſam ejus mihi probaris, ut ne rationem omnino inire poſſim, quemadmodum mihi Pont. Max. & purpuratos iſtos patres excuſem, quos certe nihil minus decuit, quam iſti in me declamandi poteſtatem facere (*a*). Sed dixit perquam appoſite. Hoc perinde eſt, mi Sadolete, ac ſi tu eum apud me de eo laudares, quod convicium mihi egregie feciſſet. Nolim equidem ipſe quemquam odiſſe, nec ſi juſtis etiam de cauſis odi, alios velim in ſententiam meam trahere. Atqui permagni intereſt, purges ne apud me adverſarios meos, an ornes. Quanquam nebulonem iſtum ne excuſari quidem abs te poſſe

(a) Te quidem, Longoli excuſare non poſſum ab aliqua temeritatis nota, quem nihil minus decet in propria præſertim cauſa, Leonem decimum Pontificem Max. a quo ſummis beneficiis cumulatus es, purpuratoſque Patres ſubaccuſare, quaſi non modo habitæ in te orationi non præeſſe, ſed ne nobiliſſimo quidem Romano adoleſcenti adverſum te perduellionis reum conſtanti totius fere civitatis teſtimonio accuſatum, declamandi poteſtatem facere debuiſſent? Quamvis enim optimus Princeps de tua innocentia conſcius eſſet, ne tamen aliquid in te abſolvendo, gratiæ, aut amicorum tuorum precibus tribuere videretur, non modo eum decuit accuſatoris tui orationem audire, ſed id etiam judicii ipſius ratio quodammodo flagitabat.

ſe reor, qui cum ſub profectionis meæ tempus per communes amicos, ac etiam Regis Franciæ legatum mecum egiſſet, facillimeque impetraſſet, (quis enim me humanior?) ut in gratiam rediremus, continuo tamen a diſceſſu meo, non contentus his ſcilicet, quæ in præſentem tota urbe evomuiſſet, auſus eſt... Sed non faciam ut vulnera mea ſæpius refricem, ulciſcar hominem. Quid dixi? imo hominem amabo, petulantiam ejus & perfidiam ſemper averſabor. Parum tibi e religione Chriſtianus adhuc videor. Sit igitur ſane per me quidem, quando ita tu vis, nec ipſe mihi immitior quam ſibi fuit, vel optimus, vel ornatiſſimus, nec tam ipſe accuſandus, quam ſceleſti illius ſubſcriptores inſectandi, quorum conſiliis actus inſanire cœperit. Quod autem me mones, ut aliquanto majorem valetudinis meæ, quam ſtudiorum noſtrorum rationem habeam, agnoſco humanitatem tuam: ſed mehercule non ſum tam ſtudioſus, quam tu fortaſſe exiſtimas, nec ſalutis meæ tam ſecurus, quin malim hoc ocio diu perfrui, quam nihil ſtatim neſcire. Nam quod ais prolata defenſione noſtra, non modo cauſam meam omnibus probatam fuiſſe, ſed magni etiam inde me oratoris nomen retuliſſe; ego vero utrum moleſtius ferre debuerim, neſcio: inimicorum ne vulnus, an potius amicorum remedium. Illo enim in me totius prope Italiæ odia concitata audio: hoc me vobis ridiculum præbuiſſe non dubito. Etenim doctis hominibus eam orationem tantopere probari, ut credam, fieri qui poteſt: quæ ne meum quidem judicium unquam promereri potuerit? Solari me ſcilicet in tanta calamitate voluiſti;

δὲ μήτις μᾶλλον εἰρωνείαν φῇ, καὶ μυκτῆρα οἷον τὸν ἀττικὸν προσεῖναι τῷ ἐπαίνῳ. Qua tamen in ſententiam adduci non poſſum, qui in te non minus fidei, & humanitatis, quam prudentiæ ſemper & conſilii eſſe judicavi. Verum quoquo modo res ſe habeat, dabitur a nobis opera, ut & Italorum voluntates recuperemus, & labefactatam ingenii noſtri fidem aliquando recipiamus. Singularem erga me P. Paccii & fidem, & animum, vehementem item Bapt. Caſalii in tuenda dignitate noſtra propugnationem, etſi coram perſpexeram, neque de eorum conſtantia quicquam dubitabam; fuit mihi tamen ex literis tuis cognoſcere perjucundum, quam fideliter, quamque honorifice etiam abſentis cauſam defendiſſent. Iſtius patrocinii ne eos unquam pœniteat diligenter curabimus. Quod me ad extremum hortaris, ut forti animo inimicorum injurias ſufferam, ſimul & quantum mihi elaborandum ſit videam, ut incredibili, quæ de me excitata eſt, expectationi ſatisfaciam: ego vero præclare utrumque mihi facere videor, qui & illas jampridem devoravi, jamque concoquere incipio, & ad eam, quam de me concitaſtis, ſuſtinendam opinionem me dudum comparavi. Equidem in hoc ſum uno dies ac noctes totus, ut (quod initio tibi ſum teſtatus) tum me vobis patronis fuiſſe non indignum, tum vero capitali illa, & famoſa inſectatione multo indigniſſimum, non ſolum hæc hominum ætas, verum etiam omnis poſteritas intelligat. Jam venio ad epiſtolam, quam VII. Idus Decembris, cum Mediolani (opinor) eſſem, dediſti (a): cui quidem tamen quid reſpondeam non ſane habeo: tantum

(a) Ep. XIV. pag. 45.

tum enim mihi de meo in Italiam reditu gratularis; ſed ita mehercule, ut humanitatis amoriſque erga me tui veſtigia nullis quidem literis imprimere potueris illuſtriora. Nam cum nullum meum extet in te officium, tua vero in me toti jam Italiæ nota ſint merita; ſic tamen negas quæ in me contuleris conferaſque beneficia prætermitti abs te ſine ſcelere & ſumma inhumanitatis nota potuiſſe. Hæc ipſa ſunt, mi Sadolete chariſſime, quæ me tibi magis, quam illa ipſa beneficia devinciunt, quæ mihi ſomnum ſubinde excutiunt, nec me vigilare ſine cura, opinor, patientur, quoad præclarum aliquod grati erga te animi documentum protulerim. Ad Pont. Maximum ſcribendi ſic mihi author es, ut interim nec qua ratione, nec quatenus cum illo nos agere velis, præſcribas. Atqui id inprimis abs te expectabam. Veruntamen ſi quemadmodum tu ſcribis, literæ illi meæ ſilentio gratiores futuræ ſunt, non committam ut in eo officium noſtrum diutius a quoquam deſideretur. Nicolaus Teupolus talem ſe nobis hic præbuit, qualem tu mihi illum fore prædixeras. Studioſus eſt & doctus, & homo apprime temperatus: humanitate vero tanta præditus, quantam ab ejus ordinis nemine expectaram. Hæc ad alteram epiſtolam. Nam ex tertia (*a*) proſpexi, quam vel in ſcribundis ad me literis eſſes officioſus ac diligens, qui ſimul atque tuas mihi nondum redditas eſſe intellexeris, duas illas ſuperiores cum ea quam ad Gul. Budæum dediſſes (*b*), eodem mihi exemplo ſtatim curaris. In quo illud qui-

(a) Ep. XVI. pag. 52. (b) Ep. XV pag. 49.

quidem peropportune cecidit, quod hac mihi ratione tuam ad Budæum, legendi poteſtas facta ſit. Qua ſane ex re tanta ſum voluptate affectus, ut hoc equidem tempore nulla potuerim magis. Sed quoniam idem Budæus ad Bembum quoque noſtrum ſcripſit, literaſque ejus elicuit, mitto tibi illarum exempla, ſed ea mediusfidius lege, ut tu me itém Budæi ad te epiſtolæ partipicem facias. Nam quod Lælium Maximum in mittendis tuis ad me literis negligentiæ accuſas: ille autem ſtatim ut me Venetias appuliſſe audivit, officio functus eſt. Poſtridie enim quam tibi ſcripſeram, tuas omnes accepi. Vellem idem Lælius ſe mihi tam facile de taciturnitate ſua purgaret, quam eum tibi hoc nomine excuſo. Addebas Leoni noſtrum ad urbem adventum in expectatione eſſe maxima, frequentemque & perhonorificam, atque amicæ voluntatis plenam ab eo de nobis mentionem fieri. Id ſi ita eſt nondum plane abjecti ſumus, ſperamuſque iſtorum injuriam nobis aliquando, & honori & emolumento fore. Conſedi autem hoc potiſſimum loco, quod & ab urbano iſto tumultu ſit alieniſſimus, & eorum mihi librorum hic fiat poteſtas, ſine quibus inſtituta a nobis opera recte perfici atque perpoliri non poſſint. Nam quod ſuſpicaris me Bembi noſtri conſuetudine adductum huc migraſſe; valuit illa quidem ad id plurimum, ſed magis (mihi crede) locus ipſe & Nicenæ bibliothecæ quoties libeat excutiendæ facultas. Jam deinceps epiſtolæ quam ad me proxime, ideſt ante XI. Cal. Febr. dediſti (*a*), reſpondeo: atque illud equi-

(a) Ep. XVII. pag. 53.

equidem primum: mihi jam non eſſe novum, me abs te eorum fieri certiorem omnium, quæ tu ad rationes noſtras pertinere arbitraris: Deinde mihi gratiſſimum fuiſſe, quod qui tuus eſſet ea de re tota ſenſus, libere aperueris. Ego enim pari libertate animi (quod quidem te non nolle oſtendis) quæcunque mihi in mentem veniunt, diligenter perſcribam. Sic enim te rebus meis conſulere certo ſcio, ut ſalutis atque dignitatis noſtræ rationem in primis haberi velis. Atqui hoc in genere utraque nobis conſtare ut poſſit, non plane deſpicio. Nam ut ſit incredibile totius erga me Florentini populi ſtudium, ut præclarum, nobiliſſimæ atque ſapientiſſimæ civitatis juventutem optimis, tum moribus, tum literis inſtituere, denique ut iis conditionibus, & præmiis homo tranſalpinus accerſar, quæ ſuperbum ſit homini Italo, vel qualibet excellenti doctrina prædito repudiare; vide tamen mi Sadolete, ne mea ſit cauſa, ut ego id muneris vel honeſte ſubire, vel etiam ſuſtinere non poſſim, qui jus civile jam olim profiteri cœperim, qui in foro Lutetiæ Pariſiorum ita ſim verſatus, ut in centumvirale illud judicium allegerer, qui nec Pannoniæ regum nec Galliæ promiſſis ceſſerim, nec eos quibus nos Leo Pont. Max. ornatos eſſe voluit, honores abjicere poſſim, præſertim cum is ocium noſtrum perhonorifice copioſiſſimeque adhuc tueatur. Hic tu mihi, ſcio, Julium Firmicum, Lucianum Syrum, Lactantium Firmianum narrabis, quos conſtat relicto foro atque judiciis, ad hanc ſe vitæ partem totos contuliſſe. Ego vero etiam ipſum M. T. Ciceronem poſt felicem illam nunquam ſatis laudati conſulatus ſortem; poſt fortiter & in-

& integerrime adminiſtratam provinciam, relatumque inde Imperatoris nomen, & laureatos faſces; quaſi ludum amicis aperuiſſe ſcio: hac etiam ætate docuiſſe literas Hermolaum Barbarum, & Hieronymum Donatum patricios Venetos non ignoro. Addo illud: multos hoc ſibi inſtituto viam partim ad conſularia inſignia, partim ad conſulatum ipſum muniviſſe, Senecas, Quintilianos, Auſonios, Floros, Frontones. Sed ii illis temporibus docuerunt, cum ea res multum etiam dignitatis afferret. Nunc cum & hæ jaceant artes, ad quas tu me vocas,& mihi populo ſcenæque ſerviendum ſit, & tuenda in primis gravitas: vereor ut familiæ noſtræ honori ſatis a me conſultum homines judicent, ſi huc deſcendero. Sed contemnamus ſane vulgi opinionem, ſtatuamuſque non poſſe turpe id docere, quod ſit multis glorioſum ſcripſiſſe, omnibus honeſtum didiciſſe: etiam ne me obeundo muneri parem fore putas? Ego ſane, quod me fateri quidem pudet, ſed hic fatear neceſſe eſt, nondum ad eum doctrinæ gradum perveni, ut quiſquam ea in re optima mea opera uti poſſit. Magnum eſt, mihi crede, negocium & laboris & diſperationis plenum, acerrimo eruditæ illius civitatis judicio ſatisfacere, cui haud ſcio an Argyropoli, Chalcondyli, Laſcares, Aretini, Politiani, Landini, Marcelli omnino ſatisfecerint. Auget hanc meam diffidentiam non tam conſcientia mediocritatis noſtræ, quæ tamen ipſa maxima eſt: quam quod incredibilem expectationem illic eſſe, vel adventus, vel doctrinæ noſtræ prædicas. Quis enim tantæ opinioni reſpondeat? Ne tu hic illud modo ſpectes, quid de me aut certi homines, docti quidem

illi

illi & graves, ſed nimis amantes mei judicent, aut etiam ipſe tu ſperes : illud potius tibi fac occurrat, quantulum id ſit quod a nobis nunc præſtari poſſe exiſtimes. Præſenti enim, & numerata pecunia opus eſt, non ea quæ annua, bima, trima die curetur. Verum fac a nobis vel ſtudio, vel diligentia effici poſſe quæcunque deſideraris. Vacuum ne etiam periculo conſilium tuum,& me invidiæ parem fore mihi præſtabis ? Scis quanto capitis mei periculo Romæ certatum ſit. Vicimus nos quidem, & juſte, deus immortalis, vicimus ; ſed tamen plus offenſionis apud multitudinem ipſa victoria contractum eſſe, quam cauſa non ignoras. Quam tu me vel fortem, vel prudentem hic eſſe velis, neſcio. Equidem ſæviſſimas invidiæ tempeſtates excitari jam proſpicio, & imperitorum in me renovari odia. Hominum certe nobis aperte iratorum illa mihi jam audire videor: unde nobis ab ultima Barbaria novus Anacharſis iſte ? An non ille Italiæ inimicus ? Pop.Romani hoſtis ? Apageſis longum & infelix iſtud lolium. Eorum vero qui nobis obſcurius ſunt iniqui, aut etiam patriæ ſtudioſi, paulo forte mitior fuerit oratio, ſed haud ita diſpar ad diſturbanda conſilia noſtra ratio. Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes ? Non adeo neque effœtam, neque ægram eſſe Italiam, quin ipſa ſibi dicendi magiſtros ſuppeditare poſſit. Non modo ad Hetruriæ populos, ſed ad univerſos Italos hanc pertinere, nec omnino diſſimulandam eſſe contumeliam, ut uſque trans alpeis accerſatur barbarus aliquis, qui latinas in ipſo Latio literas conſerat. Præclare nimium mecum actum, quod in Romanam civita-

tem

tatem, veſtra paucorum factione irruperim: jam non eſſe tolerandum, ut Romanos ipſos latinas artes atque literas tanta unus gloria in Italia doceam. Quid quæris? Eo me certe nomine, quaſi ex jure manum conſertum vocabunt. Quæſo, quid tum tu? quid ego? qui cum inveterata illa ardeo invidia, & ſum iſtiuſmodi hominum injuriis, neſcio quo meo fato opportunus, tum vero meapte natura litium fugiens, nec ad ſubitas eorum velitationes ſatis exercitatus. Age vero, vincantur omnes facile a nobis, vel juſtis, vel tumultuariis prœliis. Horreo tamen adhuc τρῶας καὶ τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους; ſed aliter profecto atque Hector ille Homericus. Nemo enim iſtorum eſt, quin ſe de Italiæ nomine atque dignitate optime mereri arbitraretur, ſi me inde, quando aliter non poſſet, vel veneno, vel ferro exturbaret. Vides iniquum pugnæ genus, in quo turpis infamiæ plaga victo accipienda ſit, victori paratum exitium, mortuo etiam miſericordia deſutura. Quis enim vel meorum vicem meam doleat, ſi ſemel facto naufragio, ipſiſque multum & diu reclamantibus, eo me iterum demiſero, unde exitum nullum videam? Quibuſnam igitur, inquies rebus adductus in Italiam revertiſti? Primum ut fidem, quam de meo reditu vobis dederam, liberarem: deinde, ut veſtra doctiſſimorum atque optimorum virorum conſuetudine fruerer: poſtremo quod ad excitanda fovendaque ſtudioſorum hominum ingenia plurimum conferre ſum arbitratus cœli veſtri clementiam, terræ halitum, maris afflatum, atque ut uno verbo complectar omnia, felicem illum ac plane divinum Italiæ genium ſum

ſum ſecutus: qui etſi nobis, hoc eſt tranſalpinis gentibus, ſua ſponte non admodum favet; exorari tamen ſe nonnunquam patitur, obſervantiaque noſtra & aſſiduo cultu delinitus non minore nos interdum indulgentia, quam indigenas ipſos complectitur. Hæc fere ſunt, mi Sadolete, cur vicenis illis quinis in annos ſingulos ſeſtertiorum nummum millibus haud ita movear, & rem totam ad veſtrorum hominum quempiam deferri malim: quæ ſi tibi probabuntur, ocio noſtro, & inſtitutis a nobis ſtudiis bene conſultum judicabo: ſin minus in poteſtate tua tamen ſum futurus. Nec enim is ego ſum, qui conſilium meum anteponi velim tuo, quem toto de me animo, ac ornamentis commodiſque noſtris prudentiſſime cogitare exploratum habeo. Sed fuit tibi gerendus mos, qui cum multa ſententiæ tuæ convenientia diſputaſſes, quare munus iſtud a me recuſandum eſſe non putares, ad extremum volueris, ut ſi a te in eo diſſentirem, diligenter & continuo reſcriberem, quod quidem a me factum eſt, eo etiam die quo tuæ mihi ſunt redditæ: facturus id tamen ipſum accuratius & per ocium, niſi mihi tuis literis hanc feſtinandi neceſſitatem impoſuiſſes. Quod ſi tu bona fide, tuæ in ſcribendo incuriæ, tibi a me ignoſci poſtulaſti, quid me hic tandem facere par eſt, qui ad te, idque ſubito ſcribam? Sed non committam, ut tu me vel ineptum, vel delicias hic facere exiſtimes, præſertim cum jamdudum epiſtolæ modum exceſſerim: ſi modo hæc una epiſtola appellanda eſt; qua ad quatuor tuas uberrimas & elegantiſſimas reſpondi; & quam multa, ſi non quam paucis, haud ita certe multis ex-

explicui . In eo tantum te admonitum velim, ut ſive propter literarum exilitatem & πέπυκνωμένως compreſſos verſus, ſive etiam propter manus noſtræ ruditatem (*a*) difficilior tibi videbitur harum lectio, cures eas tibi per librarium tuum luculentius deſcribendas: quod quidem inter ſe Budæum & Eraſmum noſtrum factitare audio, quos tu, ſi me audies, hoc in genere authores non aſpernabere. Vale. Venetiis prid. Cal. Februarii.

EPISTOLA XIX. (*b*)

JACOBUS SADOLETUS

Chriſtophoro Longolio S.

De Celſi Mellini ejus adverſarii obitu narrat. Quod patriis rejectis rationibus in Italiam ſeſe contulerit, laudat; hortaturque ut publicum munus, quo omnium expectatione vocatur, ſuſcipiat.

Accepi tuas quaternis, ut ais ipſe, meis literis reſcriptas, in quibus omnia me delectarunt, ac præſertim illud, jamdudum te cognoſſe, te a me diligi, quod equidem tribuo jure cum virtuti tuæ atque doctrinæ, qua ut ego mehercule ſentio, ita nunc præſtas, ut ſpem quoque nobis præbeas te ad ſummum hujus laudis perventurum, tum vero probitas mihi tua viſa eſt ſemper amabilis, ac

(a) Alia editio *ruſticitatem*.

(b) Extat tom. 2. Operum edit: Veronen. pag. 159.

ac ea in primis animi altitudo, qua rejectis patriis rationibus in Latium te atque ad Italiam, conſequendæ ac fruendæ humanitatis cauſa retuliſti. Sed hæc ſatis jam nota omnibus eſſe & teſtata debent. Quod de Celſo durius ferre viſus es, ignoſco equidem nec reprehendo juſtam iracundiam. Verum ille præclariſſimæ indolis adoleſcens ſubita morte ereptus patriæ atque ſuis, multorum ſpem quæ de ejus futura dignitate præcepta fuerat, civiumque ſuorum amorem, repente orbum & deſolatum reliquit. Liceat ergo ejus manes non ſolum pacatos, verum & laudatos ab omnibus nobis quieſcere: cujus ego viventis inimicitias contra te ſuſceptas non accuſare, ingenium vero & reliquam probitatem non amare non potui: cujus funus incredibile eſt quantus moeror bonorum omnium & quæ publica lamentatio fuerit proſecuta. Principis erga te voluntas propenſa eſt, ac vellem in tuis litteris adſcripſiſſes, ecquid de tuo adventu in urbem, quodve ad tempus nobis ſperandum eſſet. Libenter enim cum eo communicaſſem, nunc ſuadeo tibi, ut omnino & celeriter ad eum ſcribas, nec ſane apparatu opus eſt. Nihil illo facilius, nihil communius, gratam in primis habet obſervantiam eorum, quorum apud animos vivere intelligit memoriam nominis & liberalitatis ſuæ. Quod ad illud munus attinet, quo ego te vocari omnium expectatione antea ad te ſcripſi, diſputas tu quidem in utramque partem: ſed in eam pronius, quaſi vile hoc aliquid, & parum homine ingenuo dignum conſtituas; in quo ego judicium non interponam meum. Satis enim in te ſtatuo eſſe conſilii: in eo utique pa-

patieris te objurgari, ſi jure nimium mihi aſperas, & duriores quam natura fert res tuas fingere videris. Mi Longoli habet omnino omnis præclara virtus æmulationem quamdam & afflatu invidiæ attingitur, non uſque eo tamen ut de vita in diſcrimen veniendum ſit. Civiles accidunt diſſenſiones & comes gloriæ obtrectatio; oratio etiam quandoque aſperior, verum ea citra facinus; quamquam ego te ſi ad eam provinciam dediſſes, ſpem maximam obtinebam, ſopitum iri facile omnes illas invidiæ tempeſtates prudentia tua. Nihil enim æque atque facilitate & patientia frangitur contumacia,& ea demum in magnam gloriam vertit,ſi qui uti ſciunt: quod qui ignorant, ii non fortunæ culpam accuſent, ſed reprehendant ſuam. Te quidem optimis litteris honeſtiſſimiſque artibus præditum, civitatis ejus civem ob honorem virtutis factum, e qua in omnem terrarum orbem, totius humanitatis & ſapientiæ non magis præcepta, quam exempla redundarunt, attollere animum decet ſupra hujuſmodi injurias, & omnem levitatem virtuti obtrectantium, animi tui conſtantia inferiorem ducere. Quare ſi in eam ſententiam te contuleris, ut tibi illuc adeundum, oblatumque negotium ſuſcipiendum videatur eſſe, quid dignitatis tuæ ſit, ſtatues ipſe. Non enim audeo monere te in hoc vel hortari, aut ſi id quoque noſtræ amicitiæ ratio poſtulat, ſatis a me ſuperioribus litteris factum eſſe arbitror. Nam de emolumento quod quæris, ſpero confici poſſe in annuum ſtipendium, aureum nummum ad quadringenties. Quod mehercule rarum auditu eſt, vel mirabile potius in hoc genere dicendi.
Sed

Sed tanta eſt opinio tui,noſtris quoque & aliorum teſtimoniis corroborata, ut videantur qui te expetunt, quo volemus adduci poſſe; in quo amplius etiam contendemus quam diximus, ubi certum ſcierimus quod tibi denique de ea re fuerit conſtitutum. Nam ut conſtituas primo quoque tempore, ne diutius illi a me expectatione ſuſpenſi teneantur, te vehementer rogo. Quodcumque certe conſtitueris, id judicabo rectum. De oratione tua quod ægre vulgatam fers, agnoſco vim judicii tui: ſperas enim te melius ſcribere & accommodatius poſſe. Res quidem ipſa pleniſſima laudis fuit, nec a me ſcriptum quidquam, quod aſſentationi ſit, quam veritati propius. Neque eo nunc dico, quin in ea nonnulla inſint, quæ diligentius perpoliri poſſe videantur, ſed totum illud præclarum eſt, & ingenio & copia, & quam maxime movendis affectibus tua omnium celebrationem & laudem meruit oratio. Quo circa bono te animo eſſe volo. Itaque exiſtimare, ſi quid in me veri & recti eſſe putas, fuiſſe eam rem tibi gloriæ, cetera ſi quæ reſtant cum otium erit ſcribemus ad te uberius. Nam ut nunc ſe res habet, ſcito nullum mihi diem a publicis vacare curis, ut ne ſubciſivis quidem, quod ajunt, horis ad mea exoptata ſtudia mihi detur reditus: ſed hoc Deus viderit. Bembo meo quem avide expecto, plurimam meis verbis ſalutem dic; itemque Nicolao Teupolo. Vale. Sexto Calend. Mart. Die biſſextili.

EPISTOLA XX. (a)

CHRIST. LONGOLIUS JAC. SADOLETO S.

Gulielmi Budæi Epiſtolam ad eum mittit, ſuumque gratum in illum animum oſtendit.

MIſſurus tibi Gul. Budæi epiſtolam, facere non poſſum, quin ipſe quoque dem aliquid ad te literarum: quanquam quod ſcribam non ſatis occurrit, niſi hic tibi fortaſſe vis tua in me beneficia ut commemorem. Atqui hujus commemorationis te, ut puto, jam cœpit ſatietas: me quidem jam pudet, in ea toties habenda gratia elaboraſſe, quam ne cogitatione quidem ulla conſequi poſſum; ſimul & illud vereor, ne hoc tibi nomine in aſſentationis ſuſpicionem veniam, quaſi frequens hæc tuorum erga me meritorum prædicatio non officio, ſed tempori tribuatur. Non commemorem? quid igitur ſcribam? aut qua me tibi nunc quidem via memorem gratumque oſtendam? Sic ſcilicet faciam: poſthac tum denique ſcribam, ſi quid erit, cujus te certiorem per me fieri oporteat. Nam quin tibi ſtudium, benevolentiam, obſervantiam quam debeo vel abſens præſtem, te non dubitare certe ſcio. Scribo equidem ad nonnullos iſtic, etiam cum nihil eſt opus, ſed ad eos omnino quibuſcum mihi aut domeſtici uſus, aut familiaritatis aliquid intercedit: te iſta gravitate, dignitate,

(a) Extat Longolii epiſtolarum lib. I. pag. 130. edit. Venetæ.

te, doctrina virum iſtis occupationum, quaſi fluctibus obrutum hominem crebrioribus literis interpellare non audeo. Tu modo fac me ames, & valeas: nos enim ita, ut cum maxime, tum te amamus, & obſervamus, tum vero valemus, & literis noſtris utimur: eo etiam ſane conſilio, ut tibi ocii noſtri rationem per ocium aliquando reddamus (*a*).

EPISTOLA XXI. (*b*)

CHRIST. LONGOLIUS JAC. SADOLETO S.

Carpentoractenſium in eum amorem, ejuſque virtutum opinionem, ac illius deſiderium & expectationem commemorat.

ETſi ſane non habeo, neque quod ad te ſcribam (ſcis enim mihi jam literas tuas expectandas potius eſſe quam meas tibi) neque omnino quo literas mittam (audio enim te jamdiu trans alpeis profectum) (*c*), cum tamen ad P. Bembum collegam tuum ſcripſiſſem (*d*), facere non potui, quin ad te quoque lite-

(a) Huic & proxime ſequenti Epiſtolæ reſpondet Sadoletus ep.xxiI. pag.80.

(b) Ex lib.iI. epiſt.Longolii pag.140.

(c) Non ante an.1523. Sadoletum Roma diſceſſiſſe & Carpentoracte migraſſe, demonſtravimus in notis ad ejus vitam pag.xvi. Hæc autem epiſtola an.1520. ſcripta videtur.

(d) Hinc Bembus Longolio reſpondens xiiI. Cal. Septembris 1520. lib.v. ep.16. „ Collega meus (inquit) „ Roma pedem non extulit: Princeps eum retinet, & „ ut puto retinebit „.

literarum aliquid darem, quod ille tibi ubivis gentium eſſes reddendum curaret. Itaque ſi forte adhuc in Italia es, hoc tibi plane nomine gratulor: nec enim neſcis quanti apud me ſit Italiæ genius. Sin Carpentoracti: gaudeo equidem, ſed non tam mehercule tibi qui in Provincia ſis cum imperio, quam civitati ipſi atque provincialibus tuis omnibus, quos quidem te præſide ſacrorumque antiſtite beatos ſemper quidem judicavi, ſed anno potiſſimum ſuperiore, cum non ſolum ex eorum oratione, verumetiam ex vultu & oculis & fronte cognovi, cum quam tu illis charus eſſes, tum ut omnem felicitatis ſuæ ſpem in te contuliſſent unum. Optima enim, mea quidem ſententia felicitatis pars hæc eſt, ut quis ſe felicem eſſe putet, aut certe futurum ſperet. Equidem cum illac iter Lutetiam Pariſiorum facerem, tanta erat in expectatione adventus tuus, ut pro eo ab omnibus certatim ordinibus vota fierent; comitumque meorum nonnulli, qui te plane non noſſent, interdum ſubvererentur, ut tu tantam expectationem ſuſtinere ac tueri poſſes, quoad a me plenius edocti, qui ipſe tandem eſſes, quod erat, ſentire cœperunt, te non modo inſigni ad laudem virtute tua hominum opinioni reſponſurum, ſed prædicationem etiam meam facillime ſuperaturum. Atque ego mediusfidius non dubito, quin & integritatis tuæ famam, & doctrinæ gloriam, & ſanctitatis opinionem adventu tuo confirmaris, eoſque virtutum tuarum admiratione omnes ita in te converteris, ut ſe non ab urbe Roma miſſum aliquem, ſed hominem plane divinum, atque de cœlo lapſum intueri exiſtiment. Quod au-

autem ad me attinet, illud tibi perſuadeas velim, neminem eſſe mortalium, quem ego pluris faciam quam te, neminem quem magis amem, neminem cui vel plus, vel libentius debeam. De quo, etſi te, nihil etiam ſcribente me, non dubitare certo ſcio, ſcribendum tamen ad te putavi: atque omnino in eam partem peccare malui, ut in eo inanes potius, quàm nullas a me literas acciperes. Quod tibi ante quintum menſem ſcripſi, me ſimulatque neceſſarios meos de Florentino negocio conſuluiſſem, ex illorum ad te ſententia, atque authoritate ſtatim ſcripturum: ſcito illos poſtquam in Italiam redii, nihil ad me neque literarum, neque omnino pecuniarum miſiſſe: ut equidem accuſatores meos mihi infeſtiores eſſe non putem, quod in civitatem tanto bonorum conſenſu ſim receptus, quam illos quod contra voluntatem ſuam in Italiam reverti. Sed facile ſpero, ut cum iſtorum improbitas tuis ceterorumque amicorum meorum conſiliis infringatur, tum vero illorum cogitationes vel officiis noſtris, vel ipſa die debilitentur. Si quid tamen aliquando tandem reſcripſerint, ad id meas accommodans literas, ex illorum ſermone ad te ſcribam, neque tamen ſi iniquiores in me eſſe pergent, conſiliis eorum ſtabo, ſed ipſe mihi plàne conſulam, modo res nobis integra ad reditum tuum reſervari poſſit. Quod ſi nihil omnino ſcripſerint, non multam quidem ipſis, & Galliæ univerſæ ſalutem dicam: ſed faciam profecto ut intelligant, me, & novarum amicitiarum conjunctione, adverſus veterum iniquitatem munitum eſſe, & quam in partem meum in Italiam reditum accipiant non magno-

pere laborare. Interea curabo, ut mihi fructus ocii mei conſtet, ejuſque tibi ratio aliquando a me reddi poſſit. Vale. Patavii prid. Idus Julias.

EPISTOLA XXII. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Chriſtophoro Longolio S.

Reſcribit Longolio ſe cum libris in gratiam rediiſſe, & cum illis omnem ſuam ducere rationem cogitaſſe.

BInas tuas accepi, quarum ad priores meas reddidi nullas, non mehercule negligentia, nec quod amoris in te mei (quod tu neſcio quo pacto ſuſpicari viſus es) facta fuerit imminutio: quod nec fieri ullo modo poteſt, neque vero ſuſpicari ſane decet; ſed quia mihi in ſtudiis literarum vehementer occupato animus alio verſum diſtractus, hanc curam & cogitationem reſpondendi tibi, vel tanquam minus neceſſariam omiſit, vel in aliud tempus commodius reſervavit. At nunc quod tuæ me recentiores admonuerunt literæ, non patiar a te deſiderari officium meum. Ac primum tibi illud prædico, me re tota prius bene conſulta ac diligenter conſiderata, tandem poſthabitis ſermonibus hominum, & eorum

(a) Extat Sadoleti operum edit. Veronen. tom. 2. pag. 157.

rum opinionibus, qui me ad ambitionem & vitam negocioſam revocabant, contentum ea fortuna quæcumque mea eſt, ex his fluctibus in quibus nimium diu ſum verſatus, in portum me contuliſſe, rediiſſeque cum libris noſtris in gratiam: a quibus liberalius acceptus etiam quam putarem, cogito poſthac meam omnem cum illis ducere rationem, nec tantum, ut veterum legendis monumentis eam delectationem capiam, quæ maxime liberalis & digna homine ingenuo eſt; ſed etiam ut promam ex me aliquid, quod ſi minus eruditis ingeniis propter doctrinam, at propter conatum egregiæ in me voluntatis, ſaltem probatum eſſe poſſit. Quamobrem quod ad me ſcribis, fore aliquando, ut conſtet apud me ratio ſtudiorum tuorum, ejus mihi rei expectatio ita jucunda eſt, ut viciſſim tibi denuntiem, accipiendam tibi quoque eſſe rationem meorum; contendamus modo acri animo, & quam inter nos conciliavit ſtudiorum ſimilitudo, eorumdem nunc exercitatio augeat benevolentiam: aut ſi nil addi ad bene conſtitutam amicitiam poteſt, erit tamen inter nos conſuetudo jucundior, cum de eiſdem & tractabimus & cogitabimus literis. Nam quin ad optimas uterque noſtrum, ſtudium omne direxerit, alteri de altero haud dubium eſt: idque ita eſſe tu exiſtimare de me, ego de te polliceri poſſumus. Sed quod ad me quidem attinet, hujus rei atque ocii majorem facultatem videbar habiturus, ſi mihi egredi ex hac urbe, & in meam eccleſiaſticam provinciam proficiſci contigiſſet. Una enim atque eadem opera, & Deo ipſi ſatisfeciſſem, cujus jam unius ſervus ſum, & mihi ac tran-

D 5 quil-

quillitati meæ rectius conſuluiſſem. Sed quando id mihi de principis voluntate non licitum eſt, eſtque hæc civitas in primis ad fallendum & diſturbandum animos idonea, robore animi & virtute adnitendum eſt, ut in mediis ipſis fluctibus portum, & in tanta morum, ac judiciorum varietate, conſilii noſtri conſtantiam teneamus. Sed hæc hactenus. Ego te toto pectore vacare incumbereque litteris, & gaudeo amicitiæ noſtræ cauſa, & tibi gratulor, authorque ſum, ut nihil potius æque præſtabilius ducas. Illud cenſeo, habere te oportere valetudinis rationem, qua ſine, omnia corruant neceſſe eſt, etiam quæ præclare videntur poſita. Legi Budæi noſtri literas ſcriptas ſane quam benevole. Velim Leonicum hominem & literis & probitate inſignem meis verbis ſalutes. Navagerio autem ſi erit commodum, etiam gratias ages, quod de me honorifice ſit in ſcriptis ſuis locutus (a), etſi me non minus benevolentia ejus, quam teſtimonium delectat. Vale. Ex Urbe III. Calend. Jan.

(a) In Epiſtola fortaſſe XII. nuncupatoria tertii tomi Orationum M. Tullii Ciceronis, quam vide ſuperius p. 34.

AN-

ANNO M. D. XXI.

EPISTOLA XXIII. (a)

Christophorus Longolius

Jac. Sadoleto Pontifici S.

Gratias agit Sadoleto, quod ſuam ſibi domum obtulerit, promittitque ſe ſtatim ac ſuas rationes expedierit, ejus liberalitate uſum iri.

HIS literis quas mihi heri M. Antonius Michael Venetiis miſit, magnum cœpi cum officii, tum vero etiam tui de me judicii fructum: officii, quod te mihi de literarum tuarum ſilentio tam accurate excuſandum putaris: judicii, quod me tecum vivere, & tua omnia mihi volueris patere. Omnino, etſi ea mea eſt fortuna hoc tempore, ut nihil abs te mihi potuerit deferri gratius, ſcito tamen egregiam tuam iſtam erga me voluntatem, promiſſorum tuorum exitu mihi multo eſſe gratiorem: non quo iis quæ oſtendis opinionem viceris meam, (pollicitus enim mihi ſum de te ſemper omnia quæcunque ab homine amiciſſimo & eodem liberaliſſimo expectanda eſſent): ſed quod literas legens tuas, prolixam iſtam & beneficam tuam naturam mihi cernere atque plane intueri viderer. Itaque cum gratias tibi, ut debeo, ago maximas, tum ut iſto in me animo in perpetuum eſſe velis, te vehemen-

(a) Extat epiſtolarum Longolii lib. iv. pag. 240. edit. Venetæ.

hementer etiam atque etiam rogo. Ego enim ne quod unquam memoris a me, & grati hominis officium adverſum te prætermiſſum eſſe intelligas, obſervantia, ſtudio, aſſiduitate, uti ſpero, perficiam. Nam quod ais nullam tibi videri cauſam quare Patavium Urbis domicilio anteponam: ut neve quid hic de mea invidia, neve de iſto Urbis ſtatu afferam; ego vero ſi tam expeditas vivendi rationes haberem, quam tu, mea non magnopere intereſſe arbitrarer utrobi ætatem agerem. Nunc cum & tu rem familiarem ita conſtitutam habeas, ut ubivis gentium copioſiſſime te, & honorificentiſſime pro priſtinæ tuæ fortunæ ſplendore, & ampliſſima iſta tua dignitate tueri poſſis; mea vero ea ſit conditio, ut vel in hac rerum omnium ubertate & copia, tamen ipſe me cum unico aſſecla vix ſuſtentem; quid me tandem Romæ facturum putas? Verum quando mihi domum tuam patere vis, hoc eſt me iſto perducere, non committam, ut convictu & optatiſſima mihi tua conſuetudine diutius caream. Sed quia res meæ hic ita contractæ ſunt, ut neque facile, neque ſtatim explicari queant, nondum habeo quid ad te de adventu meo perſcribam: ſimul atque me expediero, faciam te certiorem. Interim memineris, eo me eſſe animo, ut liberalitate & familiaritate tua aliquando velim uti: tum etiam idem a te, quod ſuperioribus literis, hic peto, ut cum primum facultas erit, aditum mihi ad Pontificem Maximum tua commendatione pateſieri velis, atque communiri. Hoc te tam rogo, quam quod vehementiſſime. Vale. Patavii, ad III. Calend. Sextil.

EPI-

EPISTOLA XXIV. (a)

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS

Jacobo Sadoleto Epiſc. S.

Rogat eum etiam atque etiam, ut ſe rei familiaris anguſtia laborantem Pontifici Maximo commendet.

NON idcirco brevius, quam conſuetudo mea ferat, tecum nunc ago, quin valde multa habeam, quæ abs te ſciri diligenterque curari mea plurimum interſit: ſed quia eum mihi videor nactus hominem, qui illa ad te multo commodius perlaturus ſit, quam ipſe ullis literis tibi explicare queam. Itaque cum literarum mearum ignoſces brevitati, præſertim cum tam longo intervallo ſcribam; tum vero quæ M. Caballus noſter ad te mandata mea detulerit, ea ſic tibi erunt curæ, ut & ſumma mea erga te obſervantia, & ſingularis tua in me benevolentia hoc tempore poſtulat. Scis quarum tu me ad rerum laudem ſemper excitaris, ſcis quo conſilio huc ipſe me contulerim: nec de eo, opinor, etiam dubitas, quin dies ac noctes hoc unum hic adhuc egerim, ut quam tua prædicatione de me concitaſti expectationem, hanc ego tueri ac ſuſtinere aliquando poſſem. Atqui nunc periculum eſt, mi Sadolete, ne tantus ſtudiorum ardor in

(a) Extat lib. III. epiſtolarum Longolii pag. 176. edit. Venetæ ep. 1.

in ipſo conatu, vel in ipſo etiam proceſſu plane extinguatur. Quod ne fiat, etſi in alterius poteſtate id eſt poſitum, quia tamen apud illum, penes quem jam ſunt omnia, multum authoritas tua ponderis habitura eſt, da, quæſo, operam, ut is etiam atque etiam intelligat, eſſe præcipuam quodammodo meam iſtis in anguſtiis cauſam, qui nec magnum quiddam ab eo qui rerum potiatur, poſtulem, & is poſtulem qui fidem ejus ſecutus, Italiam patriæ, & propinquis, & fortunis illis omnibus antepoſuerim. Denique recentis hujus victoriæ gloria poſſis animum ejus ad priſtinæ liberalitatis memoriam revocare (*a*). Nam de ſperato ſtudiorum noſtrorum fructu, ſi quam modo ea de re ſpem habes, aut etiam ſi nullam magnopere habes, nonnihil ſubjicere non inutile fuerit. Sed pluribus, quam conſtitueram, præſertim ad te, qui cum hoc artificii genus tenes unus omnium optime, tum etiam poſtquam me in fidem atque amicitiam recepiſti tuam, nullum mei non modo tuendi, ſed augendi etiam atque ornandi locum prætermiſeris. Quare finem facio, ſi illud addidero, quod utinam addere nihil eſſet neceſſe, non quo nolim tibi omnia debere, cui quidem pene debeo omnia, ſed quod grave ſit homini pudenti, ab eo, cui, cum de te ſit optime meritus, nullam tamen poſſis gratiam referre, magnum præterea aliquid petere. Sic igitur habeto: eſſe te jam unum in Italia, in quo

---

(a) Ex his colligitur hanc epiſtolam ſcriptam eſſe anno M.D.XXI. & ſeptimo quidem die ante eum diem, quo Pontifex Leo inopinam atque immaturam mortem obiit.

quo tuendi ocii noſtri ſpes omnis ſit poſita: quæ ne me ſpes fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale. Ex urbe Patavio VII. Calend. Decembr.

EPISTOLA XXV. (a)

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS

Jac. Sadoleto S.

Ab omni auxilii ſpe ob improviſam Leonis X. mortem dejectus, ad Sadoleti operam ac liberalitatem confugit.

EX literis meis, & iis quæ M. Caballo ad te nuper dedit mandatis, intellexiſſe te puto, & qui rerum noſtrarum hic eſſet ſtatus, & qua mihi in re authoritate tua tum quidem opus. Nunc vero cum omnem ſpem & omnia tuendi ocii noſtri conſilia, necopinata, & improviſa iſta Leonis Pont. Max. morte (b) perverſa videas, ineunda tibi nova aliqua tuendi noſtri eſt ratio. Mihi enim deeſt conſilium, neque hic ſane ſpes ulla oſtenditur. Petrus quidem Bembus, cujus potiſſimum opibus, ſi quid tale accidiſſet, me ſuſtentatum iri arbitrabar, longo illo & difficili morbo ita etiam nunc implicatur, ut nec ipſe mei meminiſſe poſſit, nec ego ei hoc tempore moleſtus eſſe velim. In te reliqua ſpes eſt, qui etſi

---

(a) Ex lib. III. epiſtolar. Longolii pag. 179. a tergo; edit. Venetæ.

(b) Obiit Leo Kal. Decemb. anno M.D.XXI.

etſi non ſatis exploratum habeo, quantum me hoc in genere juvare poſſis, tamen quia vel rationes meas noſti, vel etiam multos iſtic familiaritate & amicitia conjunctos habes principes viros, a quibus aliquid ſtudiis noſtris adjumenti afferri poſſe & opis confido, peto abs te pro ſingulari tua erga me benevolentia, ut ſi quid tibi venerit in mentem, quod nobis commodo, & ocio noſtro uſui fore videbitur, ejuſce rei cogitationem aliquam, atque actionem ſuſcipias. Agerem tecum pluribus verbis, niſi cum te mea cauſa velle non dubitarem, tum vero res ipſa per ſe ſatis loqueretur. Tantum habeto, ſi mihi hoc meo tempore abs te conſultum eſſe intellexero, percepturum te aliquando magnam ex officio tuo voluptatem, neque vero etiam laudum tuarum fore ultimam, quod Chriſtophorum Longolium aliorum omnino opera in altum delatum, ſed in ipſis mediis fluctibus miſere deſtitutum, ipſe tu ex omnibus unus commendationis tuæ aura in portum perduxeris. Vale. Ex urbe Patav. Idib. Decembris.

AN-

ANNO M. D. XXII.

EPISTOLA XXVI. (*a*)

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS
Jacobo Sadoleto S.

Idem Argumentum.

BInas ad te jam dedi literas; alteras perpaucis ante Leonis noſtri obitum diebus (*b*), alteras ſtatim ab ejuſdem interitu (*c*). Eas ut acceperis, ſane vereor. Nihil enim tu adhuc reſcripſiſti, homo cum ceteris in rebus diligentiſſimus, tum vero in ſcribendo impiger & officioſiſſimus: ſin autem reſpondiſti, vide cui dederis. Ego enim his quinque menſibus nihil neque a te, neque de te. Itaque faciundum putavi, ut eodem exemplo tecum agerem, & hic te, ne me literarum tuarum deſiderio diutius torqueres, rogarem. Nihilo enim meliore etiam nunc loco res noſtræ ſunt, quam tum erant, cum ſuperiores tibi mitterem. Spes tantummodo quædam ex Hadriani pontificatu, mihi injecta eſt. Omnino valiturum apud eum, vel commune civitatum noſtrarum vinculum, vel quod ipse cum Philippo Caroli Cæſaris patre in Hiſpania vixerim, non deſpero. Sed ut uſque dum ille adventarit (*d*), & nobis ad eum ipſum aditus pa-

(a) Ex lib. IV. epiſt. Longolii pag. 218.

(b) Hoc eſt VII. Cal. Decem. extantque pag. 85. n. XXIV.

(c) Nimirum idib. Decembris, eſtque epiſtola antecedens; quam ſe minime recepiſſe teſtatur Sadoletus in epiſtola ſequenti.

(d) Hinc colligitur epiſtolam hanc ſcriptam eſſe anno M. D. XXII.

patefactus ſit, ocium noſtrum honeſte tueri poſſimus (quoquo enim adhuc modo poſſumus) tui eſt mi Sadolete tum conſilii, tum etiam auxilii. Verum hoc ex re & commodo tuo. Nam illud a te etiam atque etiam vehementer peto, ut ſi, quod futurum certo ſcio, ſingulari iſtius tuæ virtutis doctrinæque laude Pont. Maximo commendatus, in familiaritatem ejus aut amicitiam veneris, idem me tibi quadam ſtudiorum ſocietate vel opinione potius conjunctum atque neceſſarium eſſe intelligat. Hoc ſi feceris, & me vel judicii, vel benevolentiæ tuæ teſtimonio apud eum ornaris, faciam ut ejus te officii ne unquam pœniteat: memorem quidem me ſemper & gratum certe experiere. Vale. Patavii XVI. Cal. Junii.

EPISTOLA XXVII. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Chriſtophoro Longolio S.

Quod propter tenues fortunarum ſuarum rationes, Longolio adeſſe non poſſit, ſeſe excuſat, eidemque ſuum offert contubernium.

M. Caballus noſter cum ad me ſuperiores tuas literas attuliſſet, quod mandatorum exponendorum tempus præteriiſſe dicebat, ea ipſe quidem narratione ſuperſedit. Sed me ipſæ ſatis commonebant literæ, quo tibi

(a) Extat tom. 2. operum edit. Veronen. pag. 158.

tibi gratia & ſedulitate noſtra eſſet opus, quæ certe non defuiſſet, ſi aut ille tum viveret, unde opem expetebas, aut ſi is tum non jam omnino omnium bonarum artium vel ornandarum vel etiam tuendarum curam omiſiſſet. Ergo occaſione amiſſa, litteris illis cur reſponderem cauſſa non eſt viſa. Alteras porro tuas nullas accepi, quin & has recentes ſerius. Datæ enim ante diem XVI. Calend. Junii, V. Calend. Quintilis mihi ſunt redditæ. In quibus quod ſpem magnam tui otii honeſte traducendi in me ipſo ponere videris, gratum id mihi admodum, nec te opinio ea fallet, quod ad ſtudium quidem attinet, quod & ad benevolentiam, quæ mea te adverſum mirifica ſemper fuit; verum quæ fortunæ ſunt, ab ipſa illa ſunt præſtanda. Atque utinam nunc tibi de meis facultatibus prolixe polliceri poſſem, quod vix ego audeo: ita ſum in re mea domeſtica ac familiari prorſus perturbatus. Sed quod proximum illi eſt, id mehercule libenter & ex animo facio, ut contubernium offeram, eamque amicitiæ fidem, quæ omnium amicorum communia eſſe vult. Neque ego tamen conſilium tuum capere adhuc potui, quid eſſet cur tu, aut Patavium Romæ, aut denique locum in terris ullum huic urbi ad tuorum ſtudiorum rationem anteponeres. Quod vero in eiſdem adjungis litteris, ſperare te atque exiſtimare fore tibi aditum ad Summi Pontificis familiaritatem, potiſſimum operam navante me, hancque de te ut ſuſcipiam cogitationem me vehementer rogas, alterum mihi ſubmoleſtum me a te rogari, alterum etiamdum incertum, quid de me ſim facturus. Quanquam enim in alterius manu vi-

videatur ſitum, qui meæ vitæ ſtatus, & quod actionum mearum curriculum futurum ſit, tamen non tam id vereor, ut mihi ſit ad fortunas uberiores & ſplendidiores aditus, quam illud fixum in animo & ſtatutum gero, nullam auram honoris, nullam ſpem eſſe ampliſſimæ dignitatis, quicum putem hanc otii oblectationem, qua in re litteraria jucundiſſime perfruor, debere commutari. Quare, aut hæc quoque mihi ſalva erunt, aut illa omnia etiam repudiabuntur. Sed de his ſatis. Ego quod & noſtræ amicitiæ proprium, & meæ erga te voluntatis perpetuum ſemper fuit, quæcumque ab amiciſſimo & conjunctiſſimo homine ſperanda ſunt, jubeo ea te a me non ſperare ſolum, verum pro tuo jure etiam expectare. Vale. Ex Urbe VI. Nonas Julias,

EPISTOLA XXVIII. (a)

JACOBUS SADOLETUS N. N. S. D.

De ſua ac Pontificis in illum voluntate ſignificat; ſed petenti neſcio quid, temporum rerumque anguſtias excuſat.

GRata eſt mihi memoria mei tua; & quod te amorem illum conſervare intelligo, quem olim erga me ex mutuis noſtris ſermonibus ſuſcepiſti; in quo abs te non vincor: viſus enim mihi fuiſti, & nunc videris hercule amabilis. Quare ita ſtatuas velim, quo tu in

(a) Extat tom. I. Miſcellaneor. ex mſs. &c. pag. 518. Scripta eſt autem hæc Epiſtola anno M.D.XXII. paullo ante, quam

in me es animo, amico & benivolo videlicet, tali me erga te eſſe voluntate. Ego mei promiſſi, quod tibi jamdudum feceram, immemor non ſum: ſed credibile non eſt, in quantis anguſtiis verſemur: omnino Principis benignitas ſumma eſt, ſed res extenuatæ & fere ad nihilum arctatæ; in tantis autem difficultatibus temporum, ſi mihi fortuna lætior aſpirarit, curabo, ut experiare, quantum velim cauſa tua. Summus Pontifex a me appellatus de eo, quod tibi ejus verbis mandatum a Jovio fuiſſe dicebas, non modo affirmavit, ſe auctorem fuiſſe, ſed & mihi præcepit, ut te etiam atque etiam animarem, quo tuo labore atque induſtria multorum ſaluti conſuleretur; ſuamque tibi liberalitatem non defuturam ſignificavit. Proinde tu te ita para, ut & tanto Principi, & expectationi, quæ eſt de te, ſatisfacias. Ego te in ſinu gero; ac bene ſalvum cuſtoditumque teneo.

Tu

---

quam poſt mortem Leonis Pontificis Sadoletus ad ſuam ſeſe Eccleſiam recepiſſet, (quod an.M.D.XXIII. contigiſſe vidimus in notis ad ejus vitam pag.XVI.) videturque data ad Franciſcum Victorium cui Epiſt.X. ſcripta eſt, quique anno 1523. extremum diem obiit, teſte Papadoplo Hiſt. Gymnaſ. Patav. lib.II. ſect.II. cap.7. Heic obiter animadvertendum, quod quum anno M. D. XXII. de morte M. Antonii Columnæ viri fortiſſimi nobiliſſimique Romam nuncius eſſet allatus (vocatus enim a Franciſco Gallorum rege in belli adminiſtrationem, ſub ipſis Mediolani mœnibus ictu ærei tormenti occubuit) ſcripſit Sadoletus in ejus tumulum epitaphium. Illud (quoniam a Veronenſibus prætermiſſum), ut litterarum ſtudioſi habeant, malo heic ponere. Legitur autem in libro cui tit. *Lacrymæ in M. Ant. C.* poſt Marcelli Palonii Epiſtolam nuncupatoriam:

Deo

Tu me item, id quod facis, ut diligas, Bemboque meo plurimam meis verbis dicas ſalutem, peto a te magnopere. Vale IV. Non. Julii ex Urbe.

AN-

Deo Imm. S.
Manibus ac memoriae
M. ANTONII P. ANTONII FILII COLUMNAE
viri clariſſimi
nec ſolum domi & inter cives
ob vetuſtam familiae dignitatem
omneiſque egregias
& verae nobilitatis ſocias virtutes
liberalitatem prudentiam magnitudinem animi
comitatem fidem
ſed quod belli item atque militiae
maximus dux
& aemulus antiquorum gloriae
praeclaris ſaepe operibus
conſilio & manu editis
Pluribus victoriis partis
nullaque non Italiae regione
ſuis trophaeis & laudibus inluſtratâ
Latino nomini
Priſcam virtutis ac bellicae diſciplinae
opinionem reſtituit
P R O S P E R   C O L U M N A
Imp. Caeſaris Caroli Auguſti
in exercitu Praefectus
ipſius auſpiciis Caeſaris
ſuoque ductu ac vigilantia
Gallis Italia pulſis
& Mediolano Sphortiadum ditioni recuperata
Hoc victor monumentum
Fratris filio benemerenti
non ſine lacrymis ex ſua pecunia fecit.
Vixit &c.

ANNO M. D. XXIII.

EPISTOLA XXIX. (a)

JACOBUS SADOLETUS
Cardinali Ægidio. (b)

De ſtatu ſuo ſcribit, cum Roma Carpentoraƈte ad ſuam Eccleſiam veniſſet.

VEllem, ut coram mihi liceret; & viva voce, ut ajunt, expromere tibi ſenſum omnem animi mei; &, quod inter nos ſuaviſſime atque amiciſſime ſoliti ſumus, meas tecum cogitationes conferre: profeƈto, non modo approbares conſilium meum huc veniendi, de quo ſubdubitare aliquando nonnihil viſus es; verum etiam ultro mihi gratularere, quod ex illis urbanis non tam fluƈtibus hoc quidem tempore, quam procellis, in portum quietis, & tranquillitatis me contulerim. Crede mihi, nihil nec cogitari quidem pacatius hoc ſtatu, in quo nunc ſum, poteſt, qui mihi etiam aliquanto eſt jucundior, quod ex meis jam multis ac magnis laboribus requiem, & ſtudiis optimarum artium ocium requirebam; quorum nunc utrumque divino beneficio mihi tributum gaudeo. Etſi, ut humano modo faƈti ſumus, habet hoc gaudium aliquam ſecum adjunƈtam ſollicitudinem: careo enim conviƈtu, & familiaritatibus plurimorum doƈtiſſimorum, & amiciſſi-

(a) Ex Miſcellan. tom. 1. p. 519.
(b) Vide quæ de Ægidio Viterbienſi diximus ſup. p. 16.

ciſſimorum hominum, quorum aſſiduitate & frequentia Romæ florebat domus noſtra. Porro in eorum locum libri ſucceſſerunt, quibus totum me dedere quotidie potius cogito, quam adhuc dederim: ſed fiet hoc quidem propediem. Quod ſi quæris, qui ſit noſter ſtatus? qualem maxime cupere oportet, qui ab omni ſit ambitione ſemotus; amor civium erga nos, & incredibilis omnium voluntas: itaque ſalutamur, colimur, in oculis ferimur. Quod ſi in hoc numero haberem aliquos Marios (*a*) (quamquam quid ego aliquos dico, cum vel Romæ unum eſſe magnum ſit?) ſed tamen mihi ſi eſſent quibuſcum, aut feſtive jocari aliquando, aut libere ſuſpirare poſſem (*b*), quorum Romæ non deerat copia, aut ſi cum accideret caſus anceps quiſpiam, mihi conſilium, & auctoritas graviſſimi, ac prudentiſſimi viri præſto foret; quo in genere tu mihi pro multis ſufficiebas unus; nullas utique fortunas meis fortunis anteponendas putarem. Nunc careo hoc quidem quamgratiſſimo vitæ condimento, ſed poſſideo alia non minora, pacem, libertatem, tranquillitatem animi; quarum potiundarum in Urbe nec ſperandi ratio erat. Quis enim eſſet tam ferreus, qui ſi etiam ad privata incommoda obduruiſſet, publicis non moveretur? Sed fugiamus a cogitatione hac, neque nos tradamus urbanis curis obruendos, præſertim cum tanti iſthic fluctus ſint, ut uſque huc rejiciantur.

(a) Marium, opinor, Maffeum Volateranum intelligit, cui libros inſcripſit *De Laudibus Philoſophiæ*.

(b) Idem noſter hic quod Attico Cicero l. 18.

tur. Ego poſt labores varios, viarumque diſcrimina, quæ permulta mihi imminebant, tum peſtilentiæ labe ſuſpectis fere omnibus locis, tum a militaribus rapinis, & licentia, qui abſque ſtipendio dimiſſi omnium bona prædam ſuam ducebant, certe incredibili felicitate, ope præſentis Dei conſervatus, poſt quartum & trigeſimum diem, quo Roma diſceſſeram, incolumis cum toto noſtro comitatu veni Carpentoracte, honoratiſſimo quoque nobis obviam longiſſime prodeunte (nam populus expectabat ad portas, ibique ſubitus meus adventus fuerat) apparatu raptim facto, effuſiſſimis omnium ſtudiis excepti fuimus; cetera ad idem exemplum. Quid enim attinet narrare me nunc tibi, quaſi me jactem, aut quæram materiam gloriandi? Quin & hoc prætermiſiſſem opinor recte, niſi ad te hoc genus partem maximam pertineret. Fuerunt enim mihi renuntiata a pluribus mirifica teſtimonia, quæ tu mihi abſenti, cum iter hàc faceres, dediſti, grata illa quidem vehementer & jucunda, ſed ſimilia reliquorum tuorum. Itaque & egimus tibi, & agimus, & ut video, ſæpe acturi ſumus gratias. Audi hoc quoque: cum laboraretur Carpentoracti ſuſpicione peſtis; ita meo adventu omnis compreſſa eſt, ut nuſquam quicquam exiſtimetur eſſe ſalubrius. Verum hoc, & ſi quid aliud, ad Deum optimum maximum referendum eſt, cujus ſunt maxima illa quidem & plurima adverſus me beneficia, quæ gratiam, quæ cultum, quæ abſolutam undique, & perfectam pietatem requirant: neque nos voluntate & ſtudio deſumus; ſed adhuc non ſumus voluntati pares. Diſtrahit enim

nos revocatque ab illis curis, cogitationibuſque cœleſtibus, corporis & carnis imbecillitas, adverſus cupiditatem parum firma, humana illa quidem, ſed tamen mihi neutiquam concedenda, quam dabimus operam, quoad fieri poterit, ut ejiciamus. Itaque quoties ad illa antiqua me refero; *O robur, o conſtantiam*: quamquam illis magis præſens aderat Deus; nos meritis deficimus, ut vitium noſtrum, non illius indulgentia debeat accuſari. Sed hæc hactenus. De te autem ipſo, obſecro te optime virorum omnium, quid agis? cedo, tibine unquam ego verſor in animo, licet abſens? Atqui omnes Deos conteſtans affirmare tibi poſſum, nullum me punctum pœne temporis ſine te eſſe. Nunc illa tua ſingularis humanitas, admirabiliſque prudentia, nunc ſermones illi noſtri dulciſſimi in mea mente loquuntur. Atque ego quidem tecum aſſiduus ſum: ſed tu, quod mihi moleſtum eſt, ſine me es: ignoſco tamen. Arbitror enim premi te eis curis, quæ optimum quemque hoc tempore conficiant, neceſſe eſt; & iniquitatem fortunæ in te accuſo, quæ animis præſtantibus & ingenuis facultatem nullam dat navandæ virtutis, & liberalitatis. Atque utinam id ne accideret hominum vitio; eſſet fortunæ injuria conſtantius ferenda. Nunc in eum locum dejecti ſumus, ut ne ſperare quidem liceat melius. Age autem, nihil ne tandem in nobis ipſis eſt? *Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo*: ſunt illa, ſunt profecto divina bona, ad quæ iſti ne cogitatione aſpirant quidem, quorum ipſe abundas, de quibus memini agere me tecum, ut curam aliquando tempuſque ſumeres

res dirigendorum in ordinem monumentorum tuorum, ne, ſi fortunæ reliqua in prædas abeunt, hanc velut hoſtilem prædam, ſibique maxime infeſtam mors dilapidaret. Collegam tuum Præſulem Sixtianum vehementer doleo, ab Urbe profectum eſſe: magnus ille vir, & vera pietate præditus; nec commodi ſui unquam, nec ſalutis duxit rationem, dum Deo & divinæ rei ſatisfaceret, neque ego video quid effici poſſit hoc tempore: ſed illius eſt virtus & voluntas in cœlum extollenda; Deos illum fortunare cupio. Quid tibi ſcribam prætera? quid? illud videlicet ut te ørem, ne te mei capiat oblivio, deſque aliquando aliquid ad me tuarum amœniſſimarum litterarum; quas quidem ego ſtudioſe expectabo. Addam hoc etiam, ut Joanni Matthæo adoleſcenti præſtantiſſimo, quem ego amo unice, & a quo me ſentio amari, multam verbis meis ſalutem dicas. Vale, & nos abſentes, ut ſueſti, tuere. Carpentoracti Idibus Junii M.D.XXIII.

ANNO M. D. XXIV.

EPISTOLA XXX. (a)

PIETRO BEMBO A M. JACOPO SADOLETO

Veſcovo di Carpentras, & Secretario di Papa Clemente VII. *a Roma.*

Quod a Clemente VII. accerſitus, Romam incolumis pervenerit, gaudet.

PER lettere del mio Avila ho inteſo V.Sig. eſſer giunta in Roma ſana, & ſalva, la qual coſa intendere m' ha fatto pigliar queſta penna in mano per rallegrarmi con voi di due coſe, l' una è che ſiate in Italia, onde io vi ſentì partire mal volentieri: l'altra è, che ſiate in coteſta città molto da voi amata. Nè ſolamente queſto; ma oltre acciò che vi ſiate con grande riputation voſtra chiamato da Papa Clemente, & richieſto al ſervirlo. Del qual ſervitio mi confido havere a vedervi più contento di quello, che io v'hò veduto dell'altra ſervitù fatta da voi per lo addietro. Siate adunque il molto ben tornato. Io già di quinci v'abbraccio con grande mia contentezza inſino a tanto che io in Roma abbracciar vi poſſa con maggiore; il che ſpero ſia in brieve. In queſto mezzo a voi mi raccomando ſenza fine, & a Monſig. d'Aquino, & a M. Mario Boccabella. A' 15. di Febrajo MDXXIV. di Padova. EPI-

(a) Ex Epiſtolis Bembi Italicis tom. 1. pag. 210. edti. Venetæ an. 1575.

EPISTOLA XXXI. (a)

Jacobus Sadoletus Hippolyto S.D. (b)

Reſpondet gratias agenti de litteris pro eo ſcriptis Clementis nomine, ſimulque hominem ad virtutem hortatur.

Accepi dulces & perelegantes litteras tuas; quæ incredibili voluptate me affecerunt; tum ſignificatione tuæ benevolentiæ erga me, qua nihil mihi optatius eſſe poteſt, tum quia cognovi ex illis, quam ſpem de te jamdudum habebam conceptam, eam eventu ipſo cœptam comprobari. Video enim te, id quod maxime lætor, in virum talem evadere, qualem ego futurum, tua optima indole fretus, omnibus pollicebar. Sed quod ſcribis in eiſdem literis, gratas tibi fuiſſe litteras ad cives tuos Maximi Pontificis nomine per me ſcriptas; accipio equidem humanitatem iſtam tuam, ac deoſculor: ſed illius officii, ipſi Pontifici omnis a te gratia debetur, cujus ego imperium fideliter executus ſum. De me autem ipſo, Hippolyte chariſſime; ſic tuo velim perſuaſum eſſe animo; cum huic vere optimo, & præſtantiſſimo Principi ita me in perpetuum dicarim, ut quocunque ille ſuum judicium deflectit, eodem ſtudia mea omnia convertantur, tum tibi peculiari quodam mei animi judicio, plurimum me ſemper tribuiſſe; quod qui-

(a) Ex tom. I. Miſcellan. pag. 526.
(b) Quis iſte fuerit, omnino ignoratur.

quidem potuiſti tu olim animadvertere, quanquam puer admodum eras: ingenium enim tuum multo antecedebat ætatem; nunc autem liquido habere perſpectum debes. Secutus autem ſum in te amando cum familiæ tuæ merita, ex quo tot clari, atque illuſtres viri prodiere; tum vero, quod de te ipſo ita ſperavi ſemper, itaque ſenſi; te ſuccreſcente Majorum tuorum eximiis, ſummiſque virtutibus, non minus illis ornamentorum, quam acceperis, ex virtute tua redditurum. Lucebat enim in ipſa indole pueritiæ tuæ imago quædam domeſticæ nobilitatis, quæ avorum tuorum repreſentaret decora; eam porro commendabat ingenium, non irrequietum, neque ardens, qualia fere ætas illa fert, ſed pacatum moderatumque, ut in eo multum conſtantiæ, & gravitatis ineſſe appareret. Quid dicam de bonarum artium, & litterarum ſtudiis, in quibus aſſidue exercebare? nec ſine notabili quidem profectu; ut jam tum facile conſtituere poſſemus, quid de te nobis promittere deberemus. His tot cauſis, cum accedat amor tuus erga me, quem multis ſæpe indiciis mihi perſpectum, litteræ nunc tuæ apertius declararunt, quo me tandem putas ardore animi, aut quo ſtudio benevolentiæ in te incenſum eſſe? Nempe eo, quo homo gratus, atque idem non omnino imperite de ingeniis exiſtimans erga tantæ ſpei, & tanti nominis adoleſcentem eſſe debet. Itaque, & incredibili gaudio elatus ſum ex eis honoribus, quos es ampliſſimos in tua Patria conſecutus, & reliqua eſt expectatio, nec mea ſolum, ſed omnium, ut tanto conſenſu tuorum civium virtus tua omni genere laudis cumula-
te

te reſpondeat. Faciam, opinor, non neceſſario: ſed quia amantium eſt, eorum vicem ſemper eſſe ſolicitos, quos ament, præcipiam tibi quiddam, quod & meus amor me cogit, & ætas tua hortatur. Vocatus es ad eorum hominum conſuetudinem ac convictum, qui ingeniis maxime acuti, moribus politici, & communicabiles ſunt, apud quos jus præcipue viget, & civilis æqualitatis conſervatio; qui profecto vetus ſuum ſtudium, & animorum benivolentiam, quam Majoribus tuis præſtiterunt, in te ipſum libentiſſime perſequentur, ſi adnitare, inter eos non apparatu nec ſpecie aliqua elationis, ſed prudentia, & conſilio eſſe princeps. Ad quam ſtabilem, ac veram & vitæ, & potentiæ rationem, quæ in amore civium ſuorum ſolidum jacit fundamentum, ut te pares, & quotidie meditere, non ſolum te hortor, verum etiam pro eis cogitationibus, quas de te capio, vehementer rogo. Ego, quod mei in te amoris proprium eſt, meæque conſtantis in omnes tuos voluntatis, quicquid ex me eſt, quod tibi tuiſque, aut commodo alicui, aut ornamento eſſe poſſit; omnem meam operam, gratiam, ſtudium, auctoritatem, induſtriam, omnia denique, & naturæ, & fortunæ adjumenta, ſi qua modo adſunt nobis, quantula ea ſunt, ita tibi in omne tempus, & polliceor, & defero; ut in omni curſu temporum tuorum, nihil magis præſto, nec paratius, mea fidelitate, & benivolentia ſis habiturus: ad quam fidem tibi præſtandam, non ſolum ex viri boni officio, qualem me profecto cupio eſſe, ſed hujus etiam epiſtolæ tanquam fœdere quodam eſſe

obſtrictus volo. Tu fac valeas; & nos abſentes diligas. Ex Urbe IIII. Kal. Septembris MDXXIIII.

EPISTOLA XXXII. (a)

A M. RAFFAEL HIERONIMI

Nuntio appreſſo l'Imperatore.

De belli inter Cæſarem ac Franciſcum Galliæ regem ſtatu eum certiorem facit, proponitque Clementis Pontificis nomine rationes, quibus Cæſarem ad pacem adducat: tandem de Vngbariæ periculis multis agit.

HAvendo nuovamente commiſſione da N.S. di riſpondere alle voſtre de 15. del paſſato ſcritte in Valdoleto, preporrò prima alcune coſe neceſſarie, com'è, che N.S. eſſendo tornato Milano in poter del Rè Chriſtianiſſimo, paſſato di quà da monti, quaſi all' improviſo, inſieme col ritirarſi dell' eſercito Ceſareo, il che a queſt'ora haverete inteſo, dolente delli tanti travagli della povera Italia, & più generalmente di tutta Chriſtianità, manda Monſig. Datario (b) al Rè Chriſtianiſſimo, & al Vicerè per tentare, & vedere per qual via & modo ſi poteſſe trattare, & con-

(a) Ex tom I. Epiſtolar. Principum, & ad Principes, pag. 136. edit. Venetæ anni 1581.

(b) Joannem ſcilicet Matthæum Gibertum Epiſcopum Veronenſem ac ſuum Datarium Clemens VII. Legatum ad Regem Chriſtianiſſimum miſit. Vid. Epiſtolas Pontificias ejuſdem Sadoleti num. XCII. pag. 128.

condurre qualunque accordo per hora ſi foſſe, che poneſſe fine, o almeno deſſe un poco di reſpiratione alli continui danni, & calamità de' popoli Chriſtiani. Et a far queſt'officio degniſſimo del luogo, ove Sua Santità per diſpoſitione di Dio ſi trova, aſſai ben ſerve la perſona, che fin quì ha conſervata di Padre commune & Paſtore di tutti. Monſig, Datario partì a dì 30. del paſſato, cioè la notte ſeguente, & hoggi, che ſono 3. di Novembre, crediamo che ſia vicino all'eſſer giunto, dov'è indrizzato. Per la ſua partenza adunque ha voluto N.S., ch'io pigli carico di riſpondere, & parmi neceſſario a quel, ch' io ſcriverò, prima avviſarvi, in che termine ſi trovano le coſe della guerra.

Poichè il Rè Chriſtianiſſimo rihebbe Milano, trovatolo abbandonato da Spagnuoli, che non ſi confidarono per alcune cagioni haverlo a tenere, ſubito voltò l'impeto delle ſue forze a Pavia, dentro la quale ſi trovano Fanti di numero in ſeimila, Lanzichinechi la molto maggior parte, & certe compagnie di gente d'arme ſotto D. Antonio Leva Capitano, & inſin' a queſt'hora ſi dice, che la batte aſpramente. Et perchè li Ceſarei animoſamente parlano & promettonſi di tener inſieme con Pavia, Cremona, Lodi, Aleſſandria, & hanno buoniſſima gente, maſſime di Fanteria, rinfreſcati ancora, & rincorati per li denari giunti, come dicono, da Ceſare: aſpettando tuttavia ſoccorſo d'altri fanti, par che la determinatione della guerra ſtia in queſto, ſe il Rè piglia, o non piglia Pavia, & perchè potrebbe anco eſſere, che tal ſentenza ſaria tarda, & ſtariano le coſe ſoſpeſe così lungo

ſpatio di tempo, ſi vede manifeſtamente naſcerne una deſtruttione & conſumamento non ſolo d'Italia & de' popoli di queſto ſtato, ma ancor delli Principi, che ſi pertinacemente l'uno contra l'altro guerreggiano con così piccola utilità, come ſi vede della vittoria, & infiniti danni della perdita, & ſe le coſe perſevereranno pari & egualmente bilanciate, ne l'una, ne l'altra parte honore o utile; ma l'una & l'altra danno, & vergogna ne acquiſterà; oltre che l'impoverirſi, e 'l conſumarſi due tali Principi, & inimicarſi tutti li popoli ſuoi riſulta in grandiſſimo detrimento di tutta Chriſtianità, la quale è da Turchi ogni giorno lacerata, & dall'hereſie, & ſeditioni, & male contentezze dentro magagnata, eſſendo ancora di continuo da sì crudeli & acerbe guerre combattuta, par che non poſſa hormai più ſtare in piedi, ma minacci far'un giorno un ſcoppio di tanta rovina, che più a tempo de Chriſtiani non ſarà ridrizzata.

Queſto tanto pericolo & dolore ſtando ſempre a N. S. innanzi gli occhi, ha ſempre ſua Santità operato, non perdonando, ne a ſpeſe, ne a fatiche che ſi pigli qualche modo di aſſettare le tante diſcordie & diſſentioni de' Principi, & oltre le altre attioni, & monitioni ſue, ha mandato già due volte, come ſapete Monſig. Arciveſcovo, benchè queſta ſeconda non ha patito il Rè Criſtianiſſimo, che paſſaſſi in Spagna, ed eſſendoſi egli prima fermato in Avignone, poi andato a Lione, hora lo chiama Sua Maeſtà in Italia per adoperarlo di quà, come dice, in far qualche appuntamento, & ora ultimamente ha mandato Monſig. Datario a queſt'effetto pur di appun-

appuntar qualche accordo, ſe ſi potrà, mantenendo Sua Santità quanto può la neutralità nelle paſſioni, & l'animo paterno eguale a tutti, ſalvo ſempre l'amore, & fideliſſima congiuntione d'amicitia con Ceſare, benchè gl'agenti di ſua Ser. quà vorrebbono troppo acceſamente, che Sua Santità ſi ſcopriſſe tutta per loro, non miſurando il debito di quella ſe non con gl'appetiti ſuoi; circa che fanno inſtanze, & querele forſe calunniandola in quel che merita ſommamente eſſer commendata; che s'ella in queſti tempi tanto dubj & pericoloſi ſi ſcopriſſe affatto, il che ſolo gli reſteria a fare; perchè per altro conto non hanno già da dolerſi, eſſendo debiliſſima di forze, ſenza le quali vana è la riputatione, potria cauſare una tal rovina d'Italia, che più non faria ſperanza di reſtaurarla. Però confidandoſi in Dio, & confermandoſi ogni giorno più nella ſua ſanta, & giuſta deliberatione, vuol eſſere eguale, & commune a tutti, & punto non mancar di penſare, & vedere ſe può al fin condurre qualche pace, o tregua. Et queſto ſuo perpetuo diſegno, gli accreſce animo & ſperanza prima l'eſſergli ſtato fatto intendere in nome del Rè Chriſtianiſſimo quel medeſimo, che voi ſcrivete eſſer ſtato propoſto a Ceſare dall'huomo del Conte Palatino. Poi il voſtro affermare, Ceſare eſſer beniſſimo volto a compoſitione, & pace, alla quale ſi potrebbe credere & ſperare, che anco verrebbe il Sereniſſimo di Anglia, quando Ceſare ſe ne moſtraſſe deſideroſo, & confiderebbeſi forſe N. S. quando con volontà, & ſatisfattione di Ceſare s'interponeſſe in ſimil

maneggio di concordia, ridurre Francia a qualche particolarità più di quello, che voi ſcrivete, che reſulterebbe in utile, & honore di Ceſare; nel qual caſo Sua Santità potrebbe moſtrare ſe gli porta vero amore, o nò, & ſe le coſe di Sua Serenità gli ſono a cuore più, che le proprie; attento anco, che la pace ſia neceſſaria a tutti per eſſer ſtracchi, & indeboliti dalle lunghe guerre, conoſce Sua Santità, che la torna in maggior utile, & commodo di Ceſare per eſſere li ſuoi Regni sì diſgiunti, & quaſi tutti eſpoſti all'impeto de Turchi, & ſe la guerra hà da durare, non ſe ne vedendo fine, e vedendoſi per molta eſperienza, che mantenerla nello ſtato di Milano, è peſo inſopportabile, per eſſer neceſſaria una ſpeſa infinita, & perpetua in ovviare alli ſpeſſi & ſubiti aſſalti di Francia.

Vorrebbe addunque Sua Santità, havendo voi per voſtra prudenza meglio inteſo la conditione de' tempi, & delle coſe, ch'io forſe non harò ſaputo ſcrivere, che voi v'inſinuaſte con buon modo, & tentaſte, ſe Ceſare ſi poteſſe far capace di queſte ragioni, & della verità; non che il propor tali coſe a fin di pace non ſi poſſa far' apertamente, ma non vorrebbe Sua Santità, che forſe pareſſe a Ceſare, che la inclinaſſe in altra parte, o ad altro diſegno, che d'un puro volere & deſiderar pace, & quando voi vedeſte Ceſare laſciarſi diſporre, allora potreſte più liberamente proporre il nome, & deſiderio di Sua Santità, aggiugnendo voi quelle perſuaſioni, & argomenti, che vi pareſſero a propoſito, & ſe Sua Serenità ſi rendeſſe difficile alla pace con le con-

conditioni ſopradette, & alquanto più largamente in honor di Ceſare trattate, almeno ſi vedeſſe ridurla a conſentire una tregua per ſpatio di qualche meſe con le conditioni, che foſſero alle qualità de' tempi accommodate, dove N.S. adoperarebbe ſempre ogni ſuo sforzo & autorità, che l'honor di Ceſare foſſe riguardato, & queſte conditioni di tregua ſi potriano trattare, con reſtar ad ogn'uno fin che la duraſſe, qualche parte di detto ſtato, & quel che foſſe più difficile, & ſcrupoloſo, ſi deponeſſe in mano di Sua Santità, o di altri di chi l'una, & l'altra parte ſi contentaſſe: Et ſe aſſentiſſe Ceſare a queſto, biſognerebbe, che mandaſſe la facoltà a qualche perſona diſcreta, & più inclinata al ragionevole, che non ſono alcuni de' ſuoi agenti quà, poiche a Dio piacque levarci Monſig. della Roccia, & ſe Sua Ser. drizzaſſe il mandato in perſona di N. S. o rimettere il tutto in lui, Sua Santità l' accetterebbe animoſamente, & di tutto quello che faceſſe, o concludeſſe ſi confideria renderne buoniſſima ragione, & a Dio, & a gli uomini, & in primis a Sua Ser. eſſendo quel Principe giuſtiſſimo & Chriſtianiſſimo, che si tiene per opinion ferma: & queſto Sua Santità non riceve per cupidità alcuna, che più toſto le ſarebbe briga, & tanto gli ſarà, ſe ad altra perſona prudente ſarà dato tal peſo; ma per moſtrar a tutti i modi il gran biſogno, che vede, & l'eſtremo deſiderio, che ha di pace.

Queſto diſcorſo tutto ho fatto per inſtruttion voſtra, voi potrete uſarlo come giudicherete eſſer più eſpediente; pigliandone le parti più neceſſarie, avertendo ſempre, che por-

porgiate quello, che vi parrà atto a perſuadere, laſciando, ſe coſa c'è, che poteſſe far ſoſpetto N.S. Et benchè circa la pace paja impoſſibile concludere hora alcun effetto per molti altri capi più particolari, che biſognerebbe raſſettare, come d'Inghilterra, di Borbone, & forſe qualch'altro; pur ha voluto, che vi ſi ſcriva così al largo, & che non ſi poſponga coſa alcuna, perchè ſe ſi potrà far tregua, nella quale poi s'habbia a conſultare il reſto; voi veggiate da hora il fine, & la forma diſegnata da N. S. parendo a Sua Santità ancora poterſi aſſai bene riſolvere delli ſopradetti capi, & alcun altri. Ma è neceſſario, ſe Ceſare vuol' attendere alli conſigli della pace, che mandi un ſuo fidato, perſona prudente, pienamente inſtrutto dell'animo di Sua Seren. & biſognerebbe farlo preſto per giungere a tempo, & innanzi, che le occaſioni, che sì ſpeſſo, & forte ſi alterano, haveſſero ad eſcludere ogni prattica di pace.

Et ſe vi parrà, potrete entrare nel maneggio per via del gran Cancelliere, o del Confeſſore di Ceſare, giudicando ſicuramente di poterlo fare.

Delle occorrenze di coſtà, & d'Inghilterra non reſterete di ragguagliar N.S. di ogni coſa, ancorchè minima, che intenderete, perchè glie ne fate piacere.

Quà alli giorni paſſati habbiamo lettere di Ungheria dal Nuntio di N. S. huomo ingegnoſiſſimo, & molto accorto, che 'l Baſcià del Turco, che tiene Belgrado haveva preſo un luogo forte dell'Unghero di quà dal fiume, nominato Severino, ch'era come un baſtione, & propugnaculo di tutta l'Ungheria,

ria, di tanto maggior importanza di Belgrado, quanto tra Belgrado, & Buda erano pur molti ripari, maſſime di groſſiſſimi fiumi, come Savo, & Danubio, tra Severino & Buda non è più coſa, che obſti, che non poſſino ſcorrere a ſuo piacere inſino in sù le porte; donde l'Unghero è entrato in grandiſſima paura, certo d'havere tutta la forza del Turco addoſſo a primo tempo. Scrive ancora detto Nuncio, che oltra la potenza del nimico, le coſe d'Ungheria ſono in tal diſordine, che ſe Dio non provede altrimenti, vede, & conoſce, che quel Reame ſi perderà.

Ancora haverete forſe inteſo delli gran danni fatti da Turchi a queſti meſi paſſati alle Terre, & luoghi del Sereniſſimo Arciduca, & di più ſi trovano hora in Friuli molte migliara di Cavalli, benchè non ſappiamo ancora dove ſi ſieno voltati.

Et quello, che ancora preme forte a N.S. l'intender da più bande, che'l Sereniſſimo Rè di Polonia per un M. Antonio da Padova mandato Ambaſciadore da Ceſare al Moſcovita, è entrato in grandiſſimo ſoſpetto, & geloſia, che contra lui non ſi machini qualche coſa, & cerca di ajutarſi etiam con l'amicitia del Turco, ſe potrà; cercando ogni accordo con lui, & a quel medemo eſortando il Rè d'Ungeria. N. S. non è mancato ovviare a queſti tali ſoſpetti, con fargli intendere la buona mente di Ceſare, che quell'Ambaſciadore era per far la pace, e leghe tra quelle nazioni, che ritornava anco in utile di Sua Serenità. Vorrebbe Sua Santità, che Ceſare gli ſcriveſſe, o per altra via dichiaraſſe l'animo ſuo buono, confortandolo ad unirſi con li ſuoi finitimi,

accioc-

acciocchè ſi poteſſe riparare alle forze del Turco, & lo levaſſe di tutto in ſimile ſoſpetto.

Queſta mattina è giunto un altro plico voſtro, par a me de 6. Ottobre, che non habbiamo ancor letto. Altro non occorre hora da ſcrivervi, ſe non che a voi mi raccomando, & mi farete gratia raccomandarmi al Signor D. Giovanni Emanuel.

Da Roma alli 4. di Ottobre 1524.

Servitore di V.S. Jacopo Sadoleto.

EPISTOLA XXXIII.

JAC. SADOLETO EPISC. CARPENTORACTEN.

Gregorius Corteſius S. (a)

De ejus apud Clementem Pontificem auctoritate & gratia gaudet, petitque ut hæreticorum libros legendi, facultatem ſibi impetret.

QUod tibi proficiſcenti facturum me eſſe receperam, ut crebras ad te literas darem, id eo facilius præſtabo, quod maxima cum lucri acceſſione, a me factum iri non dubito. Primum, quod pro Epiſtolis noſtris tuas ſum accepturus, hoc eſt, pro inconditis, elegantiſſimas; deinde, quod ſicut nos diſceſſu tuo afflictos triſteſque reliquiſti, ſic a te renovata hac ratione tua memoria, mirum in modum nos recreabis. Et ſi ea quidem aſſidue florens, vigenſque perſeverat, video tamen neſcio quo pacto fieri poſſe, ut crebra

(a) De Corteſio, vide ſuperius notas ad Epiſtola xi. pag. 28.

bra renovatione, quaſi quodam cultu adhibito confirmetur: poſtremo, quod Graſſenſi Pont. qui te mirifice diligit & obſervat, gratiſſimum id futurum intelligo. Cujus tanta eſt apud me authoritas, ut hac potiſſimum de cauſa, etiamſi hoc a te mihi præceptum non eſſet, omnino tibi literis meis moleſtus futurus fuerim. Quare æquo animo feres, ſi ocio meo ad negociorum tuorum interpellationem abuſus fuero: quando id non amori meo tantum, quod tamen a te mihi concedendum eſſet, ſed etiam humanitati tuæ eſt aſſignandum. Quamquam cum has dabamus, nondum erat auditum te Romam perveniſſe: quoniam tamen ex dierum ratione id ſuſpicari poteramus, volui meas literas ſtatim ſubſequi, quæ pro itineris difficultate ſuperata, tibi noſtro nomine, gratularentur. Niſi fortaſſe magis gratulandum pro ea re videtur, quod apud Pont. Max. gratia, & authoritate florens, maximam bonis omnibus ſpem attuliſti; fore, ut conſilio admonitioneque tua excitatis bonarum artium ſtudiis, tantus brevi ingeniorum proventus appareat, ut omnis antiquitas in certamen provocari poſſit. Qua in re, minus tibi laborandum eſſe video, quod ejuſmodi principem nactus es, qui ſuopte etiam ingenio, inter maximas difficillimaſque curas, quæ ejus animum diſtrahunt, hanc etiam non in poſtremis ſit habiturus. Accedit præterea, quod eorum qui plurimum apud ipſum poſſunt, jandiu perſpectus eſt, cum magna eruditione, incredibilis etiam amor amplificandi honeſtiſſima ſtudia. Damnum igitur, quod ex abſentia tua maximum ſumus habituri, communi hoc omnium doctorum commodo compen-

penſabimus. Veruntamen ne tibi perſuadeas, amicitiam meam impedimento tantum, non etiam labori tibi futuram eſſe, unum a te maximis precibus petere conſtitui, de quo dum tu hic adeſſes oblitus ſum tecum loqui. Noſti, ut opinor, diris omnibus execrationibuſque interdictum eſſe, uti nequis Lutherianorum libros attingat. Id vero ſapienter atque ſalubriter ſtatutum eſt. Quare gratiſſimum mihi erit, ſi pro tua humanitate negocium hoc pro me ſuſceperis & confeceris, ut abſque aliqua animi mei moleſtia, libros ejus generis apud me habere, & legere poſſim. Quod timidius forte peterem niſi mihi cognitum eſſet, iſtud ipſum quampluri nis antea conceſſum eſſe. Id vero ſi precibus tuis, ſi auctoritate tua mihi impetratum fuerit, maximum nobis a te beneficium præſtitum eſſe judicabo. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Gregorio Corteſio S.

Pro facultate hæreticorum libros legendi quam petiverat, ſe cum Pontifice egiſſe, Pontificemque libenter conceſſiſſe ſignificat.

OCcupationibus meis factum eſt, ut ſerius quam ego vellem tibi reſponderim, addo etiam nunc brevius. Ego tuis literis acceptis, ſtatim cum Pontifice Maximo locutus ſum de te, ea quæ debui, & viſa ſunt dixi. Is ita mihi reſpondit, ut non ſolum bene noſſe te,

te, verum etiam non mediocriter diligere ſit viſus: tam multa de tuis laudibus. Quod ad rem ipſam attinet quam petiſti, non modo facile tibi & libenter dat, ut libros Lutherianos habere penes te & legere poſſis, verum gratiſſimam quoque habere ſe dixit hanc voluntatem tuam; perſuaſum enim habet te iccirco illa legere velle, ut melius refellere valeas. Quare potes fidenter, & abſque ullo legum metu & conquirere ejuſmodi libros, & perlegere. Graſſenſi noſtro plurimam verbis meis ſalutem dicito. Tu ut valeas, meque abſentem diligas magnopere abs te peto, hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

EPISTOLA XXXV.

JACOBO SADOLETO

Gregorius Corteſius S.

Cauſas affert belli moleſtias, quibus tamdiu intermiſerit officium litterarum. Gratias agit pro obtenta facultate legendi libros prohibitos; eique Federici Fregoſii negotia commendat.

QUod hactenus ad te literas non dedi, cum multis antea menſibus abs te acceperim Epiſtolam pleniſſimam humanitatis, ac benevolentiæ, nolim tibi perſuadeas, id aut negligentia, aut oblivione noſtra accidiſſe, ſed quod & difficillimo bello, & belli metu aſſidue vexati, maximiſque præterea affecti calamitatibus, ut pleraque omnia, ſic & hoc ſcribendi officium coactus ſum intermittere. Nunc

Nunc autem ob eaſdem moleſtias Lugdunum pulſus, cum apud virum tui amantiſſimum Federicum (a) Pontificem Salernitanum diverterem, mirifice accidit, ut is certum hominem ad te mitteret, cujus opportunitatem nactus, plurimum mihi viſus ſum in amicitiam peccaturus eſſe, niſi ad te qualeſcumque has literas darem, quibus & aliquando tibi gratias agerem quod negocium meum pro quo ad te ſcripſeram cum Pont. Max. tam amice confeceris, & me hic diutius futurum te facerem certiorem. Nam cum antea decreviſſem Salernitani negocia tibi arctiſſime commendare, in quotidianis congreſſibus facile perſpexi, id quod antea verbis tuis mihi erat perſuaſum, adeo ſcilicet veterem atque conſtitutam amicitiam inter vos intercedere, ut nullus tibi commendatior eſſe poſſit, quam qui a Salernitano ipſo fuerit commendatus. Quare cum nunc tanta ipſius res agatur, ut ſi eam pro animi ſui voto perfecerit a maximis difficultatibus atque moleſtiis ad tranquilliſſimum vitæ ſtatum ſit traducendus; certiſſime mihi perſuadeo, te omnem curam atque ſolicitudinem ſuſcepturum, ut tua in eum collocata beneficia, quæ ipſe incredibilia eſſe aſſidue prædicat, maximo hoc officio cumulentur, propediemque futurum ſpero, ut inenarrabili gaudio afficiar, cum intelligam opera, authoritate & gratia tua Salernitanum ipſum perpetuam ſibi in poſterum tranquillitatem animi acquiſiſſe. Vale.

EPI-

(a) Federicum ſcilicet Fregoſium, qui poſtea a Paulo III. Cardinalis eſt dictus, de quo vide notas ad vitam Sadoleti pag. ix.

EPISTOLA XXXVI. (a)

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Eraſmo Roterodamo S. D. (b)

Reſpondet Eraſmo, & Pontificem quod minus erga eum liberalis fuit, excuſat. De libro, deque ſummo Eraſmi ingenio gratulatur.

LEgi tuas litteras libenter: ſcriptæ enim ſimpliciter, & candide ſunt, plenæ erga Deum pietatis, & in hunc vere ſummum, & optimum Pontificem obſervantiæ: cujus admodum eſt propenſa tuis commodis omnibus voluntas. Habeoque gratiam Bonifacio, mire probo, & erudito juveni, qui tibi occaſionem dederit ad me ſcribendi, & mihi reſpondendi tibi: quanquam enim intus mihi in animo incluſus reſidebat tui amor, debitus ille quidem præſtantibus virtutibus tuis, non erupiſſet tamen etiamdum is in actum, ſi non Bonifacius ſuis amiciſſimis officiis hanc ſalutationem litterariam inter nos conciliaſſet. Pontificis in te uberior fuiſſet liberalitas, ni his difficillimis temporibus, ipſe quoque ad anguſtias redactus eſſet; tanta eſt rerum omnium perturbatio, & quotidianorum ſumptuum, impendiorumque effuſio, ut ſuſtineri

(a) Extat tom. 2. operum Sadoleti edit. Veronen. pag. 142.

(b) Vide quæ de Eraſmo habentur in notis ad Epiſtolas Pontificias, in Epiſt. LXX. pag. 221.

ri ægre poſſit: ſed erit locus aliquando, & ornandi, & augendi tui. Librum tuum adhuc non legi: nam neque dum habui ejus poteſtatem, & eram maximis occupationibus impeditus: certus ſum attamen ſimilem eum eſſe reliquorum tuorum, quæ mihi plurima & lecta, & probata ſunt (a): tibique ego in eo magnopere gratulor, quo ingenio tuo præſtanti & ſingulari, ocium ſuppeditatum eſt, quo facile poſſes tuæ doctrinæ præclara monumenta in poſteritatem propagare, ex quibus tuum nomen perpetuum futurum ſit; quamobrem quod te ſolus jam Deus beare poſſit, ut tu ipſe ſcribis, heic jam deficientem; agnoſco pietatem tuam, & ſummopere laudo. Illud non accipio, te ut deficientem debeas appellare, cujus virtus memoria omnium ſeculorum celebrabitur ſempiterna: qui fructus etſi poſterior longe cœleſtibus præmiis, tamen a te nequaquam eſt contemnendus. Ego quod meum eſt, ſi quid obtineo auctoritatis, & gratiæ, quod quidem per quam puſillum eſt, tibi tamen

(a) Notandum quod quum hæc ſcripſit Sadoletus, nondum pleraque Eraſmi opera prohibita erant, quemadmodum ſubſequentibus temporibus factum eſt. Enim vero Sadoletum eloquentiæ ac humanarum litterarum ſtudio clariſſimum extitiſſe, nemo unus jure inficias iverit: hac tamen laude peritiam eius in rebus Theologicis longe inferiorem, quivis rerum æquus æſtimatur, fateatur neceſſe eſt. Idcirco ipſius teſtimonium, quo Eraſmi ſcriptis ſuffragari aliqua ratione videtur, poſthaberi ſane debet ſapientiſſimorum a Tridentina Synodo delectorum Patrum auctoritati, qui alia Roterodami opera legi abſolute vetuerunt, alia donec expurgentur, prohibenda judicarunt.

tamen totum ita polliceor, & defero; ut ſi erit agendum tua cauſſa quippiam, nihil tibi meo ſtudio & opera futurum ſit paratius. Vale. Ex Urbe octavo Idus Novembr. an.M.D.XXIV.

ANNO M. D. XXV.

EPISTOLA XXXVII. (a)

DES. ERASMUS ROTERODAMUS Jacobo Sadoleto S.D. *Romam.*

Bonifacium laudat: bellorum tumultus deplorat: tum gratias ei agit pro locata in Botzemo ſublevando opera, cujus laudes prædicat, ac demum nonnullorum qui in ſe ſcripſerunt mentionem habet.

QUis eſſe poſſit tam mœſtus, Reverende Præſul, quem illæ litteræ tuæ non exhilararent; tam amanter, tam candide ſcriptæ? In his nivei pectoris tui, cujus ante hac umbram modo quandam e conjecturis, eque multorum prædicatione perceperam, totam effigiem non aliter, quam in ſpeculo contemplari licuit. Quo ſane nomine non minus debeo Bonifacio, quam tua modeſtia ſe illi debere profitetur. Equidem optarim eſſe aliquid in me, quod iſti tuo in me favori reſpondeat; certe in amando Bonifacio non erras, cujus ingenio nihil habet Germania ſincerius puriuſque. Evaderet ad ſummam authoritatem, niſi ſic abhorreret ab aulis Principum, & a

(a) Ex Eraſmi Epiſtolar. edit. Londinen. lib.vigeſimo Epiſt.xxvi. col.991.

& a Reipublicæ muniis obeundis, qui tamen fortaſſis aliquando volens nolens eo protrahetur; quandoquidem Plato, qui non admittit ad tractanda civitatis gubernacula niſi philoſophum, negat idoneum eſſe gerendo magiſtratui, niſi qui nolens ac detrectans ſuſcipit. Agnoſco Pontificis in me pietatem, & illius in me animo copioſius ſum reſponſurus, ſimulatque me hinc in tutum recepero, id quod nunc molior. Hi Monarcharum conflictus vehementer diſcruciant animum meum, per quos nec Pontifice, nec Cæſare, nec rege Gallorum frui licet. Poſt tantas tempeſtates Chriſtus, ut ſpero, dabit aliquam ſerenitatem. Ocium quod mihi gratularis, ſuppeditat hic animus contemptor honorum, ac parvo contentus. Non admittit animus tuus deficientis vocabulum. Qualis ſit mei memoria futura apud poſteros, imo an ulla omnino futura, equidem committo ſuperis, plane corpuſculum hoc collabitur: quod tamen in aliquot adhuc annos poterat ſervire animo, niſi tam ſubinde impeteretur a calculo, malo tam crudeli, ut mortem, qua nihil terribilius, faciat optabilem. Si durum eſt ſemel mori, quanto durius toties mori, & rurſus in novos ali cruciatus? Adverſus hæc mihi ſolida, minimeque diluta philoſophia opus eſt. In omnibus agendæ ſunt gratiæ Domino, qui ſic temperet hominum mala, ut & ferri queant, & tolerantibus vertantur in bonum. Pro Botzemo ſublevato, par eſt ut & ipſe tibi gratias agam. Videbar enim mihi quodammodo & ipſe in ejus cauſa periclitari, non ob id tantum quod amicus ſit, verum etiam quod illi Catalogum omnium lucubrationum mearum dicarim; haud

haud quaqnam factūrus, ſi me levis aliquis ſuſpitionis odor tenuiſſet, illum ab ea factione ſtare, quam damnat Eccleſia. Ante biennium menſem totum uſus ſum illius hoſpitio, liberrimis fabulis hoc omne tempus tranſactum eſt. Interea frequenter nos viſit Baſileæ. Eſt natura ſimplici, omnis fuci ignarus, tum me nihil unquam celavit arcanorum. Ne verbum quidem ullum excidit illi, unde poſſit deprehendi, quod illi nunc quidam objiciunt. Vir eſt plane muſis & gratiis natus, nec arbitror illum unquam de ullo novo dogmate cogitaſſe, nec unquam fuit de illo rumor hujuſmodi, etiamſi forte quidam nonnihil ſuſpicati ſunt, ſed hi parum æqui. Eſt illi vetus neceſſitudo cum nonnullis viris, mea ſententia optimis, niſi quod addictiores ſunt doctrinæ Lutheri: cum his ita priſtinam alit familiaritatem, ut tamen non admiſceat ſe conſpirationi. Accepit nonnumquam Lutheranos, ſed idem frequentius accepit acerrimos hoſtes Lutheri. Atque ut nunc habent res Germaniæ, vitari non poteſt, quin aliquando conſuetudinem habeas cum hujuſcemodi. Ego ſimili comitate non paucos revocavi a factione damnata, etiamſi paſſim redduntur literæ, quibus declarant ſe perſuaſos libello *De libero arbitrio*, ab hoc Lutheri dogmate deſciviſſe. Botzemus, ut tecum aperte fabuler, collegarum aliquot, nec Collegii coryphæum habet ſatis æquum: qui iniquiores illi ſunt ob cauſas, ob quas potius illis charior eſſe debebat, niſi ſic natura comparatum eſſet, ut nonnumquam in bonis etiam ac magnis viris plus valeat affectus, quam judicium: & in Collegiis fere Germanicis gratioſiores ſunt qui venan-

tur, qui convivantur, qui ſtudent congerendis pecuniis, quam qui ſe bonis literis dedicarunt. Poſſem tibi narrare, quorum opera ſubornata ſit hæc fabula, ſed prolixum ſit, & nihil attinet quenquam attingere, poſteaquam Pontificis æquitas tuaque ſedulitas calumniæ periculum depulit ab amico. Si mihi conſtaret quemquam eſſe perverſæ factionis, ne verbo quidem illi ſuffragarer, hunc animum ſemper præſtaturus ſum, quemadmodum præſtiti. Verum ſi quis contempletur ſtatum horum temporum, præſertim apud Germanos, conſultius judicabit dare operam pelliciendis his, qui per occaſionem aliquantulum vacillarunt, quam alienandis qui ſic afflati ſunt aliquo contagio, ut facile ſanari queant. Quin & illud cavendum cenſeo, ne, ut eſt hominum malitia, ſub prætextu religionis & aſſerendæ fidei, vexentur innoxii: utve qui huic aut illi male volunt, aut fortunis inhiant, publicæ cauſæ favorabili titulo abutantur ad privatas & impias cupiditates ſuas. Bonifacius nobis rurſus ex Avenione rediit, doctoris titulo coruſcus. Magiſtratus hic illi detulit publicam Juris profeſſionem, atque ille ſuſcepit. Is ſuis opinor literis aget tibi gratias. Priuſquam obſignem Epiſtolam, addam quod rideas. Solent familiares mei dicere, Jacobi nomen mihi parum eſſe felix, quod tres Jacobi libellis editis in me debacchati ſint. Primum Jacobus Faber Stapulenſis, qui cum tamen mihi nunquam diſſuta eſt amicitia, quod errorem ſuum agnoſcat: certe non redintegravit pugnam. Huic ſucceſſit Jacobus Latomus. Poſt hunc rurſus exortus eſt Jacobus Stunica, homo natus ad hujuſmodi ſycophantias. At

ego

ego me feliciorem arbitror uno JACOBO SADOLETO, quam viderer infelix, etiamſi decem *Jacobi* tales in me ſcriberent. Bene valeat T. R. D. Datum Baſileæ v. Calen. Martias, Anno M. D. XXV.

EPISTOLA XXXVIII. (*a*)

JACOBUS SADOLETUS

Ferdinando Auſtriæ Archiduci.

Reſpondet ejus litteris, quibus petebat, ut perpetuam erga ſe, fratremque ſuum Carolum Cæſarem obſervantiam retineret.

SEreniſſime atque inviɛtiſſime Princeps ac Domine mihi plurimum colende. Reditus Reverendi D. P. Salamanchæ magnam mihi lætitiam attulit. Nam & de Serenitatis veſtræ bona valetudine, ea quæ maxime cupiebam, & de illius optima ac præſtantiſſima in Chriſtianam Rempublicam voluntate, jamdiu nota & commemorata retulit; præterea litteras mihi ab illa reddidit, pleniſſimas humanitatis & ſapientiæ; in quibus me hortatur ut ſuſceptam ſemel erga SereniſſimumCæſarem & ſuam Serenitatem obſervantiam retinere perpetuo velim: quod quidem factурus ſum non aliam ullam ob cauſam, quam quod ſpe firma teneor, magnum Chriſtianæ Reipublicæ commodum in Serenitatis veſtræ eximia virtute,

(a) Extat tom. I. Miſcellan. pag 528.

& fratris ejus ſumma auctoritate paratum fo-re. Quod ut celeriter & expedite videre poſ-ſimus, equidem cuperem hæc civilia & inte-ſtina bella, quibus afflicta & pene perdita Chriſtiana res laceratur, aliquo fine termina-ri, ut quæ per SS. D. N. cui ego tota mente & integra fide deſervio cogitata & deliberata ſunt, nomini Serenitatis veſtræ in primis glo-rioſa, Chriſtianæ Reipublicæ ſalutaria, quam-primum a primo quoque tempore in actum de-ducerentur. Quod ut Deus ſua faxit bonita-te, illius inenarrabilem clementiam ſupplices deprecamur. Mihi, ſi licitum eſt coram Sere-nitate veſtra ea affari, quæ & fides mea, & ſingulare ſtudium erga illius amplitudinem me cogit, nihil optem ardentius, quam ho-rum tot malorum atque tantorum a Chriſtia-na Rep. depellendorum laudem & decus illi reſervari: in qua..., etſi privati aliquid in ea affectus eſt, ut cogatur prope neceſſario ſuſcipere partes & Sereniſſimi fratris ſui, & ſuas..... illa eſt veræ ſapientiæ laus, quæ publicam utilitatem primam omnium ducit, tamen ad illius ſingularem & egregiam perti-net naturam ac ſapientiam providere longius, nec ſolum quæ in præſentia aguntur, ſed etiam quæ in poſterum poſſint impendere, proſpi-cere. Ego & quæ mei deſiderii ſunt ingenue expromo, & pro Serenitatis veſtræ honore, ſtatu, perpetuitate, fama, ita animo & cogi-tatione exulto, ut omnem præclariſſimarum rerum & vere ſummo Principe digniſſimarum gerendarum gloriam, communem illi cum Sanctiſſimo Domino noſtro & conjunctam eſſe cupiam: in quem erga Serenitatem veſtram ani-

animi affectum acrem, atque ferventem, primum Sanctiſſimi Domini noſtri in illam amor incredibilis, deinde ipſius ſumma & meo judicio incomparabilis virtus me impulit; in quo quidem affectu & judicio perpetuo manſurus ſim, atque ejus commodis, amplitudini, gloriæ quantum mea tenuitas feret, omni tempore deſerviturus. Valeat ſemper felix Serenitas veſtra, cui me unice commendo. Ex Urbe die XVII. Jan. M.D.XXV.

EPISTOLA XXXIX. (a)

JAC. SADOLETUS ARCHIDUCI AUSTRIÆ.

De ſua in eumdem voluntate atque officiis.

SEreniſſime atque inviċtiſſime Princeps & domine mihi plurimum colende, poſt commendationem debitam. Dominus Petrus Salamancha doctus vir, & gravis, & Serenitatis veſtræ rerum, ac dignitatis ſtudioſiſſimus reddidit mihi eas litteras, quas ipſa ad me ſcribere dignata eſt, plenas humanitatis, denique dignas, quæ a magno Principe & magno animo prædito mitterentur; mihi vero hoc gratiores, quo minus expectatas. Nam etſi ego, tum meo quodam proprio judicio, quo de ſummis & præſtantiſſimis virtutibus Serenitatis veſtræ mirifice exiſtimabam, tum SS. D. N. cujus mihi omnis voluntas pro nor-

(a) Ex tom. I. Miſcell. pag. 530. Annus incertus; ſed vel idem ac ſuperior eſſe videtur, vel ei proximus; ideo hic eam collocavimus.

ma eſt, incredibili erga eam benivolentia adductus, libenter Serenitatis veſtræ inſerviebam, omniumque ipſius & acta atque conſilia mihi probabantur, & voluntates ac deſideria fovenda videbantur, tamen cum id agebam, non tam quærebam in eo ſatisfacere Serenitati veſtræ, quam animo meo & veritati. Cum enim ipſa pro Sedis Apoſtolicæ dignitate, & pro fidei Catholicæ unitate nullum ſibi laborem gravem eſſe duceret; ita ſtatuebam, pertinere ad omnes qui Chriſti nomen diligerent, & præcipue ad me, qui multis de cauſis ad id ſum obligatus, amare, & celebrare, & omni obſervantia ac cultu proſequi Principem illum, qui de re & pietate Chriſtiana tam præclare promeritus eſſet; ut in eo ipſo vera illi, & perpetua, & in univerſam poſteritatem celebris futura eſſet gloria. Hoc igitur animo, hoc affectu in amplectendis Serenitatis veſtræ negotiis procedebam; ſatis magnum mihi præmium conſtituens in ſinceritate animi mei, & in bona voluntate. At poſtquam Serenitas veſtra pro ſingulari ſua humanitate ſuis litteris haud gravata eſt, grata ſibi eſſe officia mea atque accepta; quod ſponte antea faciebam, ut eſſem illi maxime deditus, id mea omni ratione facere cogor. Neque enim aut ulla res eſt, quæ me magis obliget, quam benivolentia, aut ulli beneficio majorem gratiam debeo; quam tali judicio erga me & voluntati. Quamobrem ſic volo Serenitas veſtra ...... inter multos qui pro illius dignitate, & honore curam ſuſcipiunt & ſuſcepturi ſunt, me, quantum mihi datum, & conceſſum fuerit, primas partes ſtudii, laboris, atque obſervantiæ appetiturum, omnibuſque in

in rebus adnixurum, ut mea conſtans & fidelis erga eam voluntas appareat. De his ulterius cum eodem Domino Petro Salamancha ſum adlocutus; cui ego homini valde affectus ſum, propter eximiam quidem illius doctrinam & ſummam integritatem .... magis quam me ab illo ſentio amari. Valeat felix ſemper Serenitas veſtra; cui me unice commendo. Romæ v. Kal. Novembris.

EPISTOLA XL.

JACOBUS SADOLETUS

Sereniſſimi Archiducis Secretario.

Officioſis ejus litteris officioſiſſime reſpondet.

QUod ſcribis ad me, grata tibi fuiſſe ea amicitiæ noſtræ fundamenta, quæ vir gravis & prudens, & utriuſque noſtrum amiciſſimus P. Salamancha jeciſſet, id mihi ex tuis litteris agnoſcere, fuit jucundiſſimum. Nam & tua virtus antea mihi ſpectata & cognita, & humanitas nunc perſpicue percepta eſt; quarum altera fecit ut te mirifice amarem; altera vero, abs te ut amarer. Quamobrem, quod tu mutuam noſtram benivolentiam multis fortunæ commodis anteponis, facis peramanter. Neque tamen arbitrere, me abs te in amore ſuperari. Is enim ego ſum, qui nulla fortunæ præmia, neque emolumenta cum bonorum & doctorum amicitia comparari putem: in quorum quidem numero vel imprimis tu a me habitus es; quem cum amare mea ſponte occœpi, dedi hoc virtuti tuæ,

cujus nomen & dignitas valet apud me plurimum. Cum vero & tu tam accurate & diligenter de tuo erga me animo benivolo ac propenſo ad me ſcripſeris, planeque mihi ingenuam mentem tuam & ſtudium in amicitia conſtans declaraveris, prorſuſque ita eſſe perſuaſeris, ſi dignus ſum aliquo bonorum judicio, & eis ſtudiis quæ ſemper artium optimarum & honeſtiſſimarum ſum ſecutus; debes exiſtimare, me omni ope curaturum, ut mea tibi & voluntas & benivolentia cum omni tuo commodo & honore reſpondeat. Itaque & quæ tu mihi officia tua polliceris, in eo habeo tuam voluntatem gratiſſimam: & ego de te jam ſum cum hoc meo & omnium Principe accurate locutus, nec jam ut de ignoto homine, ſed ut de amiciſſimo; qui pluribus verbis oſtendit, tuam & fidem & obſervantiam ſibi eſſe acceptiſſimam. Sed ut aliquid tui cauſa faciam aliquando, quod tibi emolumento eſſe queat, Deus & occaſio afferat: ut vero ita velim & optem, jam ſum tibi ex officio noſtro amicitiæ obſtrictus, ſicuti me facturum & polliceor & defero. Tu ut valeas meque perpetuo diligas, magnopere a te peto. Ex Urbe XVI. Kal. Feb.

EPI-

EPISTOLA XLI. (a)

PIETRO BEMBO

Al Veſcovo di Carpentras. *a Roma.*

De confirmata ſua valetudine eum certiorem facit, agitque gratias, quod una cum Giberto apud Pontificem, ſuum negotium curarit.

LA fatica del cammino, della qual temevate, non ſolamente danno alcuno fatto non m' hà; anzi m' hà ella fatto prò grande intanto, che per via riſanai, & divenni gagliardo. Hora ſono quì nella mia quiete, & ſtommivici aſſai tranquillo. Monſig. d' Inghilterra molto vi ſi raccomandava queſti dì che egli era in Padova. Hora è in Vinegia con Pacceo. Perciocchè io mi ſono dimenticato in Roma ſalutarvi a nome di M. Franc. dalla memoria; che legge le Medicine in Padova, & m' havea pregato di queſto ufficio, venendomi egli a viſitare queſti paſſati giorni, per non parere io ſmemorato con uno cotanto memorioſo, lo ſalutai a nome voſtro. Il qual ſaluto egli ſentì con molto piacer ſuo, & diſſemi di volervi ſcrivere; ſiccome ha fatto. Rendovi gratie dell' opera fatta inſieme con Monſignor Datario, affine che N. S. mi donaſſe la compoſition del Canonicato di Padova, & a Sua Beat. baſcio il piè dello haver-

(a) Extat inter Epiſtolas Bembi Italicas tom. 2. pag. 221.

lami ella gratioſamente donata. A cui vi prie-
go ſupplichiate a nome mio, ad eſſer contenta di non laſciare uſcir fuori ne a mano altrui quel libro della Toſcana lingua, che io diedi a S.Sant. fin tanto, ch'egli non eſca impreſſo: il che ſia toſto. A V. S. ſenza fine mi raccomando. State ſano. A 24.di Maggio M.D.XXV. Di villa Nel Padovano.

EPISTOLA XLII. (a)

JACOBUS SADOLETUS N.N.

Judicibus. Gallicis, ut finem aliquando imponant litibus, & cauſſam quamdam ſuam judicent.

SI veſtræ virtutis fama atque opinio, quæ in laude juſtitiæ, & ſtudio æquitatis magnam apud omnes habet commendationem, mihi bene nota & perſpecta non eſſet; durius tuliſſem meæ Eccleſiæ Carpentoractenſis cauſam, cum diu in Aquenſi conſilio agitata, & jam prope ad finem perducta eſſet, ad initia litigandi rurſum eſſe revocatam. Sed quoniam de unoquoque veſtrum ita ſentio, ut de juſtiſſimo, & optimo judice ſentiendum eſt, veſtrique iſtius Senatus gravitatem, dignitatem, conſtantiamque intelligo; gaudeo, mihi oblatam eſſe occaſionem, qua, & patrocinium tantorum virorum experiar, & ego in jure Eccleſiæ meæ proſequendo animi mei integritatem ac innocentiam veſtris Spectabilitatibus probare

(a) Ex tom.1. Miſcellan. pag.537.

bare poſſim. Etſi enim grave eſt mihi litigare, propterea quod optimarum artium ſtudiis deditus, & in hoc onere atque officio, quod ſuſtineo, maximis occupationibus diſtrictus, natura etiam a litibus abhorrens ſum; tamen in hac cura & ſolicitudine illæ res me conſolantur, primum, quod Deo omnipotenti deſerviens, cum Eccleſiaſticas res retineo, videor mihi Dei honori & debito meo non deeſſe; deinde, quod veſtri clariſſimi, graviſſimique Conſilii æquitatem atque virtutem confido juſtitiæ, & veritati fore propitiam. Non enim ego aliud quicquam quæro aut poſtulo; nec vero quæſivi unquam, niſi juſtitiam & juſtitiæ exitum: cum qui res Eccleſiæ meæ diripuerunt, & illam poſſeſſionibus ſuis expoliarunt, omnibus artibus ſemper ſtuduerint, ut numquam finis huic judicio daretur; cauſamque ſpolii præſertim, per triginta circiter annos tractatam & actam, ad terminum venire paſſi non ſint, nunc varias cavillationes ſubterfugiaque inveniendo, nunc producendis, ſæpe bis, aliquando ter eiſdem ſcripturis, maximum proceſſus volumen cumulando, quo diem ſententiæ ferendæ in infinitum extraherent. Quas illorum artes & calliditates non commemorarem, niſi in poteſtate veſtra eſſet celeriter cognoſcere, utrum ego hæc vere, an ſimulate ſcriberem. Sed per Deum immortalem, cujus ante trhonum juſtitia ſedem ſuam habet, & qui filios hominum, ſi vere juſtitiam loquuntur, juſte jubet judicare; oro obteſtorque vos viri præſtantiſſimi, ut cauſam hanc ita cognoſcendam & finiendam ſuſcipiatis, ut diu multumque per tot annos agitata, aliquando veſtræ ſapientiæ judicio conquieſcat; & quod

jus dictat, veritas præſcribit, veſtra virtus integritaſque pollicetur, deciſione & ſententia declarare velitis. Quamquam hoc ipſum Spectabilitates veſtræ ſponte ſua facturæ ſunt; tamen illud orare atque obſecrare meum eſt (in quo maximum beneficium a vobis accepturus ſum) ut non me diutius in hac ſollicitudine verſari permittatis. Satis diu mea Eccleſia vexata eſt, ſatis ego cum litigioſiſſimis hominibus conflictatus: qui ſi aut privatæ cupiditatis cauſa, aut quo avaritiæ prædam comparem, cauſam hanc ipſam perſequor; indignum me judico, qui apud vos gratiæ locum inveniam. Si vero ex debito & officio id ago, & quo Eccleſiaſticis facultatibus uti poſſim ad ſubſidium bonorum, atque egentium; de qua mea voluntate & natura ferre teſtimonium poſſunt qui me noverunt; peto a vobis, ut me ipſum & Eccleſiam ipſam meam commendatam vobis accipiatis, velitiſque pro humanitate veſtra dare hoc mihi precanti, ſi non iniqua deprecor; dare nomini & dignitati non ſolum veſtræ propriæ, ſed & communi Galliæ totius, quam ego, in ea Eccleſiam, hoc eſt cœleſtem ſponſam aſſecutus, patriam meam chariſſimam eſſe profiteor, ut apud vos & in veſtro judicio quod æquum juſtumque fuerit, non ſolum judicatum, ſed etiam accurate & celeriter judicatum ſit; ut ego his moleſtiis aliquando liberatus, ad ferendam vobis gratiam expeditus eſſe poſſim: quod tanto amore & ſtudio polliceor me facturum, ut nemo ex vobis meam aliqua in re operam quæſiturus ſit, quin ſummam in me fidem & ſummam benivolentiam ſemper reperiat; iſtius autem præclari eximii Senatus nomen & auctori-

ctoritatem, virtutem, omnibus a me officiis, atque omni obſervantia cultam in perpetuum, & honoratam ſit intellecturus. Romæ XXVII. Junii M. D. XXV.

EPISTOLA XLIII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Joanni Matthæo Giberto
Epiſ. Veronæ S.P.D.

Dedicatio interpretationis in Pſalmum Miſerere mei Deus.

SÆpe in ſermonibus noſtris, quos amiciſſime & ſuaviter inter nos habere ſoliti ſumus, incidit mentio de litteris ſacris, quibus tu pro præſtanti in res Chriſtianas voluntate mirifice deditus es: cumque laudares vehementer Pſalmorum volumen, deque eo ita ſentires, nihil eſſe virtuti religionique conducens, quod non in illo libro præclare ſcriptum & præceptum eſſet: memini aſſentiri me tibi, jacereque præterea ſignificationem ejuſmodi, cupere me ſi unquam otium eſſem nactus, interpretari volumen illud, & commentarios conficere, in quibus commovendis legentium animis ad amorem rerum ſacrarum & ſtudium veræ pietatis, omnem meam curam & diligentiam ponere cogitarem. Quibus te meis verbis recordor commotum ſuſpiraſſe aliquando contentius, atque ut facile tua proba mens, & animus erga Deum propenſus appareret, inſtituiſſe petere a me, ut ſi minus omnes, ſaltem Pſalmos ali-

aliquot in præſentia ſumerem interpretandos, quo tibi maxime ſitienti eorum, quæ in his incluſa & abdita ſunt myſteriorum, meam opinionem & ſententiam aperirem. In quo etſi vincebar omnino amore tui, tuæque voluntati non parere nefas ducebam, tamen quod tibi mea occupatio ipſa denegabat, rejici te ad ſcriptores veteres ſanctiſſimos homines, quorum plures ac variæ in id opus lucubrationes extant egregie ſcriptæ, ex quibus poſſes intelligentiæ haurire tantum, quantum velles. Quos omnes tu cum optime haberes cognitos, dixiſti, probare te quidem ſcripta illorum & maximi facere, ſed quod eorum nonnulli jejunius ſcribant, quam tantarum rerum videatur explicatio poſtulare, quidam propoſitis ſententiæ finibus egreſſi, alieniora quandoque colligant, cupere te in alteris quidem aliquanto plus ubertatis, in alteris minus redundantiæ. Suſcepti igitur tuo juſto deſiderio & benevolentia adductus unius Pſalmi munus, non tam interpretandi nunc quidem, quam exempli in eo edendi, ad quod meo quidem judicio omnem hujuſmodi interpretationem tractari oporteret, non eadem fortaſſis ubique copia, ſed eundem ad modum, quo ſenſa illa myſtica & divina, non ſolum ſcrutantibus patere poſſent, ſed adhiberentur animis quoque amorem Dei, & hujus cœleſtis ſcientiæ cultum accendendis. Nam qui in una inſiſtunt litera, aut qui moralem ſenſum dumtaxat, quique myſticum allegoricumve ſuſcipiunt, ii mihi videntur in eo corpore, quod tractandum totum eſt, ſectiones facere minime neceſſarias: ut ſi in Phidiæ ſtatua, cum integrum ſimulacrum cognoſcere averemus, ba-

baſim ipſam tantummodo, aut aliquod ſeorſum membrum niterentur demonſtrare. Neque ego hoc, quod ego omnia putem confundenda. Quid enim id liceat in tam immenſa Spiritus Sancti copia, cujus momento in univerſa permeans vis eſt? Sed quod ut captus erit intelligentium, utiliora quæque & præclariora ſtatuam non oportere poſtponi. Verum de hoc meo judicio, tuum mi Giberti doctiſſime, futurum eſt judicium. Elegi autem Pſalmum hunc, qui mihi maxime & meis fortunis aptus eſt, qui in his vitæ mortalis fluctibus enavigandis obruerer plane, infirmo admodum & debili meæ virtutis remigio, niſi ad miſericordiam Dei tanquam ad portum meæ ſpei & ſalutis receptum haberem: ad quam quidem poſcendam atque implorandam, hic proprie Pſalmus ordine quinquageſimus videtur eſſe factus. Hanc vero ipſam lucubratiunculam, tibi potiſſimum & nomini tuo dedicavi multis quidem de cauſis, vel doctrinæ tuæ vel virtutis, vel ſummi inter nos amoris. Nam cum nullum par duobus nobis in hac civitate amicitia eſt conjunctius, tum tua virtus ejuſmodi eſt, ut pene incredibili & inaudita laude, neque maximarum multitudine occupationum de bonarum literarum ſtudiis aliquod imminuat, nec propter literas quidquam patiatur negotiis eſſe detractum, fructus quin ipſos etiam doctrinæ ac ſcientiæ præclaros & uberes ad res gerendas transferat. Adde quod vel caput eſt neceſſitudinis noſtræ, quod eidem Pontifici Maximo ambo operam navamus, cujus mens præcipue ad res ſacras propenſa eſt. Qui cura, labore, conſilio, ſapientia ad fulciendas Chriſtianitatis ruinas a Domino

mino Deo electus, tam admirabilem præſtat integritatem ac diligentiam, ut in hoc uno illa longe eminens, & ceteris multum præclara pontificia dignitas, virtute ipſius tamen ac religione valde inferior eſſe videatur: cui dum inſervimus, ſatis nos beatos eſſe judicamus. Sed hæc hactenus. Tu ut munuſculum hoc a me grate accipias, magnopere a te, mi Giberte jucundiſſime, peto. Vale.

EPISTOLA XLIV. (a)

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

Jac. Sadoleto Epiſ. Carpentor. *Romam.*

Sadoleti in Pſalmum L. Commentarium mirifice laudat, quem in Germania excudere ſe cogitare narrat; eumque de ſtudiis rebuſque ſuis certiorem facit.

Commentarium tuum in Pſalmum quinquageſimum nondum perlegi, ſed tantum carptim deguſtavi; nec enim hactenus plus licuit per occupationes. Mox totum avidiſſime devorabo. Primo ſtatim guſtu mire me cœpit amor ac facilitas ſimplicitaſque dictionis, cum ſumma pietate conjuncta. Nihil abs te prætermiſſum, quod ad eruendos explanandoſque prophetæ ſenſus pertinet, qui Græcos etiam nonnumquam conſulis, interim & Hebræos. Si tales libellos nobis ſubinde mit-

(a) Eſt 81. lib. xix. Epiſt. Eraſmi edit. Londinen. an. 1642. & legitur col. 901.

mittat Roma, confido futurum, ut plerique mortales aliquanto melius ſentiant de veſtra urbe, in qua perſpiciant eſſe viros; qui libros arcanos non eloquenter ſolum, verum etiam ſanɫe pieque traɫare norint. Etenim qui iſthic bonas literas profitentur, quanquam in ſuo genere ſtudiorum excellunt, tamen in hunc uſque diem ad rei Theologicæ cognitionem haud ita multum contulerunt. Geſtio libellum hic typographis excudendum committere, quo latius per orbem ſparſus plures accendat ad ſtudium pietatis; ſed ſcrupulum injicit libello annexa excommunicatio, quam arbitror tamen nihil aliud ſentire, quam ut iſthic Salvus a damno vindicetur. Alioqui quum officina Salvi non poſſit omnibus mundi regionibus ſuppeditare, videtur hoc non ſine gravi ſtudiorum jaɫura futurum, ſi liber magnam utilitatem allaturus, ſit ab uno dumtaxat Romano typographo petendus. Arbitror Carolum meum re feliciter geſta ſeſe ad reditum accingere. Hic agitur miſera cruentaque fabula, cujus utinam Dominus det felicem cataſtrophen. Nos ſubita tempeſtate deprehenſi, inter ſacrum & ſaxum, ut ajunt, hæremus, non ſine gravi diſcrimine. Utinam nunc liceret e Tybri bibere. Scurræ quidam Monachi non deſinunt in me libellis rabioſis debacchari (*a*), quidam etiam anonymis. De

(a) Quid de Eraſmo ſentiendum ſit, ac P. Caniſii de eo judicium, habes in notis ad Epiſtolas Pontificias pag. 222. Nemo autem non fatebitur multa in Eraſmi ſcriptis irrepſiſſe partim impia, partim a vera fidei regula

De penſione Cæſaris nulla ſpes eſt, ni redeam in Brabantiam. Atqui hic ventus, neque navigare ſinit, neque anchoram figere. Bene valeat tua R.D. Baſileæ, poſtridie Cal. Julias, anno M. D. XXV.

EPISTOLA XLV. (a)

PIETRO BEMBO

Al Veſcovo di Carpentras. *a Roma.*

Editurus ſuum opus de lingua Italica, petit a Sadoleto, ut privilegium obtineat a Sum. Pont. quo cautum ſit, ne illud in ditione Eccleſiaſtica ab ullo imprimatur.

HO dato ordine, che l'opera della lingua volgare, che io portai a N.S. in Vinegia ſia impreſſa a queſti dì. Al che fare m'è biſognato tardare alquanto per la fattura delle carte buo-

gula abhorrentia; ut merito ejus opera Patres a Tridentina Synodo delecti alia legi abſolute vetuerint, alia donec corrigantur, prohibenda exiſtimarint. Hinc modeſte amiceque reprehenditur idem Roterodamus a Sadoleto, cum alias, tum in Epiſt. data XIV. Cal. Octob. M. D. XXX. in qua eum hortatur Sadoletus, ita ſuam ſcribendi rationem inſtituat, ut in iis etiam quæ poſſint optimo meritoque jure reprehendi, illiuſmodi reprehenſio non a ſtomacho neque ab iracundia profecta eſſe videatur: quod quidem ſi *cuiquam* (inquit) *tibi profecto convenit*. Id autem haud quaquam præſtare videtur Eraſmus in hac Epiſtola, dum eos qui in illum ſcripſere contumelioſis verbis appellat.

(a) Extat tom. I. Epiſtolarum Bembi Italicarum pag. 212. edit. Venet. an. 1575.

buone a ciò. Priego hora voi, poiche lo Stampatore non ha voluto pigliar queſto carico altramente, che impetriate da N. S. un brieve, che vieti il poterla imprimere a ciaſcuno altro nelle terre di Sua Santità, fuori che a colui, che hora la ſtamperà: il cui nome ſia in queſta lettera. Siate contento di baſciare il Santiſſimo piè ſuo a nome mio: & raccomandarmi nella buona gratia di Monſignor Datario Signor mio. State ſano. A 3. di Luglio MDXXV. di Villa Nel Padovano.

EPISTOLA XLVI. (a)

JACOBUS SADOLETUS N. N.

Reſpondet, facultatem conferendorum beneficiorum ad triennium, aliaque petenti.

REverendiſſime in Chriſto Pater & Domine, debita & reverenti benedictione præmiſſa. Litteræ, quas V. P. Reverendiſſima mihi miſit ſuper facultate conferendorum beneficiorum ad triennium impetranda, ſimul cum litteris Sereniſſimi Cæſaris, ad SS. D. N. & ad me ſcriptis, a me quidem diligenter Summo Pontifici redditæ fuerunt. Sed, cum ipſe cuperet uti benignitate erga eam, de qua optime ſentit ſemper & loquitur, non tamen potuit, propter expectativas, quarum illo ipſo tempore expeditio erat in procinctu paulo poſt facienda, quæ inde eſt facta; cum peterem ad reſervata, libenter ſe facturum fuiſſe re-

(a) Ex tom. I. Miſcellan. pag. 535.

reſpondit, ſed ſe impediri, ex eo, quod plures ex Hiſpanis Epiſcopi, ac Archipræſul imprimis Toletanus, idem inſtantiſſime petierunt, ſeque a D. V. in ſimili gratia ſuperatos eſſe moleſte ferrent; quorum precibus reſiſtere non poſſet ſi D. V. ſoli morem gerere vellet. Dixit tamen de reſervatis, ſe majorem partem mihi collaturum, ut de eis gratificari hominibus bene de D. V. meritis poſſem. Ac de hac quidem re nihil amplius exprimere potui: de cauſa vero & contentione Capituli Conchenſis, cum oſtendiſſem Sanctitati ſuæ litteras, & D.V. illi plurimum commendaſſem; dixit, via juſtitiæ ordinaria id ab illis fuiſſe impetratum: quod ſi commiſſio denuo ad Signaturam referretur, ſe conſulturum juſtitiæ & honori D. V. multaque benigne & honorifice de ea locutus eſt. Dixi Reverendo P. Cantori, ut curaret, ſolicitaretque negotium; me omni diligentia D. V. rebus non defuturum: quod quidem agam ſemper, nec me unquam illius ſingularium clariſſimarumque virtutum, & alias expertæ erga me benivolentiæ capiet oblivio; tantum donet mihi Deus, ut quo animo quaque obſervantia erga eam ſum, factis & rebus declarare poſſim. Præteritis diebus rumor fuit D. V. pro Oratore Cæſaris huc adventurum, quod ego lætiſſimo animo accipiebam: nihil enim mihi poſſet evenire jucundius, quam illam videre, & alloqui, & coram meam illi reverentiam benivolentiamque præſtare; ſed is rumor nunc evanuit: quicquid ſit, iter omne precor ſit D. V. fauſtum & proſperum. Nos in aliquo metu peſtilentiæ ſumus, magna tamen adhibetur diligentia, nec principis benignitas & liberalitas

tas publicæ curæ deeſt. Summum Deum deprecor, ut D. V. Reverendiſſimam ſalvam diu incolumemque cuſtodiat: ipſum vero & ſolitum erga me amorem conſervet, enixe oro. Ex Urbe ultima Auguſti M. D. XXV.

EPISTOLA XLVII. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Præſidenti &c.

Mandat quibuſdam Judicibus Gallicis, ut finem aliquando imponant litibus, & cauſſam quamdam ſuam judicent.

ETſi non dubito virtutem & integritatem tuam ad expediendam tandem aliquando cauſam meæ Eccleſiæ Carpentoractenſis, mihi pro tua præſtanti humanitate affuturam, tamen cum poſt trigeſimum ferme ſpolii atque injuriæ ei Eccleſiæ factæ & litium agitatarum annum, hìc qui proxime appropinquat annus magnam mihi ſpem præbeat, tua imprimis auctoritate & juſtitia interveniente, exitus inveniendi earum moleſtiarum, quas diu adverſarii malitia ſum perpeſſus, volui has ad Spectabilitatem tuam litteras ſcribere; quibus & me reſque meas ejus fidei commendarem, & meum erga illam animum declararem. Ego enim in eis rebus, quos ad te pertinere arbitratus ſum, id ſtudii profecto præ-

(a) Hæ uti & XI. quæ ſequuntur litteræ ejuſdem argumenti, extant tom. I. Miſcellaneor. Bibl. Colleg. Rom. pag. 540. & ſeqq.

præbui, quod & tuæ eximiæ virtutes, & mea inſignis erga te benevolentia poſtulabat: ſumque eodem animo paratus ſemper futurus, (utinam ea mihi offeratur occaſio) quo melius etiam mentem meam, & deſiderium inſerviendi tibi poſſis cognoſcere: quod donec acciderit, ut interea meam optimam voluntatem grate accipias, magnopere a te peto. Abs te vero id poſtulo, quod in præſentia mihi concedere cum tua laude potes, ut tua auctoritate, benignitate, gratia, cauſa mea expediatur; atque ita expediatur, ut id quod ego maxime volo, jus, & æquum, & veritas in ſuo honore retineatur. Hanc petitionem, ſi tu juſtam intelligis eſſe, da mihi quæſo, meæque obſervantiæ, & ſummæ erga te benivolentiæ, ut tua ope & patrocinio ab hoc onere liberer. Multa ſunt officia, quæ ego abs te tali viro expectare poſſum: es enim in eo honore & loco conſtitutus, ut plurimis in rebus egere poſſim tuo præſidio; ſed nullum certe majus beneficium, nullum mihi carius nec gratius potes exhibere, quam ſi ſenſero, te favente, & moderante judicium, ſententiam primo quoque tempore in hac cauſa latam; pro quo munere tibi ſum perpetuam gratiam & obligationem debiturus, nec unquam animo quieturus, donec aliquo inſigni teſtimonio experiare meæ erga te effectum benivolentiæ & amantiſſimæ voluntatis. Romæ III. Novembris M. D. XXV.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.

JAC. SADOLETUS NOVO PRÆSIDENTI

Idem Argumentum.

SPectab. & Magn. tamquam frater honorande. Gratularer libenter dignitati tuæ, quod ad præſidendum tanto iſti Conſilio fueris vocatus, niſi multo magis ipſi Conſilio gratulandum eſſet, quod tanto Præſide fuerit exornatum. Sic enim intelligo; omnes illas virtutes, quæ in magno viro, & patrono juris ac juſtitiæ requirendæ ſunt, in te ipſo cumulate exiſtere, ingenium, æquitatem, prudentiam, ſcientiam, quodque præterea rarum inter homines eſt, & ut ego judico maxime præclarum, te ita excellere ac florere eis artibus & litteris, quæ & ſunt & vocantur optimæ, ut nullam laudem deſiderari in te ſinas. Quibus ego rebus & cauſis adductus, etſi opem tuam mihi & cauſſæ meæ, quæ iſtic agitatur, accedente ſemper veritate & juſtitia, eram imploraturus; tamen hoc libentius facio, quod video in te non ſolum auxilium & patrocinium, ſed aliquanto etiam magis benivolentiam ac amicitiam optimi, & præſtantiſſimi, & omnibus rebus ornatiſſimi hominis mihi eſſe optandam: cujus imprimis adipiſcendæ cauſa, has denuo ad te litteras ſcribere ſum inductus; cumque ego, ſimili tecum voluntate, multum bonis litteris tribuam, & honoris, & ſtudii; arbitror eam cauſam, quæ me ad te amandum maxime impulit, tibi quoque ad me diligendum alicujus mo-

momenti futuram : non enim dubito, quin, qua es doctrina, eadem ſis humanitate ; & quo es animo omnium virtutum laudem conſecutus, eodem animo ſis eos, qui ad te colendum accedunt, ad tuam amicitiam & benivolentiam accepturus ; quod ut in me ipſo facias, te vehementer rogo. Et quoniam tua auctoritas in iſto Conſilio plurima eſt : pro veritate juſtitiæ & integritatis tuæ, cauſam meæ Eccleſiæ quæ xxx. ferme annis calumnia adverſariorum protracta, & nunc ad calculum pene redacta eſt, ut decidi & terminari ex juris ratione adjuves atque efficias, etiam atque etiam deprecor. Ego omnem amoris ſignificationem, quem mihi exhibueris, ita ſum grate & jucunde accepturus, ut in perpetuum, quam ſuſcepero erga te obligationem, nulla unquam ætas ſit diſſolutura ; quicquid etiam in me erit ſtudii, auctoritatis, operæ, id totum tibi & honoribus commodiſque tuis, ac tuorum promptum ſit paratumque futurum : in quo & fidem meam firmam eſſe ſenties, & amorem experiere. Vale. Romæ III. Novembris M. D. XXV.

EPISTOLA XLIX.

JACOBUS SADOLETUS PRÆSIDENTI (a)

Idem Argumentum.

SPectab. & Magnifice &c. Audio Spectabilitatem tuam florentem laude virtutis, atque doctrinæ, præſidere in iſto Conſilio Tholoſano

(a) Vide ejuſdem Sadoleti Epiſtolam LXXIII. ad N. Senatus Tholoſani Præſidem datam XI. Cal. Novembris an. M. D. XXVII.

ſano, quod propter gravitatem & juſtitiam magni nominis ubique eſt: quod ego ſumme gaudeo; gratulorque, dignum honorem in te tali viro virtuti eſſe habitum. Et quoniam ego eorum qui virtutum ornamentis præditi ſunt, ſum & natura & voluntate amiciſſimus, peto a te, ut tu quoque me aſpirantem tecum ad conjunctionem benivolentiæ, ne aſpernere, veliſque mihi eſſe ad tuam amicitiam aditum; ſicut te facturum ſpero, ſi modo, ut audio, pari humanitate & doctrina polles: Tulit autem caſus & curſus temporum, ut apud te primum eſſet facultas promerendi de me; quod quidem juſtiſſime & rectiſſime facere poſſis: non enim aliter volo nec poſtulo; ſed ut cauſam meæ Carpentoractenſis Eccleſiæ triginta fere annos in Aquenſi Conſilio agitatam, & nunc iſtuc translatam, pro juſtitia abſolvi expedirique adjuves, oro te & deprecor: hoc enim eſt in quo maximum abs te expecto beneficium, cui debiturus ſum gratiam ſempiternam. Cauſa ſpolii eſt; quod jus ſemper expeditum eſſe ſolet; & nunc tamdiu dilatum finem aliquando habere debet, quod potiſſimum, tua auctoritate adjuvante, confido fore: adverſarius homo omnium litigioſiſſimus, qui exitum cauſæ videre non vult: hac tu me cura & ſollicitudine ut aliquando, jure præeunte, liberes, humanitatem tuam omni ſtudio obteſtor; quo ego liberius poſſim & optimarum artium ſtudiis vacare, quibus mirifice ſum deditus, & huic ſummo Pontifici deſervire apud quem maximis occupationibus obſtrictus ſum. Tu, ut hujus tui meriti intelligas gratiam tibi a me relatam, ac meam omnem operam, ſtudium, auctoritatem tibi

ac tuis in hac Curia paratam eſſe cognoſcas; efficiam, perpetuamque tibi fidem in amicitia & benivolentiam præſtabo; ut te nunquam me accepiſſe in clientelam pœniteat: ſicut cum Spectabilitate tua nobilis vir Gregorius..... pro vice mea latius loquetur, cui illa fidem habebit.

EPISTOLA L.

JAC. SADOLETUS PRÆSIDENTI

Idem Argumentum.

VIrtus tua & prudentia, quam ego intelligo eſſe eximiam, animum mihi dat ad Spectabilitatem tuam ſcribendi, ut & commendem cauſam Eccleſiæ meæ, quæ ad veſtrum judicium delata eſt, & inveniam aditum ad præſtantis & magni viri amicitiam, quam ego ceteris rebus anteferendam puto. Nam cum hoc habeat virtus, ut ingenuos animos ad ſe amandum alliciat, ego, qui ſi non virtute præditus, virtutis tamen cultor ſum, ita ad te amandum colendumque acceſſi, ut te quoque rogem atque obſecrem, ut me dignum tua benivolentia ducas. Quod ad cauſam meam pertinet, nihil a te peto, niſi juſtitiam & integritatem, quam tu ſponte tua omnibus præſtiturus es: illud, oro te, concedas benivolentiæ & occupationibus meis, quæ apud ſummum hunc Pontificem maximæ ſunt, ut celeritate expeditionis ab his aliquando ſolicitudinibus tua benignitate liberer; quod maximum abs te beneficium accepturus ſum, tibique pro eo æternam gratiam habi-

habiturus. Cauſa Spolii eſt, res, ut ego arbitror, a parte noſtra plena æquitatis. Sed eſt negocium cum homine omnium hominum litigioſiſſimo & verſutiſſimo; cujus injuriis ego & Eccleſia mea ne opprimamur, ad tuam quoque fidem & juſtitiam pertinet providere, atque ut poſt triginta fere litis, aut amplius annos, aliquando expediamur. Ego, quod pertinet ad me, ita tibi tuiſque meam omnem operam, benivolentiam, fidemque in amicitia polliceor, ut nil ſim gratius habiturus, quam occaſionem mihi dari, meæ voluntatis & benivolentiæ tibi oſtendendæ. Vale.

EPISTOLA LI.

JAC. SADOLETUS RELATORI.

Idem Argumentum.

SPectabilis & Magnifice &c. Quod te de nomine tuo non cognoſcam, id veſtri moris veſtræque conſuetudinis eſt. Soletis enim velle occulta nomina eorum, quibus in definiendis cauſis relatio ad Conſilium mandata eſt; quod vero intelligo te integritate, & doctrina, & optima erga juſtitiam voluntate excellere; in eo mihi vehementer gratulor, ad talem virum potiſſimum, meam cauſam referendam eſſe delatum. Sed etſi aliquantum audacius inductus ſum ſcribere ad te ..... ex illo amore, quem ſuſceptum erga eximias virtutes tuas in animo non mediocrem gero; volui has litteras teſtes tibi afferri meæ erga te amantiſſimæ voluntatis. Equidem, ſi peterem aliquid abs te, quod minus ex veritate, minuſque ex officio probi viri eſſet; re-

prehenderem ipſe me, neque is eſſem, qui ſemper eſſe volui, æqui & recti & juſti obſervantiſſimus, tu vero, cujus ſingularis integritas egregia opinione eſt, facile me poſſes & damnare & coarguere: ſed abſunt hæc ab utroque noſtrum. Ego vero peto & deprecor, ut poſt triginta fere litium annos, tua induſtria, opera, auctoritate meæ Eccleſiæ cauſa aliquando definiatur. Faciunt autem meæ plurimæ occupationes, & illud ſtudium, quod ego optimis artibus & litteris aſſiduum do, ut abhorreat in me animus a litibus: nec ex omnibus beneficiis quæ mihi multa a tui ſimilibus venire poſſunt, ullum ſit mihi expectatius harum curarum & moleſtiarum levamento: quod, quando in tua poteſtate ſitum eſt, obſecro te & deprecor per vinculum illud pietatis & juſtitiæ, quo Deo omnipotenti omnes obſtricti ſumus, perque amicitiæ fidem, quam ego mihi tecum & fidam & perpetuam eſſe opto, ut me & meam libertatem tranquillitatemque tibi habeas commendatam, aliquantumque laboris mea cauſa aſſumas, ut tuo ſingulari dono his ſolicitudinibus celeriter ſim abſtractus: atque hoc ita abs te peto, ſi tu me non indignum exiſtimas, quem tuis præclaris beneficiis ornatum, perpetuam tibi gratiam conſtituas debere. Illud quod & grati, & conſtantis, & non inertis hominis proprium eſt, ego tibi a mea parte defero ac polliceor, nullum tempus unquam fore, quo aut memoria in me nominis tui aboleatur, aut gratiæ tibi referendæ voluntas: quam promiſſionem his litteris expreſſam, fideliſſimi pignoris & teſtimonii loco apud te perpetuam eſſe volo. Vale Romæ 3. Novembr. 1525.

EPI-

EPISTOLA LII.

Jacobus Sadoletus Consiliario

Idem Argumentum.

Spectabilis & Magnifice &c. Tua virtus multorum mihi cognita teſtimonio facit, ut & amicitiam tuam ſummopere expetam, & tui auxilii indigens, audacter ad te confugiam in re quidem juſtiſſima & rectiſſima: non enim aliud aut me petere aut te concedere honeſtum eſt. Habeo cauſam cum homine omnium litigioſiſſimo Domino de Muris ſuper duobus dirutis oppidis S. Lamberti & Baſtiti de Beſania, quibus mea Carpentoractenſis Eccleſia ſpoliata fuit, quæ cauſa annis fere 30. in Aquenſi conſilio agitata, cum prope ad finem adducta eſſet, ſemper fugiente adverſario deciſionem litis, ejus calliditate & verſutiis, ad iſtud nobile Conſilium translata eſt: hanc ego peto aliquando poſt tam diuturnum tempus abſolvi expedirique, prout juſtitia exigit; ſed ad celeritatem expediendi requiro opem & auctoritatem Spectabilitatis tuæ, qua plurimum illam pollere intelligo, ſi modo non indignus ſum, quem humanitate & benignitate tua in re honeſtiſſima eſſe adjutum velis. Mihi quidem abs te nullum majus beneficium dari poteſt, quam ſi ero his litigandi ſolicitudinibus te adjutore liberatus, a quibus mea mens & natura longe abhorret: præterea cum ſim & litterarum optimis ſtudis valde deditus, & maximis apud hunc ſummum Pontificem occupationibus obſtrictus, amo & de-

ſidero his curis liberari: quod ſi tua clementia fuero aſſecutus, polliceor tibi, me totum in tua poteſtate futurum, gratiamque tibi hujus meriti perpetuam habiturum. Equidem quantum in me eſt vel auctoritatis, vel gratiæ in hac Curia, etſi id non multum eſt, tamen ita tibi promptum & paratum offero, ut nunquam ſis in me nec fidem amicitiæ, nec memoriam gratæ & benivolæ erga te voluntatis fruſtra deſideraturus: ſicut &c.

EPISTOLA LIII.

Jabobus Sadoletus Consiliario.

Idem Argumentum.

Spectabilis & Magnifice, tamquam frater hon. Peto a te, ut quo ego animo ad tuam amicitiam expetendam venio, eadem tu me excipias voluntatę; & quoniam caſus tibi primum obtulit facultatem beneficii in me conferendi, tuam humanitatem ſimul & juſtitiam mihi paratam eſſe velis. Habeo cauſam meæ Ecclesiæ Carpentoractenſis, quæ ab hinc annis circiter 40. duobus territoriis oppidorum dirutorum ſpoliata, agit ad recuperationem ſpolii: quæ cauſa triginta fere annis plus minuſve in Aquenſi Conſilio agitata, nuper ad iſtum graviſſimum Senatum avocata eſt, adverſarii mei calliditate & verſutiis, qui omnium hominum maxime litigioſus, nullum juris finem unquam videre vellet. Hujus ego cauſæ celerem expeditionem poſtulo, precorque a Spectabilitate tua, per illam virtutem & integritatem tuam, qua te ſumme valere intel-

intelligo, ſuſcipias in fidem & patrocinium tuum me ipſum, & meam ſponſam Eccleſiam, qui & optimarum artium ſtudiis deditus, & maximis apud ſummum Pontificem occupationibus impeditus nihil magis cupio, quam finem litigii, a quo mea natura longe abhorret: nec majus beneficium accipere poſſum, quam harum ſolicitudinum liberationem. Quantum ergo Spectabilitas tua, ſalvo officio & fide ſua, mihi in hujus cauſæ expeditione favere dignata fuerit, tantum ego tibi in perpetuum debiturus ſum; habiturusque gratiam tuæ benignitati ſempiternam: & quod ad me pertinebit, in eis rebus omnibus, quæ tibi honori & commodo eſſe poterunt quicquid eſſe in me poteſt, in hac Curia aut auctoritatis aut gratiæ, etſi illud non maximum eſt, totum tamen tibi atque tuis futurum eſt paratum: in quo me memorem & gratum atque in ſuſcepta amicitia fidelem ſemper es experturus.

EPISTOLA LIV.

JACOBUS SADOLETUS

Conſilii Tholoſani Conſiliario.

Idem Argumentum.

SPectabilis & Magnifice &c. Si ea tua eſt humanitas, quam ego eſſe audio, mihi his litteris ad tuam amicitiam aſpiranti facilem aditum præbebis; præſertim cum omnia ſim honeſta & recta a te petiturus: hoc enim & naturæ meæ petere eſt, & tuæ integritatis concedere. Nam cauſam quidem meæ Carpentoractenſis Eccleſiæ triginta & amplius annos

injuriis adverſariorum oppreſſæ, ſuper recuperando ſpolio actitata eſt, ut pro juſtitia & veritate commendatam accipias, vix petendum a tua Spectabilitate eſt: tu enim ex natura & integritate tua, juſtitiæ & veritati non es defuturus. Illud eſt, in quo velim adeſſe mihi humanitatem & benignitatem tuam; ſi modo preces meæ juſtam cauſam afferunt obtinendi, quod precamur; ut litem tanto tempore dolis & calliditate adverſarii ductam, aliquando tandem in iſto ſapientiſſimo Conſilio, tua auctoritate mihi aſſiſtente, videam expeditam. Hoc eſt illud beneficium, quo a te cupio affici, quod mihi maximum futurum eſt; cum & natura a litigando abhorrens ſim, & maximis apud hunc ſummum Pontificem occupationibus impeditus. In hoc ſi tua benigna mens precibus meis annuerit, ſumpſeritque ſtudium & curam juſtitiæ meæ expediendæ, polliceor tibi, me æternam pro tanto dono gratiam tibi habiturum; omnemque daturum operam, ut te collocati in me beneficii nunquam pœniteat: quicquid certe valeo & poſſum vel opera, vel gratia, vel auctoritate in hac Curia, etſi ea in me non magna ſunt, quantacumque tamen ſunt, tuis commodis ac honoribus ſunt parata: in quo & fidem amicitiæ, & ſtudium amoris erga te ſemper in me cognoſces.

EPI-

EPISTOLA LV.

Jacobus Sadoletus Consiliario

Idem Argumentum.

Ex meorum litteris certior factus ſum, te in meæ Eccleſiæ cauſa, quæ 30. ferme annis calumnia & malitia adverſarii extracta litibus eſt, ſingularem quamdam juſtitiam & integritatem oſtendiſſe; operamque adhibuiſſe, ut ea aliquando ſecundum normam veritatis, & juris decidi poſſet, totiuſque judicii expeditionem tua præcipue virtute adjuvante in procinctu paratam eſſe: quo nihil potuiſſem audire, nec accipere mihi gratius. Valde enim opto, cum & occupationibus maximis, & ſtudiis artium optimarum honeſtiſſimis diſtrictus ſim, liberari aliquando hac moleſtia, quæ me, non commodo mei, ſed officii, & pietatis, ac in Deum omnipotentem religionis cauſa, maxime ſolicitum tenet. Quod ut per benignitatem & auctoritatem tuam conſequar, magnopere tuam Spectabilitatem rogo atque oro. Ex omnibus enim beneficiis quæ mihi impendi poſſunt, hoc maximum habiturus ſum, ac pro eo æternam tibi obligationem & gratiam debiturus. Quod ſi acciderit, ut mea tibi fides & opera alicubi utilis, aut honorifica eſſe poſſit; intelliges, te homini gratiſſimo, & in ſuſcepta benivolentia conſtantiſſimo & officio & humanitate tua tribuiſſe. Ego ad meos iſtos actores ſcribo, ut in rebus omnibus conſilio & auctoritate tua nitantur; tu ut eis auram tuî

 favo-

favoris in omni juſta & honeſta re (non enim aliter poſtulo) impendas, meque in tua fide receptum foveas, omni animi ſtudio te deprecor. Vale III. Novembris M. D. XXV.

EPISTOLA LVI.

JACOBUS SADOLETUS

Epiſcopo Mirapoys. (a)

Idem Argumentum.

REveren. &c. Nihil eram de te meritus; nec meum officium erga Reverendam Paternitatem tuam adhuc ullum conſtabat; cum tu ſingulari quadam humanitate præditus me abſentem, & tibi incognitum in fidem & patrocinium tuum ſuſcepiſti, eamque auctoritatem & gravitatem, qua plurimum polles meis iſtic actoribus ad expeditionem cauſæ meæ benigniſſime obtuliſti: quo ego præſtanti tuo erga me beneficio ita ſum obſtrictus, ut ne ad agendas quidem verbis gratias ſatis digne poſſe me intelligam vel merito tuo, vel voluntati meæ ſatisfacere. Præterquam enim quod in meæ Eccleſiæ cauſa, quæ tot jam annos iniquiſſime vexata, me hominem vehementer

(a) Mirapicenſis Epiſcopus erat hoc tempore Philippus de Leris de quo Sammarthani: *Epiſcopus ſane generis claritudine æque illuſtris, ac munificentia, qui Eccleſiam ſuam opulentiſſime ditavit argentea & ſerica ſuppellectili; libris officiorum divinorum, fundationibus, aliiſque Epiſcopatum ſuum, ipſamque Abbatiam Graſſę ædificiis decoravit. Mortuus anno 1537.*

menter occupatum, & bonis præterea artibus ac litteris deditum majorem in modum ſollicitat, video mihi prodeſſe plurimum poſſe ad aſſecutionem juſtitiæ optimi & graviſſimi & omni virtute ornatiſſimi Præſulis auctoritatem, ac prudentiam; illud etiam mihi multo eſt jucundius, quod in tua erga me benivolentia maximos mihi fructus jucundiſſimæ amicitiæ video eſſe propoſitos. Atque, ut tu ſola bonitate ad me amandum & favendum adductus es, ſic ego omnes cauſas habeo, quamobrem te non amem ſolum, verum obſervem etiam atque colam. Nam & præclaræ virtutes tuæ, & tanta humanitas erga me, & officium in meis rebus jam adhibitum, onus in me tam magnæ obligationis imponunt, ut ego id perpetuo geſturus ſim, æternamque tibi pro beneficiis gratiam habiturus. Quod ſi quid in me eſt vel auctoritatis, vel induſtriæ, id totum tibi, & commodis tuis, ac tuorum ita polliceor ac defero, ut te velim exiſtimare, nihil tibi paratius quam meam fidem, operam, ſtudium omnibus in rebus eſſe & ſemper fore. Ego, quod jam abs te fieri cœptum eſt, te deprecor atque oro, ut mihi in omni re honeſta opem & patrocinium tuum præbeas, & me, quem jam ſemel in fidem tuam recepiſti, tuis officiis, auxiliiſque ſublevatum ab anfractibus litium & hominum litigioſiſſimorum injuriis adjuves liberari. Quod cum effeceris, viciſſim promitto tibi & ſpondeo, eam rem tibi aliquando honori & voluptati futuram eſſe. Valeat Reverenda Paternitas tua, cui me unice commendo. Vale III. Novembris M. D. XXV. Romæ.

EPISTOLA LVII.

JACOBUS SADOLETUS

Epiſcopo Pino. (*a*)

Idem Argumentum.

EX litteris meorum intellexi, tuam Reverendam Paternitatem commorari Tholoſæ (*b*), eamque memoriam ſervare noſtræ mutuæ benivolentiæ, quam fides & virtus tua poſtulat: quod mihi accidit gratiſſimum. Recordor enim, cum tu in Urbe eſſes, meum amorem erga te & obſervantiam juſtiſſimis de cauſis fuiſſe ſuſceptam. Quamquam enim vir magnus eſſes, & auctoritate, & nomine, egregieque Legatione regia fungerere, plus tamen multum erat in te, quod propter ſingularem doctrinam & eximiam probitatem amandum eſſet, quam quod propter fortunam. Quo tempore etiam memini, tuam mihi benivolentiam & ſtudium non defuiſſe. Succeſſerunt ea, quæ tu ſcis tempora, quibus, diſtracta conſuetudine noſtra, amor tamen ſervatus eſt. Ac-

---

(a) Joanni du Pin, de quo Voſſius in *Hiſtor. Latin. lib.* 3. *cap.* 11. Scripſit enim, præter librum de vita Aulica, vitam S. Catharinæ Senenſis, item vitam Philippi Beroaldi Magiſtri ſui. Laudat eum Eraſmus quoque *in Ciceron.* Floruiſſe in Sede Rivenſi ann. 1500. ſcribunt Sammarthani. Extant aliæ ad eum Sadoleti noſtri litteræ ſcriptæ an. M. D. XXX. Calend. Martii.

(b) Rivenſis civitas *Rieux* ſubeſt Archiepiſcopatui & *Parlamento* Tholoſano.

Accidit autem conſilio quodam veluti Divino, ut cum ego cauſam Eccleſiæ meæ Carpentoractenſis ſpoliatæ ac vexatæ quorumdam injuria in Galliis agitarem, tuque tunc in Urbe præſens tua illam commendatione non parum adjuviſſes, in eis locis nunc exiſteres, ubi maximo illi poſſis eſſe adjumento. Quod ut facias, te maximopere deprecor, vel juſtitiæ, & veritatis cauſa, cujus tu ſemper fuiſti amantiſſimus, vel amicitiæ etiam noſtræ; ſi te homini non ingrato tuum officium præſtiturum exiſtimas. Equidem, cum multis aliis de cauſis hac ſolicitudine & cura cupio eſſe expeditus, tum maxime, ut eis artibus honeſtiſſimis liberiore animo vacare poſſim, in quibus tu ſingulari quadam laude excellis; ego mediocriter verſor. Itaque mandavi actoribus meis, ut tuo conſilio, gratia, ope, patrocinio in rebus omnibus utantur. Quod ſi tua illa ſolita humanitate exceperis, mihique ad fidem tuam confugienti opem eam præſtiteris, quam ego abs te & ſpero & opto; non ſolum egeris id, quod te talem virum maxime decet, ut juſtitiam tueare; ſed mihi libenti æternum vinculum obligationis ad cultum & amorem tui.... quod ego ſum ſingulari ſemper fide & conſtantia conſervaturus. Valeat tua Paternitas Reverenda, cui me unice commendo. Romæ III. Novemb. M. D. XXV.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

JACOBUS SADOLETUS

Domino de Pira.

Idem Argumentum.

QUod multorum fama, & teſtimoniis intelligo, te eſſe hominem ſingulari ingenio & doſtrina præditum, laudemque prudentiæ & æquitatis eximiam obtinere; id me ad te amandum, obſervandumque compellit: huic enim generi hominum natura ſum amiciſſimus. Accidit autem percommode, ut quem virtutis cauſa omnino amare cogebar, ejus fidei & veritati me & meam Eccleſiam gauderem eſſe commiſſam: quod patrocinium ut ſuſcipias, te vehementer oro, meque tibi deditiſſimum, & tui nominis amantiſſimum tua æquitate adjuves. Nec tamen poſtulo a te in cauſa mea aliud quicquam, niſi juſtitiam & integritatem; hæc enim in te virtus maxime præclara mihi viſa eſt; ſed ad celeritatem expeditionis, ad liberationem & finem meatum ſolicitudinum, & curam & benivolentiam tuam adjungas: hoc ego a te deprecor, aperiaſque pro tua humanitate, quam audio ſummam eſſe, aditum mihi, hoc maxime expetenti, ad amicitiam tuam, quam ego egregia fide & ſinceritate culturus ſum, atque hujus tui beneficii, ſi dignum me duxeris quem diligas, memoriam perpetuam retenturus. Quibus injuriis & detrimentis ab homine omnium litigioſiſſimo & verſutiſſimo mea Eccleſia affe-

affecta fuerit, ex actoribus meis, & ex cauſa ipſa cognoſces: huic ſuccurrere & ſubvenire oppreſſæ, tuæ virtutis proprium eſt; in qua ego ſpem maximam locavi: quæ me ne deſerat, Spectabilitatem tuam etiam atque etiam vehementer rogo. Ego ſi quid tua cauſa aut tuorum efficere idoneus ſum, ita tibi meas omnes facultates defero, vel operæ, vel benivolentiæ, vel auctoritatis, ſi qua mihi modo apud hunc optimum Pontificem eſt; ut te velim confidere, non minus me tibi paratum fore, quam te ipſum tibi: quod in omni eventu & occaſione re ipſa cognoſces. Vale, & nos in amorem tuum recipe.

EPISTOLA LIX. (a)

PIETRO BEMBO

Al Veſcovo di Carpentras. *a Roma.*

Petri Landi fidem ac integritatem laudat, petitque ut a Pont. Max. gratiam quamdam pro duabus illius neptibus impetret.

SE voi non ſete quello, che per voſtra corteſia pigliate ad ammendare appreſſo a N. S. un error mio fatto innavertentemente; io ne ſarò lungamente molto mal contento. Chi ſia M. Pietro Lando, voi vel ſapete, ſenza che io il vi ſcriva, & quanto per la ſua integrità, & bontà egli fu amato dalla fe. me. di Pa-

(a) Extat tom. I. Epiſtolarum Bembi Italicarum pag. 213. edit. Venetæ an. 1575.

di Papa Leone: & credo, che voi ſappiate etiandio quanto egli ſi portaſſe amorevolmente nella biſogna del poſſeſſo del Veſcovato di Verona di Monſ. Datario: che di vero fù aſſai. ſi come il Mentebuona inteſe & vide, & dare ve ne può vera teſtimonianza. Ha M. Pietro due Nipoti d'una ſua Sorella già morta rimaſe pupille & povere molto: una Zia delle quali morendo laſciò M. & CCC. fiorin d'oro da eſſere diſpenſati a poveri per l'anima ſua. Ora diſiderava; & cercava M. Pietro ottener da N. S. che queſti fiorini mille & trecento da eſſer diſpenſati, come io dico, poteſſero diſpenſarſi alla ſuſtentatione, & vitto di queſte due ſue nipoti, & nipoti parimenti della teſtatrice: le quali oltre che ſono povere, hanno & figliuoli & figliuole: il che fà la loro povertà anchora maggiore & più di pietà & di compaſſion degna. Per la qual coſa egli mi priegò ad intercedere con N. S. per lui in queſto diſiderio ſuo: havendo egli, ſi come ſtimo, alcun riſpetto di ſcrivere egli a Sua Sant. per le uſanze & coſtumi della patria noſtra, trovandoſi uno de' grandi al ſuo governo. Scriſſi dunque io a Monſ. Datario ſopra queſta coſa: & ſcriſſine a Meſſer Giovanbattiſta Mentebuona pregandolo a ſollecitar queſto negotio con S. S. Il qual negotio fu da lui ricordato & da S. S. ottenuto: & hebbeſene il brieve. Ora l'error mio fù queſto, & non fù poco; che nella minuta di quello, che ſi cercava; un mio che la traſcriſſe per farla di miglior lettera, dovendo egli ſcriver M. & CCC, ſcriſſe CCC, & inavertentemente così ſcritta fu mandata: & Monſ. Datario così la ottenne da S. Sant. Venutone poi in Vinegia il brieve, & trovatovi queſto erro-

errore, & dolendoſene meco meſſer Pietro; & io reſcrivendone al mio Avila, che ne parlaſſe con Monſ. Datario; Sua Sign. ſe ne ſcuſa & dice non baſtarle l'animo di parlarne a N. S. più. Priego adunque voi con quella ſicurtà, con la quale debbo poter con voi parlare, che vi piaccia di ſporre a N.S. il ſucceſſo di queſta biſogna; & di ſupplicàrla a degnarſi di volere con quella ſua & bontà, & poteſtà, con la quale ella corregge,& ammenda cotanti & così gravi errori di tutti gli huomini, correggere & ammendare il mio: & con quella corteſia, con che ha conceſſo i CCC. ſi muova a concedere anche i mille, che rimaſero nella penna: acciocchè quelle povere pupille gravate di figliuoli, & maſchi, & femine ſentano maggior favore dalla ſua larghezza: a ſoſtentamento delle quali più ſi conviene che vada il laſciato ad pias cauſas; che ſono nipoti della teſtatrice, che a quello d'aliene & iſtrane perſone. Et quale più pia cauſa può eſſere, che quella di queſte miſere donne figliuole d'un ſuo fratello? o come ſi poſſono diſpenſar meglio i detti M. CCC. che a queſta maniera? & certo che M.Pietro è benemerito della gratia di S. Beat. Dunque di gratia Monſ. mio ſiate interceſſore & di M. Pietro & mio appreſſo S. Santità & ſupplicatelo ad allargar la mano della Sua benignità intanto, che egli compitamente ne rimanga conſolato. State ſano. A 28. di Novembre MDXXV. di Padova. M. Leonico vi ſi raccomanda.

AN-

ANNO M. D. XXVI.

EPISTOLA LX. (a)

PIETRO BEMBO

Al Veſcovo di Carpentras. *a Roma.*

Dominicum Venierum Reipublicæ Venetæ ad Summum Pontificem Legatum ei etiam atque etiam commendat.

VIene a N. S. & forſe a queſta hora è venuto M. Domenico Veniero Ambaſciator della Patria mia: il quale è a me antico & cariſſimo amico & fratello. La virtù & valor del quale V. S. conoſcerà con la ſperienza. Perchè io non ve ne dirò molte parole. Ma certo è gentile & dolce & corteſe & dotto & pieno di bontà. Per la qual coſa aſſai confidentemente vi priego che vogliate per amor di me non ſolo vederlo volentieri, ma anchora preſtargli tanto del voſtro favore in quelle coſe, nelle quali voi il potrete con riſparmio del voſtro maggior debito fare, quanto voi preſtereſte a me, ſe io in luogo di lui foſſi. Certo oltreche farete quello, che di voſtro coſtume è, dico vedere & carezzare ogniuno; io ne riceverò da voi tanto piacere in ciò; quanto io non baſto a dirvi; ma baſterò a ſentirvene obligo ſempiterno. Queſta è la prima lega-

(a) Extat tom. 1. Epiſtolarum Bembi Italicarum pag. 215.

legation ſua. Nella quale io deſidero che egli ſi porti & avanzi di maniera, che egli nè poſſa eſſere dalla noſtra patria lodato & commendato ſommamente; & deſidero ciò al pari ò poco meno di lui. Quanto voi potrete favoreggiar queſto mio deſiderio; io il sò. Et perciò con tutto quello, che con voi & voglio & poſſo che ſempre ho conoſciuto eſſer molto; il detto M. Domenico, & la ſua virtù & bontà & tutta la legation ſua vi raccomando, & ripongo in quanto l'honor voſtro il porta, nel favor & nella protettion voſtra. State ſano. A' 3. d'Aprile MDXXVI. di Padova.

EPISTOLA LXI. (a)

PIETRO BEMBO

Al Veſcovo di Carpentras. *a Roma.*

De ejus erga ſe apud Summum Pontificem officiis gratias agit, eumque rogat, ne a ſuſcepta ſuorum commodorum cura deſiſtat.

PEr lettere del mio Avila intendo voi haver fatto buono ufficio per me con N. S. in queſta occaſion della preſente vacantia. La qual coſa quantunque non mi ſia in parte alcuna nuova; tuttavia m'è cariſſima ſtata; & vi rendo molte gratie, che non mandiate in oblìo l'antica & buona amiſtà noſtra. Ho voluto ſcriverne quattro verſi a N. S. & altrettanti a Monſig. Datario: i quali ſaranno in queſta; & voi darete ò non darete, ſecondo che a voi parrà biſognare. Io non sò quello, che N. S. penſi hora a beneficio mio. Sò bene che

che quando ultimamente in Roma mi raccomandai a S. Beat. ella mi riſpoſe, che havea più voglia di benificarmi; che non havea io medeſimo d' eſſer benificato. Ben vi priego che vogliate interporre ſopra tutto la voſtra auttorità per me con Monſig. Datario: dal quale m'ha da venire o non venire tutto quello, che io ſpero & haver poſſo a queſti tempi. Che non dubito punto che ſe egli vorrà, che io ſia benificato, io ſarò benificato. Se egli non ſe ne piglierà penſiero: non gioverà tutto l'altro favore, che io haver poſſa più che, ſe io alcuno non ne haveſſi. Non ſo ancho quanto queſte lettere giungeranno a tempo. Pure verranno a voi, come che ſia; & a voi mi raccomanderanno. A' 6. d' Aprile MDXXVI. di Villa.

EPISTOLA LXII.

PIETRO BEMBO

Al Veſcovo di Carpentras. *a Roma.*

Negotium quoddam ei commendat, mittitque Dialogum de Vrbini Ducibus, ut illum legat corrigatque, ſuamque de eodem ſententiam dicat.

SE voi non mi ſoccorrete; converrò pagar per uno ingrato ducento fiorini con molto incommodo & ſiniſtro mio; ſi come il mio P. Avila vi ragionerà. Però vi priego in vero grandemente, a pigliar queſta cura per me: che a voi non ſarà, ſtimo, diſagevole; & a me ſia comodiſſima: nella voſtra buona gratia

ſenza

ſenza fine raccomandandomi. Se io non v'occuperò ſoverchio, io vi manderò quel dialogo, che già io feci *de Urbini Ducibus* (a): acciocchè voi il veggiate, & correggiate: per farne poi quanto mi conſigliarete & vi piacerà, del laſciarlo andar fuori. Il qual dialogo doverete voler vedere amorevolmente & perchè è parto d'un fratel voſtro; & perchè uno di quelli che in lui ragionano; che tutti ſon quattro; ſiete voi (b). State ſano. A'28. di Giugno MDXXVI. di Villa nel Padovano.

EPI-

(a) Hic eſt autem hujus Dialogi titulus: „ Petri Bembi „ ad Nicolaum Teupolum de Guido Ubaldo Feretrio, „ deque Eliſabetha Gonzagia Urbini Ducibus liber „. Hunc Dialogum paucis poſt annis ab authore editum, ac poſtea curioſius perſpectum, multis locis ab eodem Bembo auctum expolitumque, anno poſt ejus obitum qui fuit ann. M. D. XLVIII. in publicam protulit lucem Guidus Lolgius, & Guido Ubaldo Feretrio Franciſci Mariæ filio, Urbini Duci, (quod ipſe Petrus Bembus, ſi vitam longius produxiſſet, erat facturus) dicavit, idque ſuadente Torquato Bembo ipſius hærede, atque iis quibus idem Cardinalis per teſtamentum mandavit; ut quæ ipſe extremo ſpiritu caviſſet ſanxiſſetque, tuerentur atque defenderent, Hieronymo ſcilicet Quirino, & Carolo Gualterutio.

(b) Differunt nimirum in eo Dialogo præter ipſum Bembum, *Sigiſmundus, de Comitibus Jacobus Sadoletus, & Philippus Beroaldus*, quos tres Julio II. Pont. Max. eximie probatos eidemque chariſſimos ac familiariſſimos extitiſſe, idem Bembus his verbis aſſerit: „ Nam is (hoc „ eſt Julius Pont.) & *Sigiſmundum* unice diligit, „ apud ſeque habet, atque a ſcribendis epiſtolis præ- „ clara ejus opera utitur: in quo difficile dictu eſt, „ quantum unus omnes excellat, cum ſcriptionis ele- „ gantia & candore ſtyli, tum plane diligentia & „ fide:

EPISTOLA LXIII.

A M. DOMENICO SAULI.

Reſpondet litteris, quas ipſe Joanni Baptiſtæ Sangæ ſcripſerat.

PER non ci eſſere il Sanga (*a*), ho aperte le voſtre a lui de 20. nelle quali non ſi potria più prudentemente diſcorrere, & penſare di quello, che fate, nondimeno ſi è penſato il medeſimo di quà, & fatto tutto quello, che ſi è ſaputo per vedere una volta, ſe queſte coſe ſono naturali, o con arte; & però ſi è mandato il Sanga in Francia, acciocchè ne cavi almeno queſta chiarezza, & levici di tal dubio, quando non poteſſe far altro buon effetto, & donandogli Dio buon viaggio, come ſpero, & deſidero, toſto credo, che ſarà là. Non ſi rimanendo di penſare, & far ogni altra coſa, che giudichiamo buona in queſto mez-

---

„ fide: & *Sadoleto* quantum tribueret, quanti ejus
„ incredibilem probitatem præſtantiſſimamque doctri-
„ nam faceret, quamque ſibi culta ejus ſplendentia-
„ que poemata probarentur, oſtendit, ſacerdotio illi
„ tradito Romæ templi honeſtiſſimi Laurentiani.
„ *Beroaldus* autem in ære illius jampridem eſt: cu-
„ jus cum ſimplex laudabiliſque vita, tum doctrinæ
„ elegans eruditio, atque in poeticis ſtudiis mira
„ præſtantia, ejus ſtipendio ac liberalitate maxime
„ alitur „.

(a) Joan. Baptiſta Sanga Clementis VII. Pont. Max. a Secretis. Nihil tamen de eo Philippus Bonamicus in lib. de claris Epiſtolarum Pontificiar. ſcriptoribus,

mezzo; & perchè le coſe ſono horamai tanto innanzi, quanto ſapete; di far' almeno di haver la perſona del Duca nelle mani ſicura: queſto, o altra ſimil coſa biſogna, che ſi faccia da ſe medeſima, altrimenti non pare, che ſi ſia più a tempo, che lo facciamo noi. Alle coſe di Genova ſi penſa: e 'l Sig.Nicolò è quì, & attende a tutto, & come ſieno in ordine le Galere de' Vinitiani, per eſſer con le noſtre; ſi comincierà a far qualche coſa, ſe prima non compareranno in ordine quelle di Francia, che nol credo. Vi ringratio delli quinterni, che eſſo Saga vi mandò che habbiate fatto, e ſiate per fare quanto ſcrivete. Et la eſpoſitione fornita di ſcrivere vi piacerà farla legare in quel più bel modo, che vi parerà, & mandarla quà per quella via, per la quale penſerete, che poſſi venir bene, ſodisfacendo coſtì chi ſi haverà da pagare, & ordinando quì a chi vorrete, che ſi facci buono tutto quello, che ſpenderete, La coſa particolare voſtra, che in ultimo ſcrivete, ancorchè n'alleghiate tanti ſegni, e teſtimonj, non mi poſſo arrecare a crederla, & maſſimamente quanto al Duce, a chi, come dite, non havete mai data cagione alcuna di provocarlo a tanta ſcelleraggine, & quando bene voi gli ne haveſſi data qualch' una, io per me nol giudico da penſare una vendetta di sì fatta ragione, pur potrebbe eſſere ogni coſa. Ma ſia, o eſſo, o altri, io farò quanto ſcrivete in uſar diligenza, che colui, che dite, ſi trovi, & biſognando ne farò con M. Benedetto del Signor Nicolò. Ne più hò da ſcrivervi hora, ſapendo, che le nuove di mano in mano l'intendete coſtì da Monſignor di Bajuſa il Nuntio, sì quelle, che ſono ſcritte

loro

loro da noi, come l' altre da altri, ſolo mi vi offero, & raccomando ſempre con quell' amore da fratello, che ſapete che continuamente vi porto. Da Roma alli XXV. di Luglio M. D. XXVI.

Tutto voſtro Jacopo Sadoleto.

EPISTOLA LXIV. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Magno Cancellario Franciæ. (b)

ILluſtris & excellens domine ſemper obſervande. Pro ea obſervantia, qua Excellentiam tuam ſemper ſingulari proſecutus ſum, aliquantum moleſte tuli, de eis negotiis, quæ in Romana curia habes, nihil ad me delatum fuiſſe: potuiſſem enim, ſi a principio rem ſciſſem, ſi non auctoritate atque ope, at ſtudio, amore, diligentia tibi aliqua ex parte ſatisfacere. Quam mea erga te & tuos omnes voluntatem, jampridem tibi exploratam eſſe arbitror. Equidem tibi ego ſemper admodum fui deditus, vel præſtanti virtute tua, vel magnis erga me beneficiis provocatus. Neque deſtiti tamen apud Summum Pontificem inſtare atque urgere, ut negotia tua expedirentur, quem inveni (ita Deus

(a) Extat Miſcellan tom. I. pag. 558.

(b) Quis iſte fuerit, haud facile eſt judicare. Extant quidem Sadoleti litteræ ad Antonium de Prato, & Guillelmum Poyetum, quorum prior magni Cancellarii munere functus eſt ab anno 1515. ad annum 1535. poſterior ab an. 1538. ad an. 1542.

Deus mihi ſit propitius)ſtudioſiſſimum ac pene ardentem cupiditate ſatisfaciendi tibi. Sed res parum caute ab initio agitata, in eum locum deducta eſt, ut oppoſito juſtitiæ nomine, cogatur ipſe Pontifex pro inſtituto ſuæ juſtiſſimæ mentis ac naturæ ire cunctatior. Datum eſt tamen negotium ſummo & doctiſſimo viro Cardinali Anconitano (*a*), ut videat, ecquis modus ſit te explicandi, qui in eo nunc totus eſt; neque ego non optime ſpero de exitu. Nam & Pontifex optima in te voluntate eſt, & nos opera non deerimus, ſi modo a tuis adhibebimur, & quæ ad te pertinuerint, in eis opera mea fideli & prompta volent uti. De his omnibus copioſius locutus ſum cum Petro Spina viro prudente, & tuæ Excellentiæ ſtudioſiſſimo; cui etiam animum erga te meum, & ſtudium inſerviendi tibi aperui: qui tibi coram omnia melius exponet; ei ego poſtulo haberi a te fidem. Tu quicquid erit, in quo me tibi commodo eſſe poſſe arbitrare, ſi de me tibi omnia promiſeris, non fallam ulla in re opinionem tuam. Vale vir maxime XIV. Kal. Decembris.

(a) Eſt hic Petrus de Accoltis Aretinus, qui ex Apoſtolici Palatii cauſarum Auditore, a Julio II. Pont. Max. Epiſcopus primo Anconitanus an. 1505. inde presbyter Cardinalis anno 1511. eſt renunciatus. Obiit Romæ die XII. Decembris an. 1532. ætatis ſeptuageſimo octavo. Vide Ciaccon. tom. 3, col. 295.

ANNO M. D. XXVII.

EPISTOLA LXV.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Joanni Matthæo Giberto (*a*)
Epiſc. Veronæ S. P. D.

Narrat geſta itineris ſui, gaudetque ſe liberatum a moleſtiis.

POſtquam veni Carpentoracte, has primas exaravi literas, eaſque ad te aliquanto ſerius, quod fueram ſane incommoda ægritudine

(a) Hic ex nobili Januenſi ſtirpe Franco Giberto Patre, Panormi natus, ibidemque uſque ad duodecimum ætatis annum optimis litteris ac moribus inſtitutus, magnopere ob eximiam pietatem, rerumque ſcientiam Leoni x. acceptus extitit. A Clemente VII. primum conferendorum ſacerdotiorum præfecturam (*datariam* vulgo dicunt) accepit. Poſtea anno 1524. Veronenſium Pontificatu auctus, & ad graviſſima Sacerdotii ac imperii negotia pluries adhibitus, magnam integri præſtantiſſque viri famam adeptus eſt. Magnopere quidem Gibertum apud Clementem authoritate & gratia valuiſſe, vel ex iis patet, quæ de eo præclare atque honorifice teſtatur idem Pontifex in litteris tum ad Franciſcum Galliæ regem, tum ad Genuenſium Ducem ſcriptis, quum Gibertum Legatum ad eos mitteret. Quæ quidem litteræ extant inter Jacobi Sadoleti Epiſtolas Pontificias a nobis editas pag. 128. & ſeq. num. XCII. & XCIII. Neque minus Paulus III. Clementi ſucceſſor, Giberti operam fecit. Nam & eum aliis cum præſtantiſſimis viris Romam accerſivit, & inter IX viros Eccleſiæ reformandæ adlegit. Qua de re abunde

dine impeditus. Senſeram enim ex itinere δυσεντερίαν, quo morbo tamen relevari jam videor. Sed ſive illam mihi maritima jactatio contraxit, ſive iter terreſtre aliquid poſtea addidit ad illius morbi moleſtiam; omnino intelligo, me hac corporis imbecillitate jam non ad aliam rem ullam, quam ad ocium & quietem idoneum eſſe. Quod ipſum videor nunc demum, tuo ſingulari beneficio, & ſumma Principis benignitate conſecutus. Nos a portu Centumcellis Nicæam uſque navibus pervecti fuimus: nihil ipſi illa, quod appareret, maris agitatione offenſi; cum ceteri omnes fere, qui erant mecum, gravi nauſea conflictati eſſent. Nicææ duos dies manſimus. Inde digreſſi a Valdemontio, cujus mihi humanitas magnæ voluptati fuit, jumentis pretio coactis, iter terra fecimus; ſeptimo die, Nicæa pervenimus Carpentoracte, ad diem V. Nonas Maii, læti, velut ex diuturnis fluctibus ſtabilem aliquando & deſideratam terram aſpicientes, ſi lætitiam noſtram rumores de rebus urbanis non interpellaſſent; parum illi quidem conſtantes, ſed tamen mihi moleſti. Audieramus autem Labeone jam conſcendentes, Germanos milites, quos nos ab Urbe cum proficiſceremur, pro pacatis reliquimus, ſpectare denuo ad arma, remque iterum adductam eſſe

abunde ſatis egimus in notis ad Sadoleti vitam pag. LIV. LV. LVI. & LVII. Obiit Gibertus Veronæ II. Cal. Januarii an. 1543. Ejus opera edita ſunt Veronæ tom. I. in quarto. Hiſce ejuſdem vita diligenter eleganterque deſcripta præfigitur, ad quam Giberti ſtudioſos amandamus. Vide etiam quæ de eo habet Ferdinand. Ughellius Ital. Sac. tom. V. col. 993. & ſeq. edit. vet.

in diſcrimen. Hic mihi metus atque hæc ſolicitudo ita hæſit in animo, ut poſtea evelli non potuerit: nec ſum ſedato animo futurus, quoad certum ſciero quid evenerit, & num ſalus noſtra etiam nunc infeſta, an improborum & perfidorum conſilia, vel ipſa per ſeſe conſenuerint, vel metu compreſſa ſint. Equidem interim illa conſolatione ſuſtentor, quod video dies jam complureis rumores illos conticuiſſe. Non enim ſimile eſſet veri, ſi quid accidiſſet poſteà tumultuoſius factum, tantas res tamdiu ſilentio jacere oppreſſas. Sed quoquo modo ſeſe habet res, me meus incredibilis erga Summum Pontificem amor, neutiquam patitur curæ & angoris expertem eſſe. Qui ſi aliquo eſt adhuc proprio in periculo (quod utinam ne ita ſit, atque in hoc Deus miſericors noſtras preces exaudiat) næ ego perquam doleo graviter, tum ejus ipſius cauſa, cujus ego ſalutem ſemper antepoſui meæ: tum etiam mea. Viderer enim mihi ab officio quaſi deſciviſſe, ſi hoc tempore talem dominum deſeruiſſem: atque eum dominum in quo ego amando, ornando, omni pietate atque omnibus officiis colendo, neque virtuti ipſius unquam, neque meo ſtudio ſatisfacere potuiſſem. Sed & nunc quid me angeret, quo eſſem vinculo Deo immortali obſtrictus, quo denique animo, qua ſpe placatiorum rerum, ab eo digreſſus ſim, ipſe tu optimus es teſtis. Et nunc in his quoque locis ac terris ea mente ſum, ut ſecundas res ipſius aliis fruendas libentiſſime relinquam: adverſarum non recuſem eſſe particeps. Deum autem quæſo, id quod acturus aſſidue & precaturus eum ſum, ut pacem & ocium aliquando
affe-

afferat & Pontifici Maximo & Italiæ: quo liberius ac diutius illius eximia virtute & humanitate frui omnes poſſimus. Sed hæc hactenus. De te ipſo, mi Giberte, aveo plurimum, & ex te cognoſcere: quem ego habeo authorem meæ tranquillitatis; cui uni beneficio, alterum par nunquam reperietur. Itaque quantum tibi debeam, & ipſe ſentio, & dabo profecto operam, ut ceteri omnes intelligant. Ego nunc, quod maxime eſt neceſſe, recuperandæ valetudini ſtudeo: quam cœlum iſtud urbanum valde mihi labefactarat, ut id quod agere feſtino, commodius deinde navare poſſim. Rapior enim cupiditate incredibili, ad veræ immortalitatis ſpem: quam videor mihi habere in manibus maximis Dei beneficiis, & mea ſumma voluntate incitatus. Itaque & ad gerendum pie ac ſancte ſacerdotium hoc, animo ſumus alacres, & ad artium honeſtiſſimarum ſtudia inflammati. In altero, ut ne iſthinc obturber, tuæ & eximiæ auctoritatis, & ſummi erga nos amoris præcipuæ partes ſunt: in altero mea fuerit culpa, ſi non & tuæ, & cæterorum de me opinioni reſpondero: liceat modo per valetudinem. Efficiam enim profecto, ut omnes fateantur, meam vel egregiam operam, vel præclaram certe voluntatem extitiſſe. Quo in genere, quid tibi receperim, quid Pont. Max. fuerim pollicitus, optime in memoria habeo. Tu, ut me ſicut conſueviſti diligas ac tueare, te maximopere mi Giberte jucundiſſime rogo. Vale Carpentor. XVI. Calen. Junias, M. D. XXVII.

EPISTOLA LXVI.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Lazaro Bonamico S. P. D. (a)

De ſuo ad urbem Carpent. adventu eum certiorem facit, petitque promiſſa ſibi ſervari.

SI vales gaudeo. Poſt meum ab Urbe diſceſſum nihil adhuc omnino a quoquam literarum: ac ne a meis quidem. Itaque in deſiderio ſum, & de illis, & de te & de ceteris amicis aliquid audiendi: atque utinam omnia ex

(a) Hic Baſſani quod eſt oppidum agri Patavini obſcuro loco natus, generis obſcuritatem ſui eloquentiæ ſplendore illuſtravit. Ruſtici enim patris filius, ab excolendo agro, ad litterarum ſtudia traductus, tantum in iis profecit, ut & diſertus orator, & bonus Philoſophus, & egregius poeta eſſet, atque ab omnibus exiſtimaretur. A Reginaldo Polo in contubernium adſcitus, cum eo Romam venit. Ibi in omnium eruditorum ac præſertim Sadoleti familiaritatem receptus, ſpectator extitit, ut ex hac & ſubſequentibus Epiſtolis colligitur, miſerrimæ direptionis, qua Urbem exercitus Borbonii peſſumdedit, & quidem non ſine damno Bibliothecæ ſuæ, quam eo furore diſtractam ac perditam doluit. Inde a Rep. Veneta Patavium accerſitus ab an. M.D.XXX. humaniores litteras in eo gymnaſio magna nominis ſui celebritate uſque ad obitum publice docuit. Præſtantium virorum amicitiis, & Summorum Principum gratia maxime floruit. Nam a Clemente VII. Pont. Max. Romam, a Ferdinando Rege ampliſſimis conditionibus (quas tamen ille recuſavit) Vindobonam eſt evocatus. Obiit

ex mea ſententia. Nos venimus Carpentoracte ad v. Non. Majas, ſumma horum hominum gratulatione, quorum auxit lætitiam inopinatus noſter adventus. Itaque quod ſemper optavimus, ex diuturnis fluctibus, videmur tandem portum eſſe conſecuti: modo vos iſthic ſalvi, ſummique Pontificis res eum teneant ſtatum, quem maxime cupimus, nihil mihi ad ſpem beatæ vitæ non abunde videtur affore. Nam & parvo ſat contenti ſumus; & in hoc honore pie ſancteque adminiſtrando, quoad nobis datum divinitus fuerit, Deo ipſi eidem deſervire contendemus: & in libris ac literis toti volutabimur: veteremque & diuturnam ſitim optimarum artium, noſtro tandem arbitrio, in ipſis fontibus explebimus. In hoc genere toto, quod pertinet ad artes honeſtas, & ad noſtra illa tibi non ignota ſtudia, video te unum maximo eſſe mihi poſſe adjumento. Nam & de tuæ doctrinæ ubertate hauriendum nobis erit, & bonorum librorum ex te copia requirenda. Quorum alterum tute mihi recipiſti cum adhuc eſſem Romæ: alterum mihi

Obiit Patavii anno M.D.LII. ibique in aede Antoniana conditus eſt, quum annos eſſet natus tres ſupra ſeptuaginta. Laudavit eum funebri oratione Hieronymus Niger *Canonicus* Patavinus, cujus extant inferius ad Sadoletum litteræ oppido quam elegantes. Bonamicum laudat ſummopere Sadoletus in libro de liberis recte inſtituendis, aliique illius ætatis viri eruditi. Scripſit plura cum ſoluta, tum vincta numeris oratione; nil tamen dum viveret edere voluit. Poſt mortem publica ſunt luce donata aliquot ejus carmina, & nonnullæ Epiſtolæ cum Italice tum Latine conſcriptæ. Vid. Papadopl. Hiſt. Gymnaſ. Patav. tom.I. lib.III. ſect.II. cap.XI. pag.307. quæque de eo diximus in notis ad Sadolet. vit. p.XXXI.

ſemper patuiſſe intelligo. Sed de libris peto a te magnopere, ut promiſſa mihi perficias: ea in re impenſæ parci nolo. Gratiam autem eam tibi referam, quæ maxime & tua virtute & noſtra amicitia erit digna. Ego ei nunc præverti volo curæ, ut valetudini recuperandæ ſtudeam, quam urbanum iſtud cœlum non mediocriter labefactarat: & ſpero me optati fore compotem. Te ſi rogem, ut priſtinum tuum amorem erga me conſerves, faciam & tibi profecto, & amicitiæ noſtræ injuriam, quod videar quaſi conſtantiæ tuæ diffidere. Itaque non committam ut de hac re jure me accuſare poſſis. Tantum a te petam, ut Ubaldinum, Sangam, Lælium, Pyrrhinum, Colotium (*a*), cæteroſque, partim amicos, partim etiam diſcipulos tuos, ſalvere jubeas meis verbis: nec patiaris hebeſcere in eis igniculos benevolentiæ qua erga me videbantur eſſe affecti. Imprimis vero ampliſſimis viris Campegiis patronis tuis & patri & filio, quibus ego mirifice deditus ſum, idque eorum merito, ſalutem dicas plurimam. Vale, mi Lazare ſuaviſſime, tibique perſuadeas, te a me valde amari. Carp.XVI.Cal.Jun.M.D.XXVII.

(a) De Colotio inferius redibit ſermo.

EPI-

EPISTOLA LXVII.

GIACOPO SADOLETO

A M. Gio. Franceſco Bini (*a*)
Secret. di N. S.

Ejus litteris reſpondet, quibus de Romanæ Vrbis direptione certior fiebat, ſuamque in ejus commodis curandis voluntatem ſignificat.

BIno mio le voſtre lettere del primo di Giugno, nel gran dolore, che io ho; mi hanno pur dato qualche conſolatione, per intendere

(a) Hic Florentiæ natus optimiſque litteris ac moribus liberaliter inſtitutus, Clemente VII. Pont. Max. Romam venit. Ibi a Jacobo Sadoleto in contubernium receptus, tantos optimi illius viri diſciplina in artibus humanioribus progreſſus fecit, ut eum in conſcribendis Pontificiis Epiſtolis adjutorem ſibi Sadoletus adſciverit, ejuſque operam ſemper maximi fecerit. Nam & ad Angelum Colotium ſcribens ann. 1529. Binum *in utraque lingua enitentem* appellat, & ſæpe idem Sadoletus ejus laudes celebrat in commendatiis pro eodem litteris ad Cardinales Gonzagam, Bembum, alioſque, ac præſertim Card. Trivultio Italicè ſcribens an. 15 5. a' XVI. *di Febraro*, De eodem & Bembus in Epiſt. ad Sadoletum. Quamvis autem de Bino nihil legatur apud Pocciantum in Scriptoribus Florentinis, ex inſcriptione tamen ſepulchri, quod poſitum illi fuit in Templo S. Mariæ Majoris (eam legimus in Schradero fol. 150.) non modo illum patria Florentinum, ſed etiam & civem Romanum, & illius Baſilicæ Canonicum, & trium Pontificum Julii Tertii, Marcelli Secundi, Pauli Quarti, nec non Sacri Cardinalium

dere de' miei amici & ſervitori alcuno eſſer ſalvo. Ma di tutta la rovina & calamità che debbo io ſcrivere? Vorrei dir molto, e forza m'è dir poco; perchè a ogni modo ancor con molto non poſſo in parte alcuna ſatisfare al dolore, & alleggerire l'affanno che ſento della rovina d'Italia, de' mali di Roma, & del danno di tanti amici, quanti voi ſapete; ma ſopra tutte le altre coſe, dell' indegniſſime male fortune di N. S. mio unico padrone, al quale porto, & ſempre portai tanto amore, quanto hò. Queſta è la ferita che nell' animo mio è inſanabile. Et io non negherò già, ch'io vedeva le coſe drizzate à infortunato eſſito, per colpa d'alcuni, che l'ottima natura, & mente di N. S. torcevano alcune fiate, dove da ſe non era volta. Che io poſſo teſtificare innanzi a Dio, & tutti gli huomini, non haver mai conoſciuto in Sua Santità, ſe non giuſtitia, amor di pace, & quell'infinita clementia, che ognun sà. Ma il ſecolo corrotto, & i coſtumi della Corte hanno tiratoſi addoſſo la sì grande ira di Dio, la quale ha colto anco gli innocenti per ricompenſargli di maggior bene. Et non mi diffido che N. S. haverà il modo di ricuperare la obedienza, & la ſua dignità, facendo quello, che la ſua buona, & religioſa natura gli detta, & credendo a ſe medeſimo, Et ſe Sua Santità anderà in Iſpagna, io mi comincio a deliberar d'andarlo a trovar fin là;

& per

---

nalium Senatus *Secretarium* extitiſſe colligimus. Quum autem in hujus Epiſtolæ titulo, appellet Binum Sadoletus *Secretario di N. S.* videtur hoc munus etiam Clemente VII, Pontifice Max. obiiſſe.

& per quanto potrò, opererò quello che ſia honore di Sua Santità. Egli è ben vero, che le coſe mie ſon di ſorte diſſipate, & rotte, che io non ſaprei ben pigliar partito, pur farò ogni sforzo. L'animo mio, è fermato in vita, & in morte ſervire a Dio nella Chieſa mia, ancor ch'io ſia indegno ſervo, & poco meriti la gratia ſua; pur tanto più ſono obbligato, quanto conoſco la man ſua onnipotente eſſere ſtata ſopra di me, che chi ſapeſſe i modi del mio venire, vederia chiaramente non eſſer ſtato caſo. Et benchè così ſia fermo, & deliberato, pur da lui medeſimo haverò licentia per tre, o quattro meſi, per andar a far queſto officio per il mio terreſtre padrone, dal quale io non mi partì giamai per abbandonarlo; ma per trovarmi appreſſo l'altro S. maggiore, al quale ancora mi conoſceva più obbligato. Di Pietro dell'Aſpello, di M. Lazaro *(a)*, ho havuto gran conforto intendere, che io ſtava molto dubbioſo della ſalute loro, così di Claudio mio *(b)*, & de' libri. Ma d'Ercole voſtro compare ſtò di non buona voglia. Ei ſi partì di Nizza sù le galee quel dì medeſimo che io, eſſo per Roma, & io per Carpentras, e 'l dì fù (ſe ben mi ricordo) a' XXVII. d'Aprile, & mi teneva certo, che ſi fuſſe trovato a Roma innanzi il grave caſo, le voſtre lettere moſtrano di nò, vorrei, ſe n'intenderete niente, me

(a) Lazari Bonamici, de quo vide notas ad Epiſt. antecedentem. pag. 1 4.

(b) Claudium fortaſſe Rangonium innuit, ad quem extant Sadoleti litteræ datæ XIII. Idus Januarii anno M. D. XXXVII.

me ne deſte avviſo, & anco di tutte l'altre coſe. Di voi, Bino mio, voi ſapete che jure veſtro potete fare ſtima di me, & di quel poco che ho, ch'io non ſia per mancarvi mai; ma mi confido, che tornerete a' ſervitii di N. Signore, perchè ha biſogno di voi, & mi confido, che ſarà havuto gran riſpetto a Sua Santità; & rendomi certo, che queſte coſe ſono contro la volontà & mente dell'Imperatore, ovvero più fede non è al mondo. Pur quando altramente fuſſe, che Dio ne guardi, io ſcrivo, come mi richiedete al Signor Ercole (*a*),
& vi

(a) Herculi nimirum Gonzagæ Cardinali. Nam ad eum ſcripta eſt pro Joanne Franciſco Binio ſequens Epiſtola, & quidem xiv. Cal. Julii an. 1527. Ortus eſt autem Gonzaga Cardinalis Mantuæ x. Kal. Decembris anno 1505. Patrem habuit Franciſcum Marchionem Mantuæ, matrem Iſabellam Eſtenſem. Optimis diſciplinis Bononiæ excultus, juvenis adhuc ex ceſſione Sigiſmundi Gonzagæ Eccleſiæ Mantuanæ præeſſe cœpit. Anno 1527. a Clemente VII. in Cardinalium Collegium relatus, tantam apud omnes famam eſt conſequutus, ut doctrina, prudentia, & ſingulari in rebus gerendis dexteritate cum præcipuis illius ætatis hominibus non immerito conferretur. Hinc & apud ſummos Reges authoritate & gratia multum valuit, & Pontifices Maximi in publicis Eccleſiæ negociis, ejus potiſſimum opera uſi ſunt. Obiit dum Sancto Tridentino Concilio Pont. Max. nomine præſideret anno 1563. ætatis LVIII. Ejus celebrat laudes Sadoletus noſter in aliis ad eum datis litteris anno 1531. & anno 1540. Honorifica etiam de illius cum pietate tum eruditione teſtimonia atque judicia poſteris reliquerunt P. Bembus in Epiſtolis, Juſtinianus in Hiſt. Veneta, Stanislaus Reſcius in Vita Card. Hoſii, Henricus Spondanus in Annalib. & Sfortia Pallavicinus in Hiſt. Concil. Trident. Vid. Ciacc. tom. 3. col. 481.

& vi raccomando a Monſignor di Ravenna (*a*), maſſime eſſendo fatto Cardinale. Di che direi haver gran piacere, ſe la fortuna de' tempi non mi privaſſe di tal vocabolo. Quà partito non ſaria pronto, & biſogneria penſare, benchè c'è il Reverendiſs.Salviati (*b*), che sò haveria caro un par voſtro, & il Cardinal di Lorena (*c*), a chi ſenza dubbio fareſte grato. Et in ogni evento non havete a gettarvi tanto al baſſo, perchè a voi non mancherà ricapito buono, così non haveſſe a mancare a tutti gli altri. La donatione vi mando, come domandate, fatto prima conſultarla quà, a che modo ſia autentica, & buona. Io delle coſe mie non hò altro affanno che dei libri, ne' quali la fortuna m'è pure ſtata ſempre troppo crudele, io ne havea fatto munitione di molti antichi Greci con grandiſſima ſpeſa. Pur ſe a Dio così piace, così ſia. Il danno dell'altre coſe mi porto in pace, & più dolor piglio dal male degli altri, che del mio ſteſſo. Deſidero intender del noſtro Monſignor di Verona, il quale amo, come fratello & prego Dio, li dia buona ſorte & ripoſo dopo le ſue tante fatiche. Così di mille altri che voi ſapete, havrò molto caro ſentir novelle. Al Signor Barone riſpondo, & a Niccolò Fabri. Le alligate, maſſime a mia Madre & a Pietro, vedete in qualche

(a) Eſt hic Benedictus Accoltus die 3.Maii hujus anni 1527. Cardinalis renunciatus, de quo ſæpe in aliis Epiſtolis redibit ſermo.

(b) Joan. Salviatus Card. de quo infra.

(c) Joan. Lotharingus Card. de quo inferius in aliis Epiſtolis.

che buon modo inviar fidatamente(*a*). Io haveva ſcritto una Epiſtola i giorni paſſati a Monſ. di Verona (*b*), la quale credo non sarà andata bene. Sono acceſo di gran volere di ſcriver di nuovo, & a lui, & a Noſtro Signore, ma non è poſſibile trovar principio, nè materia conveniente. Aſpetterò adunque, & pregherò tuttavia Dio per loro, come faccio, & fò fare continuamente in tutta la mia Dioceſi. Et per ora altro non vi ſcriverò, ſe non che vi diate pace. Io, & quelli che vennero con meco quà, tutti ſiamo ſani. In Carpentràs. A XVIII. di Giugno M. D. XXVII.

(a) Nondum igitur hoc tempore Sadoleti mater extremum vitæ diem morte confecerat. Idcirco conſule quæ hanc ad rem diximus in notis ad ejus vitam p.XCVI. & XCVII.

(b) Matthæo Giberto Epiſ. Venonen. de quo ſuprà pag.170. Eſt hæc Epiſtola LXV. data XVI. Calend. Jun. an. 1527.

EPI-

EPISTOLA LXVIII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Herculi Gonzagæ S.R.E. Cardinali (*a*)
S. P. D.

Commendat Franciſcum Binum, eumque ſummopere laudat.

JOannes Franciſcus Binus (*b*), qui tibi has literas reddidit, vir eſt eis virtutibus ornatus, quas cognovi ſemper & requiri a te & amari. Nam cum in ſcribendo literarum venuſtate ac manu omnibus, quos quidem ego adhuc viderim, facile antecellit: tum verò in dictando & lucubrando tanta facundia eſt, ut idoneus fuerit habitus, qui mihi in eo munere ſuccederet, quo, ut tu optime noſti, Romæ non mediocri cum dignitate fungebar. Eſt enim meæ diſciplinæ alumnus, deditque mihi aliquot annos non mediocri mea cum utilitate operas: tantumque ingenio & labore profecit, ut in pontificiis epiſtolis ac diplomatis, facilè jam ejus ſcripta pro meis probarentur. Quodque paucis admodum contigit, in utraque lingua, & latina, & vernacula, ea videlicet, quæ nunc eſt Italiæ familiaris, pares progreſſus fecit. Adjunxit porrò ad has artes, quæ ingenii & doctrinæ ſunt, illas quoque, quæ ſunt bonorum & virorum, & morum: nam & fide, & pro-

(a) Vide notas ad Epiſt. præceden. pag. 180.

(b) Conſule quæ de Franc. Bino habentur in notis ad Epiſt. præceden. pag. 177.

probitate, & omni diligentiæ genere atque aſſiduitatis, & mihi, & omnibus prorſus ſatisfecit. Is, ut dicebam, cum locum honorificum apud ſummum Pontificem eſſet nactus: cumque & teſtimonio meo, & ſuæ virtutis commendatione Principis ſummam gratiam ac benevolentiam obtineret; ejuſdem fortunæ injuria, cujus iniquitate cætera ceciderunt, è ſumma ſpe & honore priſtino deturbatus eſt: re familiari ſua; quod durius etiam eſt, nec ſatis commodè antea conſtituta, & nunc penitus direpta. Quod quidem fato quodam meo illi accidit: qui cum ſe & ſpes ac rationes omneis ſuas in meam fidem contuliſſet, vehementerque ego cuperem illius conſulere fortunis, & id ſæpius conatus eſſem; non potui tamen aſſequi ut id ipſe efficerem. Quod autem fuit proximum, id effeci, ut eum in eo loco conſtituerem, ubi & ſperare uberiora, & adipiſci poſſet. Nunc in his urbis Romæ & totius Italiæ ruinis, quæ me & communis patriæ & plurimorum amicorum ac neceſſariorum incommodis, & in primis ſummi Pontificis, quem ego omnibus unum antepono, cauſa, vehementiſſime perturbant: cum ad humanitatem nihilominus pertinere arbitrer ſuſcipere curam eorum, quos & judicio meo, & benevolentia ſum complexus: exiſtimavi, ſi res Romanæ ita cecidiſſent, & collapſæ eſſent, ut ex tanto, tamque acerbo naufragio, ne tenues quidem ſupereſſent reliquiæ priſtinæ dignitatis; eſſetque ipſi Joan. Franciſco reditus ad ſuum obeundum munus penitus intercluſus: neminem eſſe digniorem qui potiretur hanc gloriam, tali viro opitulandi, quam te, cujus ego & amplitudini ſemper favi, & virtu-

tem

tem & liberalitatem naturæ ſum admiratus. Quæ quidem hæc in te illuſtriora omnibus videantur neceſſe eſt, quod cæteris Italiæ luminibus extinctis, ſola pene tua virtus & nobilitas relicta eſt. Itaque nequaquam quidem mirum eſt, ſi qui ſuæ confidunt virtuti, fortuna verò duriore uſi ſunt, hoc tempore te intueri unum, & in te ſpes ſuas conſtituere coguntur: ſicut & Binus ipſe conſtituit, & ego ut ita faciat, illi quoque author ſum. Sed quod ad commodum & utilitatem tuam pertinet, ſi hunc hominem amplecti tua benevolentia, & in familiaribus tuis habere inſtitueris, ejuſque operam & induſtriam in tuis rebus adhibere; parce mihi, & cautè de eo eſt dicendum; ne videar cum beneficium a te, petam, potius te afficere beneficio velle: cum præſertim quantum ex tali miniſtro commoditatis, opportunitatis, dignitatis, principi viro accedere poſſit, tu pro tuo ingenio & prudentia ſtatuere optime queas. Quod autem attinet ad me, qui in ſummo dolore, quem ex rebus publicis capio, hac quoque cura ſolicitor, ut hominis mihi dediti, omnique virtute præditi, quem ego ſummè diligo, tranquillitati & commodo conſulatur; peto a te mi optime, & præſtantiſſime Hercules, atque omni animi ſtudio te maximopere rogo, ſi quid mei amoris reſidet in te, & ſi communium ſtudiorum conjunctio, quæ in amicitia vim habere maximam ad benevolentiam ſolet, me ex animo tuo effluere paſſa non eſt: mihi des hoc abſenti, quod ego maxime expeto voloque, ut hominem hunc, de manu mea in manum iſtam tuam beneficam & liberalem acceptum, in familiaritatem & gratiam recipias, veliſque illi
apud

apud te eſſe locum, quo ſuo labore, induſtria, fidelitate, amorem tuum & judicium emereri poſſit. Quod illum ita maturè itaque officioſe facturum eſſe confido, ut tu ſi meo teſtimonio fidem habere, & mihi morem gerere animum induxeris, quod te equidem facturum non dubito, facile, & quam primum ſis intellecturus, ad tua multa & fortunæ, & familiæ ornamenta, ex hujus hominis familiaritate magnum quoque decus accedere. Me quidem tanto tuo beneficio devinxeris, ut tibi perpetuam pro eo gratiam ſim debiturus. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Carpentoracti, XIIII. Calend. Julii M. D. XXVII.

EPISTOLA LXIX.

JAC. SADOLETUS LANGEO (a)

De præſtitis in ſe officiis gratias agit, commendatque illum, qui has litteras reddit.

HAbeo litteras datas Pariſiis XVII. Kal. Junias, mihi tardiſſime redditas, propter difficultatem, credo, itinerum & moras excutien-

(a) Guillielmo Bellajo Langeo, ſuſpicor hanc eſſe ſcriptam epiſtolam, homini antiqua nobilitate, prudentiaque inſigni, Martini Hiſtorici, & Joannis Bellaii Archiepiſcopi Pariſienſis & Cardinalis, fratri. Extant Sadoleti epiſtolæ Joanni ſcriptæ an. 1532. 1536. & 1537. Guillielmo vero ipſi XV. Cal. Martii 1538. cui etiam librum inſcripſit *De liberis recte inſtituendis*; litteræ certè ſunt homini datæ, qui apud Galliæ Regem plurimum poterat.

tientium tabellarios omnes, ne quid litterarum ultro citroque perferatur: quas etſi non habeo compertum, a te eſſe, ideſt ab eo, de quo & per Archidiaconum Avenionenſem, & per Gregorium procuratorem meum ad me ſcriptum eſt, cujus officia in me apud Regem Chriſtianiſſimum maxima extiterunt; tamen ſimilitudo & nominis & facti me inducit, ut arbitrer eumdem eſſe, quando pro Langeo Langiatus ſcriptus eſt. Quod ſi ita eſt, atque idem tu, qui me & cauſam meam tuis humaniſſimis officiis apud Regem ſublevaſti, litteris quoque tuis, ſcriptis amiciſſime animum tuum omnem & amorem oſtendere mihi voluiſti, ſcito te ita recte in me tuam operam, & beneficium collocaſſe, ut eorum qui te amant & florentem eſſe cupiunt, quorum non mediocris pro tua præſtanti virtute eſſe debet copia, ego tui benivolentia & amore incenſus principem me eſſe profitear; tantum apud me virium habet humanitas & hæc benivoli animi ſignificatio, hoc mihi gratior, quo minus proviſa aut expectata fuit. Ac tibi equidem gratulor, quamplurimas partes amicitiæ conſtituendæ fortunam ad te detuliſſe; quas ego occaſiones ſoleo ceteris rebus omnibus anteferre. Sed quando tu tali virtute; ingenio, probitate præditus es, meo judicio, es digniſſimus, cui omnis præclaræ rei gerendæ facultas deferatur. Eſt præterea in eiſdem tuis litteris ſcriptum, eſſe quod operam meam apud ſummum Pontificem requiras; quod ego, quidnam ſit intelligere non potui, neque vero quiſquam ad me detulit, quo fierem certior, quod ſummo meo cum dolore fero. Nihil enim mihi magis eſt in optatis, quam refer-

referre tibi gratiam ſi modo ea referri poſſit ; quod tuorum erga me magnitudo meritorum excludere videtur . Verumtamen , ſi quid dabitur occaſionis , ut meum in te animum declarare poſſim , non deſiderabitur a te nec voluntas nec induſtria mea . De tuis erga me officiis & ſingulari tua humanitate communicavi cum eo qui tibi has litteras reddidit , cujus apud ſummum Pontificem gratia atque auctoritas maxima omnium eſt ; idque ejus merito : nihil enim illo fidelius , nihil integrius, nihil in omni genere virtutis perfectius ; qui quidem te etiam mirifice diligit, & tuam amicitiam familiaritatemque expetit , cui ſi te totum tradideris , hominemque omni laude præſtantem tua illa humanitate incomparabili fueris complexus , nequaquam te pœnitebit optimi & prudentiſſimi viri amicitiam eſſe aſſecutum ; penes hunc quidem ſummum omnium & vere optimum Pontificem quicquid ambo valemus gratia , & benivolentia , valemus tibi ; quod magis reipſa experimentoque cognoſces ,

EPI-

EPISTOLA LXX.

HIERONYMUS NIGER (a)

Jacobo Sadoleto Epiſc. Carpentoractaten. S.

De iis quæ ſibi in Romanæ urbis direptione acciderunt, eum certiorem facit.

QUum poſt urbis Romæ calamitoſum excidium, nudus rerumque omnium egenus in patriam confugiſſem, nihil duxi antiquius, quam ut ad te ſcriberem, non quo tibi hæc jampridem (ut reor) notiſſima ſignificarem, ſed quo tecum communes deplorarem miſerias, judiciumque exquirerem tuum, quid

---

(a) Magnopere Nigrum hunc latinæ eloquentiæ atque eruditionis laude floruiſſe, non minus ex ejus ſcriptis patet, quæ pauca reliquit, quam ex hominum doctiſſimorum amicitiis quibus implicitus fuit. Nam Petro Bembo, Angelo Colotio, Lazaro Bonamico, aliiſque illius ætatis luminibus adeo familiariter uſus eſt, ut nihil ſupra. Quantum autem in ære fuerit Jacobi Sadoleti non modo ex mutuo inter eos Epiſtolarum commercio, verum etiam ex nonnullis ejuſdem litteris Italico ſermone ad Marcum Antonium Michaelem conſcriptis, quæ extant inter litteras Principum Venetiis apud Zilettum an.1581. editas, in queis ſæpiſſime Sadoleti fit mentio, apprime intelligitur. Ceterum Hieronymum Nigrum *Canonicum* Patavinum extitiſſe, narrat Papadop. Hiſt. Gymn. lib.III. ſect.2. cap. 6. ubi illum an. 1552. orationem in funere Lazari Bonamici Patavii habuiſſe tradit. Simultates aliquas cum Nigro exercuit Ubaldinus Bandinellus, ut ex quadam hujus ad Bembum Epiſtola an.1537. ſcripta, colligitur.

quid nam ipſe futurum cenſeas, qui præterita mala, atque præſentia, multo ante quam fierent, prævidiſti. Memini enim te cum ſæpe alias, tum vero ſub tuum ex Urbe diſceſſum multa mihi de impendenti Urbis excidio, de Italiæ vaſtitate, atque imminenti totius fere chriſtiani orbis ruina, divinitus prædixiſſe, explicatis cauſis propter quas hæc fieri neceſſe foret: ſimul etiam me amice monuiſſe, ut cederem tempori, neque tempeſtatis jamjam ingruentis vim diutius expectarem. Quibus ego monitis ſi continuo paruiſſem, auditor tantum Romanæ cladis, non ſpectator & particeps extitiſſem. Sed obſtiterunt fata (hoc eſt Dei voluntas, qui me in eadem navi eſſe voluit, in quo eſſent hi, qui naufragii auctores fuerunt). In quo etſi jacturam feci maximam, non tam fortunarum mearum, quæ intra mediocritatem erant, quam vigiliarum omnium quas in communibus noſtris ſtudiis poſueram, tamen immortaleis habeo gratias immortali Deo, qui me ex tanta cæde tantiſque gurgitibus cruoris emerſum, ad patrium litus adnatare permiſerit. Itaque eſt quod graviter doleam, eſt etiam quod læter plurimum, lætarerque magis, ſi hoc vulnus aliquando illis eſſet ſalutare, quibus id inflictum, neque illi Leonum more verberati, fierent ferociores. Jam nemo eſt fere, qui non palam dictitet, nos erratorum noſtrorum pœnas luere. Quæ res auget dolorem, quum nullus miſericordiæ locus nobis relictus eſſe videatur. Quem putas actum de nobis triumphum non modo ab hoſtibus, qui ſingulo quoque verbo ſe ſe vindices adminiſtroſque divinæ juſtitiæ fuiſſe prædicabant, ſed etiam a cuncta

Italia

Italia ab omnibus tranſalpinis & tranſmarinis nationibus, quæ nos everſa urbe profugos, bonis omnibus diſpoliatos ac fame pene confectos, non modo nulla humanitate exceperunt, ſed etiam ludibrio, probiſque affecerunt, quaſi dignos fortuna, in quam miſerrime concideramus. Quæ ſi moleſtiſſima fuerunt his, qui tantorum malorum cauſas extiterant, quanto moleſtiora putes fuiſſe nobis innocentibus, niſi forte in ea re nocentes fuimus, quod Romæ hoc eſt in ſentina omnium rerum atrocium & pudendarum deprehenſi fuerimus. A quo quidem crimine tu ſapienter admodum ac feliciter abfuiſti. Nam quum videres conſilia tua non ſatis probari rerum gubernatoribus, paullo ante quam omnia tumultu bellico miſcerentur, ſic ab Urbe receſſiſti, ut tecum modeſtia, probitas, religio receſſiſſe videretur. Atque ego certe tantis in malis voluptatem cœpi maximam, non modo quod publica illa calamitas te non corripuiſſet, ſed etiam quod audieram paſſim omnes de tuo judicio, deque optimis tuis in Remp. ſenſibus præclare colloquentes. Tibi vero quid poterat evenire felicius quam Urbis interitum effugere, in qua tot annos, tanta cum laude floruiſti. Cum tuis autem Carpentoractenſibus actum certe eſt feliciſſime, quod te feſſum laboribus tanquam tutiſſimo in portu exceperunt, cujus monitis & exemplis, ad religionem moreſque optimos invitabuntur. Utinam liceret, & mihi iſtius otii particeps eſſe, quo tu beatiſſime frueris: at iter eſt hoc tempore impeditiſſimum, terra marique redintegrato jam bello, & occupata paſſim tot claſſibus, atque exercitibus Italia.

Qua

Quamobrem manebo in patria donec ſerenio-rem nobis vultum fortuna oſtendat. Interea pergratum feceris ſi dolorem noſtrum tuis ad me literis, & ſalubri aliquo conſilio minues. Vale. IV. Idus Julii M. D. XXVII.

EPISTOLA LXXI.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Hieronymo Nigro S. P. D.

Reſpondet Epiſtolæ antecedenti, quodque incolumis in patriam pervenerit, gratulatur.

EX eis literis, quas abs te IV. Idus Julii datas, V. Calend. Septembris accepi, cognovi, quod per mihi gratum fuit, te ex illo acerbo & horribili caſu, quo urbs Roma & totius fere Italiæ reliqua dignitas, immanis barbariæ fluctibus oppreſſa eſt, amiſſis rebus ceteris, ſalvum ipſe atque incolumem in patriam revertiſſe: quod & de te cognoſcere, & de aliis item nonnullis, qui ob virtutem & amicitiam mihi ſunt chariſſimi, non mediocre mihi ſolatium in meis maximis doloribus præbuit. Quamquam enim, ut tute ſcribis, fortunis ſpoliari grave eſt, præſertim innocenti, cui nullo ipſius merito iſta accidunt: gravius etiam amittere optimorum ſtudiorum lucubrationes, multis vigiliis & multo labore diu collectas; tamen ea vis malorum & tantus concurſus omnium calamitatum fuit, ut non peſſime cum illis videatur eſſe actum, quibus libertatem in hoc tempore & ſalutem tueri fuit licitum. Quod tibi & aliis pleriſ-que

que tui ſimilibus meis familiariſſimis Dei immortalis ope & auxilio contigiſſe lætor. Nam quod ego ſapientia quadam videar conſequutus, ut abſuerim in tam acerbis rebus atque temporibus, nequaquam id mihi arrogo, ſed hoc ejuſdem Dei erga me beneficium agnoſco, gratiaſque ago illi quantas equidem poſſum. Nam quas debeo ut agam & referam, non modo meæ, ſed ne ullius quidem facultatis eſt. Certe enim ſi quid ego vidi aut præmonui; ſi quid in me aut boni ſenſus in tanto rerum motu, aut providentis inpoſterum conſilii fuit, totum id fuit a Deo: cui dum cupio dare eas operas, quæ a mea fide & a pietate mea requiruntur; quid mirum ſi ita accidit, ut bonum conſilium evaſerit ſapientia? Nec vero ego aliud medius fidius ſtatuo eſſe ſapientiam, quam meminiſſe unumquemque, quid ſui officii & muneris ſit, idque cum fide & cum integritate præſtare. Quod ſi hi feciſſent, qui maxime debuerunt, (de ſummo Pontifice non loquor, cujus mihi virtus, clementia, integritas ſemper viſa eſt non ſolum magna, verum etiam admirabilis) quod nunc ad omnium injurias & contumelias projectum eſt, in priſtina ſua veneratione maneret ſacerdotium. Sed recordaris profecto reliquorum ordinum, morumque communium labem & confuſionem. Quos ego accuſando non inſequar, non quin cauſa fuerint univerſæ calamitatis, ſed quia non poſſum commemorare ſine dolore, quæ & Urbi omnium nobiliſſimæ, & hominibus multis, mihi neceſſitudine junctis, infanda & atrocia contigere. Illud dico quod ſentio, Deum homineſque conteſtans, cupiſſe optimum Pontifi-

cem mederi moribus perditis. Sed cum res ferro egeret, non malagmate; ipſius autem natura & lenitas a vehementioribus remediis abhorreret, ut in corporum ſolet morbis, ſic in corruptis moribus, quæ intempeſtive adhibita eſt, auxit morbum potius medicina, quam levavit. Mihi quidem ſæpe ſummi Pontificis virtutem ac probitatem; benevolum etiam adverſus ipſum me animum, egregiamque humanitatem, mecum reputanti, ſic amore animus incenditur, non aliquo novo videlicet, ſed illo veteri & diu ante ſuſcepto, ut interdum mihi peccare videar, quod non præſto ſim tantarum illi miſeriarum & conſolator, & comes. Quod ſi non his vinculis ſanctioribus detinerer, nec tanti munere officii Deo eſſem aſtrictus; aut ſi arbitrarer, poſſe me una cum Dei, & Chriſtianæ Reipublicæ honore ac commodo, illius ſaluti, dignitatique prodeſſe: crede mihi, quominus me in omne demitterem diſcrimen, non periculo ullo, non ulla propoſita acerbitate deterrerer. Sed rem intelligo adductam in eum locum, ut lugendum tantummodo nobis ſit, nec meam vicem mihi quidem (quoquo enim modo ſe habet res, mea navis eſt in portu) ſed humanitate vincor, & mollicia animi quadam, ut aliorum incommoda ducam pro meis. Nam me, etſi eadem, quæ tam multos peſſumdedit, fortuna afflavit: quod meis & meorum familiarium non tam fortunis, quam reliquiis veterum fortunarum amiſſis, omnes ad me nudi atque egentes convolaverunt; tamen quoniam ferre hæc modicè didici, vel natura, vel conſilio, vel etiam uſu plane doctus: vivo autem degoque, & in ea gente regio-

regioneque terrarum, quæ pace & concordia inprimis ſedata eſt, & in eo obeundo munere quod mihi maxime congruens & honeſtum eſt; non meam vicem doleo, ſed aliorum. Nam mihi quod ipſe gratuler habeo potius, quam quod lugeam. Eorum vero, quos amavi amoque incommodis quin movear, fieri nullo modo poteſt. Habeo tamen ſpem, & rationem quandam, quæ mihi, ut in malis, non parum ſolatii affert; illam videlicet, quam ad Deum ipſum refero, quem ſcio, & novi, ita iraſci ſolere peccatis hominum, ut ſibi ſolvi eas pœnas velit, quæ illis ipſis, qui deliquerunt, utiles ſint & ſalutares. Quam eandem rationem te reputantem (petis enim a me per literas, ut tibi aliquid conſulam, quod ſit levamentum doloris tui) volo bene ſperare de reliquis rebus. Cui enim caſtigatio fuit, eidem erit Deo ſalus noſtra curæ. Porrò ea magis ex virtute & religione, & probatis moribus, quam ex opibus multis, & lauta ſupellectili ſpectanda eſt. Quod ſi multò minore in bono læſi fuimus, ut in eo quod maximum bonum eſt, augeamur, quis lugeat jure? neque hanc felicitatem quandam potius, quam calamitatem fuiſſe ducat? Sed de his ſatis. Ego te tuos labores, & ſtudiorum vigilias perdidiſſe, valde moleſte fero: quod mihi idem accidit, caſu prope mirabili, eventu triſtiore. Cum enim direptis rebus cæteris, libri ſoli ſuperſtites ab hoſtium injuria intacti, in navim conjecti, ad Galliæ littus jam pervecti eſſent: incidit in vectores, & in ipſos familiares meos peſtilentia. Quo metu ij permoti, quorum ad littora navis appulſa fuerat, onera in terram exponi non permiſere.

Ita aſportati ſunt in alienas & ignotas terras: exceptiſque voluminibus paucis, quæ deportavi mecum huc proficiſcens, mei reliqui illi tot labores quos impenderamus, Græcis præſertim tot codicibus conquirendis undique, & colligendis; mei tanti ſumptus, meæ curæ, omnes iterum jam ad nihilum reciderunt. Ex quo ſat perſpectum eſt, præter communes cum genere Italo hoc tempore inimicitias, proprium adverſum me bellum gerere fortunam. Sed nihil illa proficiet: maximum habeo in ſummo Deo, non parvum in æquitate animi perfugium. Non me tantum quotidianæ illius injuriæ convellunt, quantum aſſuefaciunt ferre hæc humana fortiter atque conſtanter: atque eo quidem fortius, quod Deum mihi patronum non deeſſe intelligo: nullo hoc meo merito, nullis virtutum officiis, fateor. Sed quid refert, ſi is adeſt tamen, meque ipſe & protegit, & tutatur? cujus quò minus ego illis dignus ſum, hoc ſunt majora erga me & præſtantiora beneficia. Pro quibus utinam aliquando gratus in illum eſſe poſſim: adnitar quidem certè, majuſque etiam donum ejus agnoſcam, ſi gratus fuero; quam cætera cuncta pro quibus gratia debeatur. Quid ergo eſt? hoc vulnere quo nullum gravius ſtudioſis hominibus infligi poteſt, amiſſarum ſcilicet vigiliarum & lucubrationum, tu levius multo percuſſus es, cui ingenium & ætas ſuppeditat, quam ego: cui quantulum quæſo eſt reliqui? Sed tamen ne ſic quidem deficio animo, tibique autor ſum, eadem illa ſtudia acrius repetendi, ut non plus detractum fortunæ injuria, quam per diligentiam additum eſſe videatur. Illud fuit extremum in tuis literis,

teris, velut adprobatio amoris erga me tui: quod ſcribis nihil tam optabile tibi eſſe, quam eſſe apud me, & hoc ocio frui mecum. In quo, ne vivam, mi Niger, ſi tibi concedo, ut tu me cupidius appetas, quam ego te. Amavi ſemper plurimum ingenium, probitatem, ſedatum animum, ſpectatos mores: ſed inprimis tuum bene mihi perſpectum erga me amorem. Quominus autem, quod ſumme cupiebam; aliquod illuſtre ad te commodum atque ornamentum ex noſtra amicitia proficiſceretur: meminiſti profecto quæ res fuerit impedimento. Quod nunc quidem vertit in bonum: ſi quidem minus malum eſt carere, quam amiſiſſe. Quæ autem ſunt in his locis, ejuſmodi ſunt: ut animus ſi ſit æquus vacuuſque cupiditate, nihil fieri poſſit amœnius, &, ſi his rebus contentus eſſe poſſit, hoc eſt, paulo minus quam mediocribus: ocii quidem & honeſtiſſimarum ac jucundiſſimarum voluptatum affatim eſt: quodque imprimis tibi eſſe gratum ſcio, ſumma noſtra in te conſtat benevolentia. Sed de re tota tuum conſilium eſt; utrum videlicet, & quando. Nos quidem tui ſumus. Lazarum queror ita noſtri oblitum, ut nihil adhuc ad me dederit litterarum. Nec puto tamen ab eo me non amari, quem ego mirifice diligo. Eum de hoc commonefacias velim, multamque & illi & ceteris amicis ſalutem a me dicas. Vale, mi Niger,& nos amare perſevera. Iterum vale Carpent. III. Idus Septembris anno M. D. XXVII.

EPISTOLA LXXII.

Hieronymus Niger (a)

Jacobo Sadoleto. *Carpentor.*

Sadoleti Epiſtolæ, qua de acceptis in Romana clade incommodis conſolabatur, officioſe reſpondet, ſpondetque ſe ejus exemplo & hortatu incitatum, cum libris in gratiam rediturum.

NOnis Novembris, quo tempore difficili morbo laborabam, Binus noſter tuas mihi literas reddidit tertio Idus Septembris datas, quæ (vere dicam) & corpus adfectum ægritudine, & animum dolore, ac miſeria tabeſcentem non mediocriter ſublevarunt. In eis enim non vulgare, & abreptum ex trivio conſolationis genus continebatur, ſed divinum quiddam, atque ex arcano veræ philo-ſophiæ

(a) Ad ea quæ de Hieronymo Nigro diximus in notis ad Epiſt. LXX. pag. 189. addendum, illum an. M.D.XXIX. Romæ Cardinalis Cornelii a Secretis extitiſſe, ut colligitur ex nonnullis ad eum ſcriptis Bembi Epiſtolis Italicis, quæ habentur tom. III. In harum una data *a' 4. di Gennajo* 1528. hæc de Sadoleto Bembus ſcribit: „ Per „ venire a Monſig. SADOLETO, che deſidera il Con„ cilio in alcuna parte per potermi rivedere; io di ve„ ro non sò dire, qual coſa mi poteſſe donar la fortuna „ più cara, che il portar S. S. in queſti d'intorni, do„ ve io & rivedere, & godere il poteſſi alcun giorno. „ Proferiteli queſta mia caſa, & la Badìa di Villa nuo„ va; l'una & l'altra aſſai vicina a Vicenza &c.

ſophiæ hoc eſt Chriſtianæ Religionis depromptum, quale nullus unquam veterum philoſophorum, qui ſibi vitam hominum virtutibus inſtituendam deſumpſerunt, agnovit. Nam illi magnum ac memorabile facinus edidiſſe videbantur, ſi ærumnas hominum dicendo aliquanto leviores reddidiſſent; tu tuis effeciſti literis, ut non modo æquiore animo feram publicam, & privatam calamitatem, ſed ut illa etiam velut ſingulari gaudeam beneficio, & id lucro apponam, quod magno detrimento eſſe cenſebam. Illud autem quod in extremo literarum tuarum erat, multo mihi gratiſſimum fuit, quod ipſe te mihi authorem præbueris repetendi ea ſtudia, quæ ego deſperatione quadam rerum, amiſſarumque lucubrationum mearum dolore, omittere in animum induxeram. Cujus quidem conſilii te non ſolum principem, & authorem exhibuiſti, verum & adjutorem, facta mihi poteſtate omnium fortunarum tuarum, & otii, quo iſtic ſoli prope ex omni genere mortalium hiſce temporibus abundatis. Agnoſco, Sadolete, humanitatem iſtam, & benivolum tuum erga me animum, qui hoc mihi eſt gratior, quo minora ſunt merita, atque in te officia. Sed quominus utar in præſentia liberalitate tua, multa in cauſa ſunt. Primum mea ex recenti morbo imbecillitas corporis, haud ſatis idonea longis itineribus conficiendis, deinde tumultus hi bellici, qui aditus ad vos omneis ita occuparunt, ut ne Dedalus quidem tuto advolare iſtuc poſſet. Sed quamprimum facultas, & commoditas adeundi te dabitur, idque tempora expoſtulare intelligam, crede mihi, nec me patriæ dulcedo, nec propinquo-

rum, amicorumve ulla neceſſitudo continebit, quin ad te citiſſime convolem. Unam enim dieculam quam apud te ponam.... Gibertus tuus nudius tertius ex Eccleſiaſtica ſua provincia huc rediit, veritus fortaſſe Germanorum ex alpibus præcipitantium tempeſtatem. Cæteri communes amici omnes bene habent, præter M. Michaelium noſtrum (a), qui uxorem duxit, quamquam in hoc quoque philoſophum egit: indotatam enim accepit, ne, ut eſt Plautinum illud, *dote imperium venderet*. Maronem poetam iterum obiiſſe ſcito: obiit enim Andreas noſter vir optimus, & doctiſſimus, qui ſi me audiſſet, fortaſſe viveret, & nos hac moleſtia careremus. Doleo amici fortunam perpetuo tenore miſerabilem. Alter enim Maro (quod ſcis) Auguſtos Mæcenates, & aureum nactus eſt ſeculum, quod ornavit, & ab illo viciſſim ornatus eſt; hic noſter in Calligulas, Nerones, Heliogabalos incidit, & denique in eam ætatem, quæ ea ratione dici poteſt aurea, quod de una auri vi omnis hominum dignitas, & authoritas pendeat. Sed nos curabimus, ne quid propterea de noſtra priſtina voluntate ac ſtudio detractum ſit, quia hoc erimus fortiores, quo major nobis propoſita eſt gloria. Ego certe tuo imprimis exemplo tuiſque literis ſic confirmatus animo ſum, ut privatus omnibus fere fortunæ commodis, quæ me vel tua ope con-

(a) M. hunc Antonium Michaelem familiariſſime Nigro uſum fuiſſe, patet ex pluribus ejuſdem Nigri Italicis litteris ad eum datis, quæ extant tom.III. Epiſtolarum Principum pag.36. & ſeqq. edit. Venet. an.1581.

conſequutum fuiſſe exiſtimabam, longe alia ratione mihi poſt hac vivendum ſtatuam, adnitarque unius Dei Opt. Max. beneficium tueri, hoc eſt ſcientiam præteritorum errorum: quam unam ſi profitebor, ſatis me locupletem eſſe, ſatiſque ſapere arbitrabor. Tu cura ut valeas, & crebro ad nos des literas, ne incerti de tua valitudine agamur.

EPISTOLA LXXIII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Jo. Franciſco Ripæ Juriſconſulto
S. P. D. (a)

Hortatur eum ut quoddam ſuum opus in lucem edat, eique gratias agit.

TUA præſtans doctrina, & ſummum ac ſingulare ingenium, quod non modo in hac juris civilis laude ac ſcientia, ſed omnibus bonis in literis artibuſque excellit, faciunt, ut quicquid proficiſcatur a te, id non ſolum utile & commodum, ſed etiam optabile omnibus eſſe debeat. Cum vero nuper volumi-

 nibus

(a) Joannes Franciſcus Ripa a Sancto Nazario Papienſis inter celebres Seculi XVI. Juriſperitos locum obtinet. Quum Avenione jus civile magnis præmiis, majore nominis ſui celebritate publice doceret, Mediolanum optimis conditionibus, ac pœnis etiam, ni pareret intentatis, eſt evocatus. Quod quum ipſe conſtanter recuſaret, dedit Sadoletus pro eo ad Pont. litteras die XI. Martii an. M. D. XXXIII. ut in urbe Avenionenſi retineretur. Eas vide inferius ſuo loco.

nibus quadraginta editis, viginti interpretationum, totidemque reſponſorum, omnem ferme civilem prudentiam explicare & proferre in medium inſtitueris: remque totam, qua nulla fere ſubtilior, neque enucleatior excogitari poſſit, ſummo ſtudio & cura, ſummis laboribus vigiliiſque confeceris: diuque ſub eadem expolitam lima adhuc compreſſam domi continueris: quid mirum mi doctiſſime Ripa, ſi ego, ut eam aliquando ederes, & ad publicam utilitatem invulgares, non hortator ſolum, verum etiam rogator acceſſi: cum de tuo præcellenti & admirabili ingenio ſentiens id quod neceſſe eſt, non æquo ferrem animo, tam diu differri commune omnium doctorum & bonorum virorum commodum, cum præſertim ex eo egregia quædam laus & expetendus honor mihi ipſi quoque pareretur? Quo quidem nomine duplices tibi ago gratias: unas cum cæteris hominibus communiter; quod ipſe quoque tuis eruditiſſimis laboribus & monimentis ad fructum meorum ſtudiorum uſurus ſum: alteras proprias jam & ſingulares, quod ſum hoc tanto abs te & tam præclaro munere honeſtatus, quo meum nomen per tua ſcripta commendari immortalitati voluiſti. Cui muneri ſi referri ea gratia poſſet, quam ego libenter redderem, crede mihi, cognoſceres & experirere, in hominem memorem & gratum tua te officia & ſtudia contuliſſe. Sed in hoc etiam tua humanitas & fortuna illuſtrior fuerit, quod ea dare potuiſti, quibus par recipere nihil poſſes. Ego tamen ad eam benevolentiam, qua te ſemper maxima complexus ſum, & ad id judicium, quod de tuis ingenii & doctrinæ ornamentis eximium

ſem-

ſemper feci, adjungam vinculum officii & obligationis, qua tibi perpetuo devinctus futurus ſum: quanquam hæc quoque ipſa in vero amore & fideli amicitia, qua jam pridem copulati ſumus, ſatis per ſe omnia inſunt. De cætero quicquid ab utroque noſtrum in alterum profectum fuerit, id non novam conſtituere, ſed veterem & mutuam benevolentiam noſtram declarare videbitur. In quo ut tecum omnibus officiis certem, ita adnitar, ut ſive victor, ſeu victus, in eadem & pari laude utrumque ſim poſiturus, quando non vinci beneficiis, quibus plerunque tempus & fortuna occaſionem dant, ſed in amore, & fide amicitiæ inferiorem eſſe, id probo viro maxime fugiendum eſt. Tu valebis, & perges quæ præclare inſtituta ſunt, ea quamprimum emittere: meque amabis, ſi tamen te a me unice amari vere exiſtimas. Vale, Carpentoracti, XVI. Calend. Octob. M. D. XXVII.

EPISTOLA LXXIV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

N. Senatus Tholoſani Præſidi
S. P. D.

Ejus laudes celebrat, deque rerum ſuarum rationibus illum certiorem facit.

CUM veniſſem Carpentoracte ad V. Nonas Majas, meæ Eccleſiæ deſerviendi, & Deo in ea operæ officiique impendendi cauſa, rebus Romanis aliquando penitus relictis, quod quidem meum conſilium, Dei ejuſdem

erga me benignitas, & ſecuti exitus poſtea, comprobaverunt: quæſivi ſtatim ex his quos ſcire putabam, quibus in locis eſſes, cupiens ſcribere ad te, & fundamenta noſtræ benevolentiæ jam pridem auſpicato jacta (ſiquidem optimum auſpicium virtus eſt) literis confirmare. Cum autem mihi de te nihil certi reſponderetur, propterea quod negociis publicis a Rege aſſidue adhibitus, itineribus crebris diſtraherere, neque diutius ferè uno in loco conſiſteres: & ob eam cauſam, & quod deinde triſtibus nunciis ex Italia multis allatis, & privata mea incommoda, & multo magis publicæ calamitates animum meum non leviter perturbaverant, uſque in hunc diem a ſcribendo fui retardatus. Nunc vero, depulſis nubibus illis mœroris ac moleſtiæ, quas mihi in animo tantorum malorum cogitatio congregarat, cum (quod ſolet eſſe non difficillimum iis, qui in ſummo Deo ſpes ſuas poſuerunt) ſpretis humanis caſibus ad ſerenitatem animi, & ad conſtantiam me retuliſſem, ſtatui has ad te dare literas: quas ubicumque eſſes, tamen ſperavi ad te aliquando perlatum iri, per quas & officio ſatisfacerem (ſum enim tibi pro tuis multis erge me meritis jam pridem valde obſtrictus) & renovarem in te, quoad fieri poſſet, memoriam ac benevolentiam mei nominis. Ego jam ab eo tempore, quo primum ad Senatum Tholoſanum (cui tu maxima cum dignitate præes) cauſa Eccleſiæ meæ fuit delata, cognovi meorum procuratorum, hominum probatiſſimorum, teſtimonio, qui vir eſſes, qua integritate, qua prudentia, quanta autoritate præditus: intellexi quoque tum illud, te ita eſſe ſtudiis optimarum & artium

& li-

& literarum deditum, ut in eo genere laudis & ſcientiæ excelleres. Quod quidem ego maximum in homine, ſi cum virtute innocentiaque jungatur, ſtatuo ornamentum eſſe. Non enim ſi rarum eſt, idcirco deſinit eſſe præclarum. Quin ad ſplendorem & nobilitatem hujus doctrinæ, qua expolitur humanitas, quæque una præcipue animos hominum ad veram dignitatem honeſtatemque inſtituit, addit quandam admirationem etiam raritas. Magnum eſt enim & prorſus admirabile, ita quæri a quopiam in hoc tempore ſapientiam, ut ea non ad quæſtum ullum, ſed tantum ad bene beateque vivendi rationem referatur. Equidem his tot tuis ornamentis laudibuſque acceptis, ſuſceperam jam erga te non mediocrem benevolentiam: cum acceſſerunt officia deinde tua erga me abſentem, meoſque præſentes, qui cauſam meam apud Senatum iſtum defendebant, plena gratiſſimæ humanitatis. Oſtendiſti enim illis, te (quod meæ quieti & tranquillitati, quoad æquitas ferret, cuperes eſſe conſultum) in tota ratione juris adminiſtrandi, quod tu pro tua ſingulari juſtitia potiſſimum obſervaturus eſſes, habiturum libenter rationem mei: ut, cum primum recte fieri poſſet, de re tranſigeretur, atque ego curis illis & moleſtiis omnibus liberarer. Quam voluntatem erga me tuam uſque adeo memini tum mihi accidiſſe gratam, ut nullum tantum onus gratiæ eſſet, cujus non me tibi debitorem putarem. Nihil non eſt, quod me magis alliciat, vel rapiat potius ad amandum, quam amoris erga me ſignificatio. Quæ cum in te non mediocris apparuiſſet, multaque eſſent præterea, quæ ego in te non probarem

rem ſolum, verum etiam admirarer: memini tum me ita conſtituere, tanti viri amicitiæ nil mihi eſſe debere optatius. Itaque & ſtatim tibi de hac mea voluntate literas miſi, & multis mandavi, ut coram eam tibi exponerent. Secuta ſunt tempora, quibus tu, Regis tui de tua præſtanti virtute, judicio, ad graviores res obeundas Tholoſa evocatus, ego in illis Italiæ fluctibus verſatus, ambo gravibus curis negotiiſque diſtricti, a ſcribendo ceſſavimus. Nunc autem, cum Dei immortalis incredibili beneficio, cui meam ſalutem cognovi fuiſſe curæ, ego in portum ex alto tandem pervectus ſim: habeamque conſtitutum, quod reliquum vitæ eſt totum in eo munere fungendo ponere, quod a me eidem Deo maxime debetur: putavi convenire benevolentiæ in te meæ, te de adventu noſtro, omnique ſtatu facere certiorem: ut ſcires, me repudiatis priſtinis illis vitæ actionibus (quæ, etſi a me non mediocri dignitate tractabantur, ad illa tamen jam aſpiranti, quæ divina immortaliaque ſunt, impedimento magis erant, quam adjumento) revolutum totum eſſe in eas literas, & ad ea honeſtiſſimarum artium ſtudia, per quæ noſmetipſos noſcendi, & ad Deum ipſum propius accedendi, ampla nobis facultas parata ſit. Quam facillime conſequemur, ſi cum ſtudio veræ ſapientiæ cultum puræ ſanctæque religionis in unum quaſi complexum copulabimus. Quod ſumus Deo adjuvante ſtudioſe effecturi. Et quoniam te quoque eadem voluntate ad hæc præclara ſtudia propenſum eſſe intelligo: audebo te hortari, non tam ambitione, quam benevolentia adductus, ut maneas in ſententia, atque inter

publi-

publicas res adminiſtrandas, impertias huic etiam curæ aliquid temporis: quo & fructus uberiores vitæ beatæ percipias, & fias ad illa gerenda atque tractanda, ſi fieri poteſt, etiam inſtructior. Ego quam ſemel erga te ſingularem ſuſcepi benevolentiam, eam perpetuo & cum fide conſervabo. Tu ſi me viciſſim, ut ſpero, & ut inſtituiſti facere, dilexeris, mihique aliquid aliquando literarum miſeris, dabo operam profecto, ut te ne unquam nec judicii de me tui, nec noſtræ inſtitutæ neceſſitudinis pœniteat. Vale. Carpentoracti XI. Cal. Novembris, M.D.XXVII.

EPISTOLA LXXV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Petro Bembo S. P. D. *Patavium.*

Cauſas affert, quod tamdiu deſtiterint inter ſeſe litteras miſſitare. Gratias agit de officiis Bino præſtitis, cujus laudes celebrat. Demum de ſtatu ſuo eum certiorem facit.

DIU eſt, quod deſtitimus inter nos miſſitare literas: neque enim inveteratæ amicitiæ tanta conjunctio, talem operam ullam, aut oblectamentum requirebat. Alia porro non fuerunt, de quibus eſſet opus alterum noſtrum ab altero certiorem fieri. Sed cum tu in ocio atque in literis aſſiduus eſſes, ego maximis Romæ curis & ſolicitudinibus impedirer, in longe diſpari conditione vitæ, pari tamen benevolentia inter nos juncti ſemper fui-

fuimus. Nunc autem, poſtquam Dei immortalis admirabili beneficio ex illis turbulentis fluctibus me evolutum, & ad portum ociumque traductum, ea excepit vita, quam maxime ſemper appetiveram: non exiſtimavi noſtra neceſſitudine, aut ipſo tempore alienum eſſe, aliquid ad te literarum dare: præſertim cum tu mihi idoneam ad ſcribendum occaſionem præbuiſſes. Cognovi enim ex Bini noſtri literis, quas ille ad me Venetiis miſit, vigere apud te benevolentiam mei abſentis, & memoriam amicitiæ noſtræ cum fide conſervari: cum is ſe ad te viſendum acceſſiſſe, aliquotque horas conſumpſiſſe tecum ſermonibus ſuaviſſimis confirmet: eaque de te prædicet, quæ & tuis plurimis maximiſque virtutibus, & meo perpetuo de te judicio conſentanea ſunt. Ac mihi quidem quod intelligo me amari abs te, non tam novum nunc quidem, quam ſemper gratum atque optatum accidit. Quod vero erga Binum ipſum egregia humanitatē uſus es; eique & opem, & ſtudium, & autoritatem tuam detuliſti, quodque hoc etiam prolixius cauſa mea feciſti; de eo habeo tibi magnam gratiam. Certè enim is & diligitur a me, & per ſe dignus ipſe eſt, quem tu quoque diligas: eſt enim ſumma modeſtia, & ſumma probitate præditus: doctus præterea, & elegans, & cum laude verſatus in utroque genere ſcribendi. Sed hoc tu facile pro tuo ſingulari ingenio perſpicere per te potes. De me autem ipſo ſi cupis noſſe qui noſter ſtatus ſit: ego Carpentoracti habito, quo veni ante diem V. Nonas Majas, id tandem aſſecutus, quod & meæ quietis cauſa tanto ante optaveram,

ram, & Deo immortali jamdiu debueram. Locus ipſe ab omni terrore & tumultu liber: hominum ſecunda in nos voluntas: ocii jam non ſpes, neque deſiderium, ſed certa, & haud dubia poſſeſſio. Denique omnia ejuſmodi, ut plane me in limine poſitum beatæ vitæ fuerim arbitraturus, niſi ad mea privata incommoda Reipublicæ calamitas quoque tanta acceſſiſſet. Nam quod ego fortunis omnibus ſpoliatus, tanquam naufragio facto, nudus ad littus evaſerim: non tam grave mihi quidem eſt, jam uſu & ratione edocto, ferenda eſſe fortiter vulnera fortunæ (etſi quod fuit graviſſimum, libri quoque mei eandem calamitatem ſubierunt) quam audire urbem omnium nobiliſſimam, domicilium Imperii ac dignitatis, ſedem & patriam omnium noſtrum, ita captam ac direptam: clades, cædes, ſtrages tot, tamque inauditas, ab hoſte immani & impio fuiſſe factas. In quibus & Pontificis Maximi, quem ego incredibiliter amo, indigni caſus, & multorum præterea chariſſimorum atque amiciſſimorum hominum mortes & exilia, me vehementer perturbant. In quo angore animi etſi ea requiro ex ſtudiis doctrinæ doloris ſolatia, quæ mihi adjumento & levationi eſſe poſſint: tamen haud ita multum uſque adhuc profectum eſt. Omnem enim medicinam vincit dolor: nec ſic poſſum ſtudere conſtantiæ, ut oblivifcar humanitatis. Sed hæc Deus viderit: cui me totum addixi. Ego ſi ab his difficultatibus quæ me plurimæ premunt, & ab omni parte circumſiſtunt, reſpirare aliquando cœpero: efficiam profecto, ut aliquis ſtudiorum meorum & ocii fructus appareat: in quo præclaram tuam voluntatem ami-

imitabor: ingenium & facultatem non aſſequar. De omnibus autem ſcito tuam judicationem fore. Vale, & nos dilige.

Navagerio tuo, & M. Antonio Michaeli noſtro, Nigro, duobus Teupulis, cæteriſque amicis (ſunt enim utrique noſtrum fermè communes) plurimam verbis meis ſalutem dic. Carpent. III. Non. Novem. M.D.XXVII.

EPISTOLA LXXVI. (a)

PETRUS BEMBUS

Jac. Sadoleto S.P.D. *Carpent.*

Ejus litteris officioſe reſpondet.

CUM Venetias ad Binum tuum ſcripſiſſem (*b*), ut ſi quid haberet abs te literarum, me certiorem faceret de omni ſtatu tuo, expectaremque jam aliquid ab illo, & quidem avide: perdiu enim erat, cum nihil omnino de te ad nos perferebatur: ecce mihi ab illo, tuas ad me ipſum literas, quas prope ſum deoſculatus, ita mihi opportunæ viſæ ſunt.

(a) Extat Epiſtolarum Bembi familiarium lib. III. epiſt. 24.

(b) Scripſerat Bembus ad Binum Patavio Venetias prid. Cal. Decembris (Epiſt. Italicar. tom. 3.) quibus in litteris hæc habet. „ Cariſſimo & dolciſſimo m'è ſtato „ allo 'ncontro intendere del ben eſſere di Monſ. SADO„ LETO noſtro, & ringratio grandemente voi che me „ ne avete dato avviſo . . . . Se ſia coſa alcuna di nuo„ vo di S. S. mi farete ſommo piacere a parteciparla „ meco, &c.

ſunt. Nam jucundæ tuæ, mihi quidem ſemper ſunt literæ, eoque nunc magis, quo, ut ſcribis, rarius id uterque noſtrum jam facit: ut videamur literas ſcribere prope intermiſiſſe. Sed cum tu eſſes Romæ in maximarum rerum occupationibus, ipſe vero interpellandum eſſe te meis literis non putarem, ego & tu ſilentio uſi ſumus diuturniore fortaſſe, quam par erat: ſed id temporibus tribuendum fuit. Nunc vero cum & tu ocio abundes: quod tamen ocium non tu quidem plus optaſti, ut tibi contingeret, quam ego: & ipſe me huc contulerim, ut mihi liceret meo jam arbitratu vivere, erit noſtræ benevolentiæ, ab adoleſcentia quidem mea, a tua vero etiam pueritia conſtitutæ (a), ab utroque autem cultæ ſemper diligentiſſime, id curare atque efficere, ut ſi minus commode ego ad te, tuque ad me venire, propter locorum longinquitatem poſſumus, deſiderium oculorum, atque aurium utriuſque noſtrum, literis dandis, conſiliiſque communicandis leniatur. Quod quoniam tu jam facis, non committam, ut quod recte ab utroque noſtrum requiritur, a me uno prætermittatur. Sed venio ad tuas literas. Quod mihi gratias agis propterea quia Binum tuum, & libenter viderim, & ei liberaliter ſim pollicitus, video te humanitate tua uti, qui mihi laudi eam rem vertis, quæ a me negligi ſine magna culpa non poterat. An

(a) Ab anno nimirum M. D. III. quo ambo Ferrariæ Nicolai Leoneceni Philoſophi præſtantiſſimi Auditores fuerant. Vide notas ad Sadoleti vitam pag. III. & Epiſt. II. hujus voluminis quæ eſt Bembi ad Sadoletum pag. 5.

An ego tuum hominem, elapſum ex avariſſimorum, & crudeliſſimorum hoſtium manibus, fortunis omnibus ſpoliatum, probum ipſum juvenem ad me venientem non amanter exciperem? non etiam meis opibus tuerer? Utinam apud me eſſe voluiſſet: non plus ei defuiſſem, quam Colæ meo. Idque tu velim ei ſcribas, mihi eum rem gratiſſimam facturum, ſi meum ad convictum ſe contulerit, meiſque rebus omnibus ſic uſus fuerit, ut ſuis. Quanquam nunc quidem mihi etiam gratior tuo teſtimonio eſt futurus, qui mihi illum utroque in genere ſcribendi laudas. Sed de Bino hactenus. De tuæ vitæ ratione quæ ſcribis, deque oppido iſto a bellis omnibus vacuo, ea mihi valde grata ſunt, ſperoque te cum tuo pacato animo, optimiſque artibus dedito, tum loci ſecuritate perfruentem, præterita multorum annorum tempora aliorum traducta arbitrio, brevi & legendo, & ſcribendo ſarciturum, quæque jam inſtituta habes ſcripta, commentationeſque eas, vel cum fœnore abſoluturum: Hortenſiumque in primis tuum (*a*); qui mihi liber quantopere probaretur, ipſe ex me cognoſcere potuiſti tum cum Romæ poſtremo eſſem. Eum valde cupio confectum, & perpolitum habere: idemque cupiunt multi, quos incenſos audio priorum ejus libri partium lectione, ad reliqua cognoſcenda magnopere flagrare. Nam quod oſtendis, vehementer perturbatum eſſe te, atque angi, cum tuis ipſius incommodis, quæ plurima, atque graviſſima es perpeſſus, tum mul-

(*b*) Vide, quæ de hoc Sadoleti opere diximus in notis ad ejus vitam pag. XXXI. & ſeqq.

multo maxime Reipublicæ Romanæ calamitate, multorumque amicorum tuorum interitu: neque poſſe adhuc quidem iſtum tibi dolorem exhauriri ullis doctrinæ præceptis, quæ abs te adhibeantur ad levationem, & conſolationem: haud tu in eo multo duriore es conditione, quam nos ſumus: amiſi enim ipſe quoque multa: atque in communi Reipublicæ naufragio eam jacturam feci, quam mihi mediusfidius repenſum iri nunquam puto: idque cum doleo, tum nullum fore tempus exiſtimo, quo mihi finem faciam; multorum mihi chariſſimorum acerbiſſimos caſus, & pulcherrimam, atque ſanctiſſimam omnium noſtrum, vel potius omnium hominum altricem Urbem, atque patriam elugendi: cujus ſolitudinem, vaſtitatem, interitum, quis tam ferus eſt, tamque ferreus, qui non defleat? Sed ſunt omnino ejuſmodi, vel luctus, vel mœroris ſua quotidie tempora: quæ cum ei cogitationi dedi (neque enim poſſum, quemadmodum neque tu potes aliter facere) me tamen a legendo, vel ſcribendo non multum abducunt. Quin etiam, credas mihi velim, in eo plus nunc quidem aliquanto ſum, quam antea, propterea, quod ea in re animus occupatior, minus a dolore conficitur. Itaque a quibus antea voluptatem tantummodo capere ſolebam, ſtudiis, literiſque noſtris, ab iis nunc etiam fructum capio maximum, doloris videlicet mei perfugium, & avocationem. Quare etſi tu is es, qui & propter prudentiam tuam, conſiliis aliorum non egeas: & propter doctrinam, & philoſophiæ ſtudia, aliis præcipere omnibus facile poſſis, tamen vide, an ea tibi quoque

res

res aliquid opis afferat, ut cum te in literas abdideris, ad ſcribendumque tranſtuleris, dupliciter tibi prodeſſe tuum ſtudium ſentias, & quia te a lamentationibus, atque angore animi avocet, & quod ea commentere, quibus pulcherrime nomen æternitati commendetur, & illuſtretur tuum. Sed de iis etiam hactenus. Quod ſcribis, ſi qui fructus ocii tui extabunt, de iis omnibus meum judicium fore: amo equidem amorem tuum, neque quicquam mihi accidere poterit gratius, quam te mihi lucubrationes tuas mittere, non tam quidem ut earum Judex ſim (quid enim tu judicio cujuſquam utare?) quam ut ea voluptate quam celerrime perfruar, legendi tua. Ego autem ad te mittere eum librum cogitabam, quem de Urbini Ducibus conſcripſeram, in quo ut tuas agis partes (noſti enim morem Dialogorum) ut eum legeres, & ſi qua tibi non probarentur, vel emendares, corrigereſque ipſe, vel mihi ſcriberes judicium tuum. Sed qui fieri poſſit in tanta Galliæ perturbatione, tam ſuſpectis itineribus, cum omnia multis in locis excutiuntur, tuto ut liber ad te perferatur, plane non video. Sed ſi erit opportunitas, mittetur (a). Naugerius

(a) Miſiſſe deinceps hunc librum Sadoleto Bembum cum aliis litteris, quas tamen minime habemus, conſtat tum ex Sadoleti ad eas reſponſione XI. Cal. Auguſti M. D. XXX. tum ex alia Bembi ad eumdem Sadoletum Epiſtola, data quartodecimo Calend. Februar. M. D. XXXI. Quare Sadoletus poſtquam eumdem librum præclaris laudibus extulit in iis litteris, ait ſe adnotaſſe nonnulla, hercule magis ut fidem Bembo faceret diligentiæ ſuæ,

gerius noſter eſt apud Carolum Imperatorem jam prope triennium publice illo miſſus. Teupoli fratres bene rem ſuam gerunt: quorum alter etiam publicam adminiſtrat, multa cum dignitate, atque gratia. De Nigro habebis a Bino tuo. Vale XIX. Calend. Januarii M. D. XXVII. Patavio.

Etiam quod pene præterieram, Egidius Cardinalis mihi diligenter mandavit, ut tibi ſalutem adſcriberem. Is cum ſe Patavium hac æſtate contuliſſet, ex vehementi pituita in febrem incidit permoleſtam: quam expellere, ut adhuc ſe res habet, non potuit. Itaque ſextum jam menſem illam fert, ægre ſane: ſed eſt ſpes, eum convaliturum.

EPISTOLA LXXVII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Bonifacio Amerbachio Baſileenſi (*a*)
S. P. D.

Reſpondet ejus literis officii & benevolentiæ plenis.

LEgi tuas literas, plenas benevolentiæ, & officii: in quibus quod merita mea erga te tantopere commemoras, facis tu quidem abundantia amoris: nam ego ejuſmodi officia, quæ ſimilibus tui viris probis doctiſque tribuuntur, magis honeſtare eos qui tribuunt, quam

---

ſuæ, quam quod valde neceſſarium arbitraretur. Idem Sadoletus perhonorificis verbis hujus libelli repetit recordationem in epiſtola LXXXI. quam pridie Idus majas anno 1537. ſcribit, hiſce Bembi litteris reſpondens.

(a) De hoc Bonifacio, vide Epiſt. XXXVI. p. 117. & XXXVII. pag. 119.

quam eos quibus deferuntur, ſemper arbitratus ſum. Quamobrem ſi quid egi tua cauſa, non tam mihi te gratias, quam me occaſioni agere oportet. Atque utinam, qua in te voluntate ſum, tantum mihi dediſſet fortuna facultatis, ut magna aliqua in re meum animum melius perſpicere potuiſſes: non te fefelliſſet opinio tua, ſi quam de natura & moribus meis ſuſceptam habes. Etenim cum ſim virtutis atque doctrinæ planè ſtudioſiſſimus, teque utraque earum plurimum valere perſpexiſſem: jam ex eo tempore, quo te primùm Avenione cognovi, amavi te perpetuo poſtea, nihilque non tua cauſa mihi faciendum eſſe duxi; neque me meæ ſemel ſuſceptæ in te benevolentiæ unquam pœnituit. Nunc vero, cum te oſtendas tam memorem, tamque gratum, humaniſſimiſque verbis omne tuum ſtudium mihi deferas, etiam amantius abſentem ſtudioſiuſque complector. Quid enim faceres, ſi aliquo magno beneficio a me eſſes ornatus, cum pro tam parva re, tam magnam te mihi debere gratiam præ te feras: omnino omneis habeo cauſas diligendi tui. Quapropter velim hoc tibi perſuadeas, paucos te habere, de quibus tibi æque, ac de me polliceri poſſis. Sed hæc factis libentius præſtabo, quam verbis. Irenæi librum accepi, quod ſane mihi jucundum munus fuit: gaudeoque ea quæ diu abſcondita fuerunt, noſtra ætate potiſſimum luci eſſe reddita. Ego aſſiduus in literis ſum: cudo etiam neſcio quid (*a*): quod ſi confecero ex ſententia, erit aliquid, credo, ad veræ pietatis ſtudia profectum. Sed incredibilis in me eſt

(*a*) Commentarium in Pſalmum XCIII. intellige.

eſt tarditas: in quo ego ſoleo Eraſmum noſtrum maxime admirari, ejuſque ingenii vim, & orationis ſuſpicere copiam. Cui tu plurimam ſalutem dic, tametſi ejus quoque literis ipſe reſcribo. Vale, mi Amerbachi, & nos dilige, omneſque iſtic viros, doctos, qui recte pieque ſentiunt, meis verbis ſaluta. Carpentoracti, XI.Cal. Decemb. M.D.XXVII.

ANNO M.D.XXVIII.

EPISTOLA LXXVIII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Jo. Salviato S. R. E. Cardinali, (a)
S. P. D.

Suam erga illum obſervantiam commemorat, deque temporum calamitatibus queritur.

NOvem menſes fere ſunt, cum ego Carpentoracte, ut meam ipſe gererem & gubernarem Eccleſiam, me recepi: cum vi-

(a) Hic Florentiæ Jacobo Salviato & Lucretia Medicea Leonis X. ſorore an. M. CCCC. XC. ortus, atque ab eodem Patruo Pontifice quum nondum vigeſimum ſeptimum ætatis annum attigiſſet, Cardinalis renunciatus, primus in nobiliſſimam Salviatorum familiam Romanæ purpuræ ſplendorem intulit. Henrici II. Gallorum Regis affinis, & Coſmi Magni, primi Hetruriæ Ducis avunculus extitit. Apud Franciſcum Primum Francorum Regem alioſque principes viros authoritate & gratia multum valuit, ad quos variis legationibus egregie perfunctus, magnam ſibi nominis gloriam comparavit. Neque ſolum prudentia & dexteritate, ſed etiam & ſumma

ginti ipſis diebus ante Roma eſſem profectus; quam illa acerba horribiliſque clades urbi illi omnium clariſſimæ & nobiliſſimæ incidiſſet. Qua mea illinc profectione, cum res illas libenter relinquerem, ab uno Pontifice Maximo & clementiſſimo ægrè fui divulſus. Amo enim eum, & amavi ſemper: nec meo in illum ſtudio & voluntate quicquam adhuc in vita expertus ſum ardentius. Quo etiam majorem ex illo graviſſimo caſu cepi animo dolorem: quem tamen ſcribendo non perſequar, ne & meam ipſe moleſtiam augeam: & te videar velle ad luctum illarum rerum mecum una revocare. Quod autem ad meum officium & obſervantiam erga te pertinet, poſteaquam huc veni, cogitavi jam ſæpius ad te ſcribere. Non enim te fugit, dum Romæ fuimus ambo, te mihi ſemper propoſitum fuiſſe, quem præcipuè colerem: non ſolum amplitudinis & dignitatis tuæ cauſa (hoc enim tibi commune erat

ma pulcherrimarum rerum ſcientia floruit, & hominum eruditorum munificentiſſimus mæcenas extitit. Nam & Lilium Giraldum, Baptiſtam Pignam, Gagium, Lud. Areoſtum, alioſque viros illa ætate doctiſſimos in deliciis habuit, & Cardinalibus Lotharingiæ, Cybo, Corteſio, ac præſertim Sadoleto noſtro familiariſſime uſus eſt, ut plures eorum ad illum ſcriptæ litteræ teſtantur. Ejus certe ingenium Sadoletus maximi ſemper fecit, eidemque in omni laude doctrinæ ac litterarum plurimum tribuit. Et ſane ejus nomini, primum opus quod meditabatur, *de gloria*, ac poſtea librum de *Catholicæ Eccleſiæ extructione* dicandum cenſuiſſe, vidimus in not. ad ipſius Sadoleti vitam pag. XXXIX. Ravennæ v. Kalend. Novembris an. M. D. LIII. extremum vitæ diem morte confecit, ut narrat Ferd. Ughellius in Ital. Sac. & Ciac. tom. III. col. 406.

erat cum multis) ſed multo etiam magis, quod tu mihi videbaris, in illo genere & ordine, vel ſolus, vel certè cum pauciſſimis, antiquæ illius virtutis exemplum retinere. Eram igitur tibi ex animo deditus; neque tu id neſcis. Quam meam opinionem & obſervantiam confirmabat, tum inſignis benevolentia, qua fui ſemper conjunctus cum patre tuo clariſſimo viro: tum tua erga me perpetua præſtanſque humanitas, cujus nullo tempore oblivisci poſſum. Cogitavi igitur ſcribere ad te. Sed cum nullum ſuppeteret (his quidem temporibus miſeris perditiſque) argumentum, quod vel mihi ſcribenti, vel tibi meas literas legenti, eſſe aptum videretur, diſtuli uſque in hunc diem: nec mediusfidius, quo nunc habeam magis quid ſcribam, quam habuerim antea. Sed quia quicquid nunc demum ſcripſiſſem, id te putavi placatiore animo eſſe lecturum: cum non ſolum dies, id quod omnibus commune eſt, ſed etiam prudentia, quæ tua laus propria eſt, ſedaſſet in te animi moleſtias. Quanquam quî ſedari poſſint, non plane perſpicio. Non enim ſunt noſtra mala ejuſmodi, ut ſi in una parte offenſum ſit, in altera ſit proſpere actum. Sed cum uno interitu omnia jaceant proſtrata, ubi amplius ſpe ullà nitamur, non habemus: niſi ad eum ſolum reſpiciamus, qui altiſſimum poſuit refugium ſuum: quo videlicet, neque mali flagellum aliquod, neque fortunæ temeritas poteſt aſpirare. Quod equidem oro optoque quotidie, ut ita fiat. Sed ſi cæteris non poſſim, mihi quidem ipſi conſulere potui: habeoque conſtitutum, nequaquam amplius poſthac a ſummi Dei cultu

 ac

ac famulatu me ſejungere, cui uni ſum dicatus ac deditus: hoc arctiore fidei & devotionis vinculo, quam plerique: quod cognovi meam illi ſalutem & libertatem eſſe curæ. Itaque certum eſt, quod tempus vitæ reliquum mihi fuerit, id omne ad Dei immortalis cultum, & artium optimarum ſtudia conferre. Quod ſcribo ad te aliquanto liberius. Senſi enim, te nunquam abhorrere a talibus conſiliis, quæ cum Deo conjuncta ſunt: quæ qui deludere & aſpernari ſolebant, cum opes & potentias nimium ſectarentur, intellexerunt, ipſo eventu docti, falſo ſe conſilio a veris rationibus aberraſſe. Sed de his hactenus: neque enim hæc ejuſmodi ſunt, in quibus immorari admodum lætabile ſit. Ego quem amorem, quamque obſervantiam erga te jam inde ab initio noſtræ conjunctionis cepi, perpetuo ſum conſervaturus. Tu me ut diligas, & in tuorum numero ducas, tibique deditiſſimum eſſe exiſtimes, magnopere a te peto. Vale. Carpentòracti, III. Nonas Februarii M. D. XXVIII.

EPI-

EPISTOLA LXXIX. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Sigiſmundo Regi Poloniæ. (b)

Suam in eum voluntatem declarat.

SErenissime atque invictiſſime Rex & Domine honoratiſſime. Cum natura ac voluntate, Deique beneficio ad virtutem venerandam ſatis propenſus ſim, fuit jamdiu mihi neceſſe, illam in Majeſtate veſtra colere ac venerari, in qua præcipua & admirabili dignitate præcellit. Itaque mihi conſcius ſum, quantum in omni tempore, ubi aliqua mihi ſeſe obtulit occaſio, ejuſdem Majeſtatis veſtræ honoris ſtudioſiſſimus, & rerum omnium amantiſſimus fuerim. Sed quoniam ſtatus mei tenuitas non eſt paſſa, mea erga illam officia magni æſtimari, cum deſiderio ac voluntati opes meæ pares non eſſent, exiſtimavi antehac, ſummam meam in veſtram Serenitatem obſervantiam tacitis officiis mihi potius coſendam, quam aperta ſignificatione eſſe oſten-

K 3 tan-

(a) Ex tom. I. Miſcellan. pag. 533.

(b) De Sigiſmundi Regis laudibus (fuit enim vere prudentia, fortitudine, conſtantia, ſtudioque Catholicæ religionis inſignis) præter Stanislai Oricovii, & Martini Cromeri funebres laudationes, quibus vitam ejus omnem ferme complexi ſunt, plura habet Antonius Maria Gratianus cap. VII. vitæ Card. Commendoni. Obiit Sigiſmundus anno 1548. ipſo Paſchatis die annos natus LXXXII. cum regnaſſet an. XLII.

tandam. Ac in eadem nunc ſententia manſiſſem, niſi Venerabilis vir Dominus Joannes Rudnicski Archidiaconus Eccleſiæ .... qui aliqua Majeſtatis veſtræ negotia procuravit apud me, cum vidiſſet, qua ego diligentia, quo amore inſervire illi conarer, hortatus me eſſet, ut has ad eam litteras mitterem; quod feci libenter. Magnus enim fructus amantis eſt, intelligere ſuum amorem eſſe probatum & agnitum: qui cum nulli rei magis debeatur, quam virtuti; non mirum eſt, ſi in animo meo erga Serenitatem veſtram vehementer eſt inflammatus; quam ego agnovi in his miſeris & calamitoſis temporibus propemodum ſolam facultates omnes, & illam qua potiſſimum valet & prædita eſt, ſapientiam, Deo, & Dei fidei, & amplitudini Chriſtianæ Religionis dedicaſſe. Hæc faciunt, ut ſi quid eſt in me, licet id ſit exiguum, ſed tamen, ſi quid poſſum & valeo ingenio, induſtria, fide, ſedulitate; id totum cupiam & optem Majeſtatis veſtræ honoribus & commodis promptum & paratum eſſe; nihil gratius & optatius habiturus, quam ſi intellexero, Majeſtati veſtræ hunc animum acceptum, & dicationem meam gratam eſſe: quam Deus omnipotens, in omnibus conſiliis ſuis actionibuſque ſecundet. Romæ IV. Nonas Martii M. D. XXVIII.

EPI-

EPISTOLA LXXX.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Joanni Salviato S. R. E. Cardinali (a)
S. P. D.

Ejus litteris reſpondet, quibus eum hortabatur, ut ſuam Reip. operam præſtaret.

TUis literis pleniſſimis humanitatis & benevolentiæ, quibus ad meas reſcripſeras, nihil adhuc reſpondere potui, morbo impeditus, non negligentia retardatus. Fuerunt autem illæ, ut quidem eſſe debuerunt, mihi jucundiſſimæ. Nam & memoria mei tua mirum in modum me delectaverunt: & in optimam partem accepi, tum judicium, quod ipſe de me in illis faciebas: tum conſilium, quo cohortabare, ut nollem hoc tempore deeſſe Reip. cui tot annos ſumma cum fide & diligentia ſerviviſſem. De judicio quidem, quod tibi ego idoneus videar, in quo ſit aliquid opis & adjumenti Reipublicæ, (quando hoc ita accipio; ut id tui potius erga me amoris indicium eſſe putem, quam ullius meæ virtutis teſtimonium) habeo tibi magnam gratiam. Talis enim viri benevolentia ſatis mihi pro illuſtri teſtimonio eſt. Quod verò aut me deceat, aut id vera & recta ratio a me poſtulet, ut referam me rurſus in illos fluctus, ex quibus

 Dei

(a) Vide quæ de Card. Salviato diximus in notis ad Epiſt. LXXVIII. pag. 217.

Dei immortalis incredibili benignitate ſemel ereptus ſum: quanquam in omni genere prudentiæ plurimum tibi tribuo, tamen in hoc planè quidem non aſſentior. Eſt enim meum mihi munus attributum, quod nec deſerere debeo, neque ab hac mente, illius piè recteque adminiſtrandi, ipſe deſeri. Quod quidem ego perſpicere non poſſum, quo pacto abſentes probè adminiſtrent, cum ego ipſe qui adſum attendoque, re experiar, hanc unam omnium maxime laborioſam & difficilem eſſe provinciam. Sed ut hoc mutari convellique poſſit; quis mihi præſtet, rite omnia deinceps in Urbe actum iri? optimus quidem & juſtiſſimus eſt Pontifex; ſed cujuſmodi cæteri ordines? cujuſmodi tempora? qui hominum mores? Nos verò qui ſatis diu ſatiſque vehementer illis rebus dedimus operam, & aliqua inſerviendo Reipublicæ naufragia jam fecimus, aliquando littus portumque nacti, obnixe illum teneamus. Equidem quod reliquum dabitur vitæ, id etiam Deo & muſis ſic impendere totum devovi, ut aliam nullam cum quoquam cogitem habere rationem. Nec deſpero in hoc ipſo quoque genere vitæ, fore me & ipſi ſummo Pontifici, quem incredibili quodam amore proſequor, & cæteris amicis, ornamento aliquando ac voluptati. Tantum tenere mihi hanc pacem animi, & hunc fructum tranquillitatis, quo mirificè perfruor, ad diem vitæ ultimum liceat. In quo mens quidem mea perquam eſt conſtans, ſed fortuna eſt ipſa pertimeſcenda, cujus tanti & tam varii ſunt ad lædendum conatus, adverſus quam illo perfugio uti meditamur, quod eſt unum omnium certiſſimum & maximum, ut in Deo

ipſo

ipſo omnis ſpes vitæ, omnia ſubſidia fortunæ conſtituamus: qui ſi fuerit nobiſcum, quis contra nos erit? Atque hæc pauca ad te; velut excuſans opinionem meam, ſi non ea eſt omnino ſententiæ tuæ conſentanea; cum præſertim probè intelligas ipſe, etiam ſi in me eſſet ingenium atque eloquentia, quæ quidem perquam minima eſt, quam nihil tamen illa profectura ſit in tam averſis ab æquo & bono, cunctorum moribus fere & voluntatibus: quæ non modo nihil appetunt rectum, neque honeſtum: ſed ne in eo quidem ipſo, quod perperam appetunt, habent certam & conſtantem rationem appetendi. Sed hæc fortaſſe plura, quam oportuit. Quod autem privati jam tecum officii eſt: quod tu meam benevolentiam & agnoſcas erga te, & tuam mihi ipſe viciſſim tribuas, meque in numero ducas tuorum; vehementer (ut verum fatear) mihi gratum eſt: tibique confirmo, ſi quid aliquando evenerit, ut re ipſa declarandum ſit, quo ſim in te animo: me non ſolum æquaturum, ſed (ſi licebit) ſuperaturum etiam tuam de me opinionem. Tu ut mei memoriam conſerves, hominique omnibus ingenii & virtutis ornamentis prædito, Alberto Pio Carporum principi, plurimam ut dicas meis verbis ſalutem, te magnopere rogo. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Maii M. D. XXVIII.

EPISTOLA LXXXI.

Jacobus Sadoletus Episc. Carpent.

Petro Bembo S. P. D.

De eorum familiaritate. De dolore ex Romanæ urbis clade accepto. De litterarum ſtudiis. Tandem de Franciſco Bino, deque Egidio Cardinali.

NOli admirari, ſi & mea, & tua expectatione ſerius, meas haſce dedi, ad tuas amiciſſimè atque humaniſſimè ſcriptas literas: morbo impeditus ſatisfacere officio non potui; quo tamen levari jam videor. Itaque ut primum facultatem nactus ſum, non commiſi, ut deſiderares a me hoc officium: vel ego potius ut deſiderarem. Miro enim ſtudio tenebar reſpondendi tibi, cum uſque eo accurate, & ſuaviter mihi reſcripſiſſes, ut omnem amorem tuum erga me in illis plane literis intueri liceret. Nam & jucundam memoriam vetuſtæ inter nos benevolentiæ declarabant: & ſocietatem doloris ejus, quem ex communis Reipub. calamitatibus uterque noſtrum ſuſcepiſſet: & quod maximè tua virtute & prudentia dignum erat, levationem a moleſtiis; quam & tu adhiberes, & mihi ipſi cenſeres eſſe adhibendam. Quorum alterum manſueti animi & miſericordis, commoveri aliorum miſeriis: alterum etiam ſapientis, ſi quid ad te privatim jacturæ perveniat, ſcire adhibere ea ſolatia, quæ ad continendum animum in officio, apta eſſe videantur. Itaque ego,

ego, etſi mea ſponte non admodum imbecillus, tuo tamen hortatu atque exemplo fortior factus ſum: nam me quidem non tam privatæ meæ difficultates movebant, (quæ, quanquam multæ, & magnæ, tamen non tam acerbæ, quia graves: quam tolerabiles, quia non novæ videbantur) quam tot innocentium atque amiciſſimorum hominum exitiis, tanta Latini penè nominis internecione, perturbabar. Præſertim cum & is Pontifex in crudeliſſimorum hoſtium veniſſet poteſtatem, quem ego ſumme amarem; & ea urbs oppreſſa eſſet ac direpta, a qua ego eſſem & fortunæ meæ ſubſidia, & artium optimarum ornamenta (ſi qua modo ſunt in me) omnia conſecutus: quo etiam difficilior mihi erat ad conſolandum ratio, quam fuerit tibi. Tu enim quibus auxiliis ſummæ virtutis, & prudentiæ, ad confirmandum animum uſus es: ea ipſe domo, atque abs te ipſo attuliſti. Ego quæ ſolatia meo dolori adhibere cogito, ea ab urbe illa ipſa accepi, cujus cauſa mihi maxime dolendum eſt: ut idem mihi doloris monumentum ſit, quod debeat eſſe levatio. Itaque illæ ipſæ literæ, quas tu proponis nobis, & quarum certe nos ope & auxilio plurimum uti cogitamus, plane hærent in ancipiti & conturbatæ ſunt. Si adſunt mihi, metuunt ne ingratæ ſint in illam urbem, unde ſunt profectæ: ſi deſunt, ne parum functæ officio videantur. Sed, quomodo nunc ſe res habet, conſoletur nos profecto tum ratio ipſa, tum earum rerum, quæ poſtea ſecutæ ſunt vis ac natura: Pontifice jam liberato ex impiorum manibus, urbe Roma reviviſcente, arbore ea, quæ exciſa fuerat, tanquam ab radicibus, de-

 in te-

integro fruticante: niſi graviter pertimeſcerem, idque videre jam viderer, ex tantis, & tam acerbis calamitatibus, quas per tot annos Italia paſſa eſt, gradum potius aliquem ad futura mala jactum eſſe, quam præteritis cumulum adjectum. Quod ſi tu aliter ſentis, habeſque in alteram partem quod potius ſequare; quæſo me hoc metu quam primum libera. Dices: quid ergo? etiam ſi hæc ita futura ſint, idcirco ne angoribus dedere nos debemus? Minime hercule iſtud quidem: neque enim eſt fortis viri pendere ex alienis eventibus. Sed tamen φιλανθρωπία quædam eſt, quæ nos afficit, cogitque, ut vultum ex vultu; ſic animum ex animis neceſſariorum noſtrorum immutare. Quantum autem mihi & tibi cum Latio ſit, quantum cum Italia, quam arctum denique cum ipſa urbe Roma vinculum intercedat, non ſolum conjunctionis, ſed ſanctiſſimæ cujuſdam quaſi neceſſitatis, magis perſpicuum eſt, quam ut commemoratione egere videatur. Quapropter, ut hanc orationem totam jam concludam, & ita fero fortiter communes miſerias, ut non obliviſcar humanitatis: & ſic doleo aliorum vicem, ut putem mihi nequaquam propterea ab animi conſtantia deſciſcendum eſſe. Confugio igitur, te eodem hortante & ſuadente, ad literas, quarum nimium jam diu commercio & aſſiduitate conſuetudinis carui. Quo quidem ipſo fit, ut tibi nihil poſſim ex eo genere in præſentia mittere, quod lectione dignum ſit: dies fortaſſe aliquid adferet; & meæ ſpes, commentationeſque non ſemper abibunt irritæ. Sed abs te, quem librum Urbinatem te ſcribis confeciſſe, eum ego avide expeto;

peto. Recordor enim primo illo fœtu cum eum recens peperiſſes, quantopere mihi is liber arriſerit: quam mihi mire placuerit & elegantia in eo ſermonis, & copia, & gravitas ipſa, ac prudentia. Quæ cum ego tum plena jam & perfecta eſſe arbitrarer: tu tamen homo lynceus, & acutius cernens, quam cæteri omnes, perſpiciebas animo quiddam præſtantius, quo nos ne cogitatione quidem aſpirare poſſemus. Ita multorum annorum mora & lima, & venuſtatem illi ac dignitatem, & nobis deſiderium legendi auxit. Quod ſi certos nactus fueris, qui deferant, (nam ut non tuto committas, minime poſtulandum eſt) gratiſſimum mihi feceris, ſi eum mihi quam primum miſeris. De Bino meo, quod iſta in illum voluntate es, & lætor, & habeo gratiam. Scripſi ego ad eum ſtatim acceptis tuis literis: ſed ita acciderat, ut cum eæ menſe Decembri datæ eſſent, mihi Martio denique redderentur: quo tempore ille Venetiis jam exceſſerat, & ad Pontificem erat profectus. Ubicunque is erit, tamen magno illi honori & emolumento ſemper erit, tum domus tua ac familiaritas: tum apud cæteros autoritas & commendatio. Quod quidem eo cupidius manere illi ſalvum apud te opto, quod duriore adhuc fortuna conflictatus exitum ſuorum conſiliorum etiam nunc nullum videt. Nos hic vivimus in fortuna tenui, de reliquo ſat contenti. Nam & amœnis in locis ſumus, & in amore omnibus: quodque cunctorum maximum eſt, quæcunque pacem & tranquillitatem animi turbare poſſunt, omnia penitus ex animo ipſo ejecimus atque expulimus. Itaque nullam jam cogitamus, niſi cum philoſophia habere rationem: quo in genere

nere ut alias ſcripſimus, te adjutore potiſſimum & duce uti meditamur. Egidium Cardinalem minus commodè valere mihi valde moleſtum eſt. Amo enim hominem majorem in modum. Nam cum omni eximia virtute & humanitate prœditus eſt: tum & mihi, & tibi ſemper fuit amiciſſimus. In tanta autem penuria noſtri temporis virorum talium, & amandus & colendus a nobis prœcipuè eſt. Ei ut plurimam dicas meis verbis ſalutem, itemque nuncies, ad eum me ſcripturum fuiſſe, niſi valetudini ejus parcendum eſſe duxiſſem, vehementer te rogo. Vale mi chariſſime & ſuaviſſime Bembe, noſque ut facis dilige, communibuſque amicis ſalutem a nobis dic. Vale Carpentoracti, prid. Id. Majas M.D.XXVIII.

EPISTOLA LXXXII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni (a) S. P. D.

Quæ de eo a Paulo nepote cognoverit, narrat, & de ſuorum ſtudiorum ratione agit.

PAulus ad nos reverſus, ſimul ut in me incidit, ipſo primo aſpectu & colloquio, ſtatim interrogatus a me nunquid Lugduni tecum eſſet congreſſus, & te, quod tantopere cupiebat, convenire potuiſſet: ego vero & con-

(a) Conſule quæ de Fregoſio habentur in notis ad Sadoleti vitam pag. IX. nec non Ciacc. tom. 3. col. 665.

conveni hominem,& multum cum eo ut eſſem, valde mihi ex ſententia contigit; neque arbitror, inquit, alios dies mihi in vita illuxiſſe jucundiores, quam hos, quibus frui tanta virtute atque humanitate fuit licitum. Tum multa de te, de moribus, de literis, de omni genere ſermonum, conſuetudinumque tuarum eſt locutus. Quæ cum ego audirem, meo perpetuo de te judicio conſentanea, non mediocriter lætabar, prædicationem veterem noſtram hujus quoque adoleſcentis aſſeveratione & teſtimonio confirmari. Qui (quod mihi credas velim) non paulò eſt, quam uſus ferat, & quam ætas illa poſtulet prudentior. Sed cum neque ille laudandi & prædicandi, neque ego percontandi finem facerem, is dies in ſermonibus de te nobis totus conſumptus eſt. Non enim ſatiari poteramus, cum quem ego amorem erga te diuturnum jam dudum & ſtabilem conſervarem, ille eo recente flagraret. Quod mihi quoque accidiſſe recordabar primis illis temporibus amicitiæ noſtræ, ac familiaritatis: quibus ita eram ſtudio tui, propter tuas eximias & maximas virtutes incenſus, ut tum demum conquieſcerem animo, cum tecum eſſem: neque aliud tempus ullum gratum mihi atque optatum accideret. Eiſdem nunc veſtigiis Paulus ingreſſus, ab eadem virtute tua, quæ me cepit, ipſe quoque arreptus eſt: ut in amore tui & obſervantia habiturus ſis poſthac non hominem unum ex noſtra familia, ſed familiam cunctam. Sed quod tu aliis occupationibus impeditus, quemadmodum conſtitueras, in hæc loca venire nequiveris: mihi (ut vere fatear) valde moleſtum eſt. Jam enim præceperam animo fru-

ctum

ctum eximiæ cujuſdam voluptatis, quem in te videndo & amplectendo percepturus eſſem. Tum autem erat multarum rerum, conſiliorum etiam multorum, inter nos communicatio facienda: in quibus & tu ſententiam meam penitus cognoviſſes, & ego tuam exquiſiſſem. Ita parati uterque noſtrum (ſicut ego opinor) ut uter conſilium attuliſſet melius, id ambobus ratum eſſet. Accidit autem ejuſdem fortunæ iniquitate, quæ me ſemper eludere conata eſt, ut me hæc quoque expectatio ſummæ jucunditatis fruſtraretur. Quod ſi me procuratio Eccleſiæ, & διοικήσεως meæ non tenuiſſet, quam hoc tempore obire more majorum & explorare eſt neceſſe: nulla res mihi fuiſſet tanti, ut non ad te ſubito convolarem: quod tamen ſum, die quidem incerta etiam nunc, ſed tamen aliqua facturus. Nam & longo intervallo te reviſere perquam opto: & quo propiores ſumus, hoc te careo ægrius: cui noſtræ ægritudini tuo aſpectu & colloquio ſubveniendum omnino eſt. Quibus autem de rebus ego cogitaram ſermones inter nos conferri oportere: eæ res partim ad Rempublicam, & ad temporum horum naturam conditionemque pertinent (quod genus cum non ſatis tuto literis committatur, prætermittere totum eſt ſatius) partim in ratione traducendæ vitæ, & in omni genere ſtudiorum literarumque verſantur. De quibus & communicare inter nos etiam abſentes, & crebro epiſtolas mittere licebit. Quanquam in hoc genere quidem, & meorum conſiliorum rationes Paulus ad te pertulit: & de tuis mecum viciſſim eſt locutus. Atque ut perſpicio, haud fere diſſentimus. Nam quod tu Hebræas, ego potius Græ-

eas ſecutus ſum literas : idem eſt ſpectatum ab utroque noſtrum . Quid enim intereſt qua quiſque ſemita, dum eo tamen perveniat, quo veniendum eſt ? Sane ſolum in eo parvula ineſt diſſenſio, quod tu ita ſacras literas videris eſſe amplexus, ut alias omnes rejeceris, & ſepoſueris : ego ſic ad eaſdem propero atque contendo , ut tamen aliarum comitatu velim accedere inſtructior . Sic enim intelligo, (quod idem omnibus patere arbitror) ut in hiſce militaribus & bellicis ſtudiis, quo quis fortior eſt vir, & imperatori ſuo acceptior : hoc armis & equis, & omni militiæ inſtrumento magis curat ut ſit inſtructus : ſic nobis in hac cœleſti militia ſummo omnium Regi & Imperatori Deo noſmetipſos exercentibus. nullum externum ornamentum , quod huic ſtudio non officiat, eſſe repudiandum . Sed de his, ut etiam dixi, & ſcribam ad te accuratius, cum ſenſum tuum omnem ex literis tuis cognoro, & ut ad nos planius ipſe omnia perſcribas vehementer a te poſtulo. Illud conſtare debet utrique noſtrum, quod convelli nullo modo poteſt : in omni genere ſcriptorum, ſtudiorumque noſtrorum, Latinam linguam præcipue a nobis excolendam eſſe, qua nec gravior ulla eſt, nec præclarior : præterquam quod nobis ab eis viris majoribus noſtris tradita eſt, quorum admirabilis incredibiliſque ſapientiæ neminem poteſt omnino pœnitere, in qua quidem ego, cum ſpero te atque opto una cum cæteris artibus optimis, quibus mirifice deditus es, aſſidue verſari, tum ego certe verſor : hoc etiam commodius, quod tuæ bibliothecæ gratiſſimo mihi munere copioſior factus ſum. Pro quo ago equidem tibi

tibi gratias: ſed eas referre mallem quam agere: cui rei occaſionem aliquam aliquando dies allatura eſt. Tu ut valetudinem tuam diligenter conſerves, noſqve quod facis, ames: & te a nobis plurimum amari ſcias, etſi petere videtur eſſe ſupervacaneum, tamen abs te peto. Vale. Carpent. Idib. Maiis, M.D.XXVIII.

EPISTOLA LXXXIII.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni S. P. D.

Ejus litteris reſpondens, ægre fert illum Lugduno diſceſſiſſe, eundemque ad ſumma quæque hortatur.

QUod cognovi ex literis tuis te valere recte, memoriamque mei abſentis & benevolentiam conſervare, eo valde lætatus ſum. Quod vero in eiſdem literis erat adſcriptum, te proficiſcentem Lugduno illas ad me dediſſe, id mihi nonnullam afferebat moleſtiam. Non enim poſſum non cum aliquo morſu doloris ferre, te cui ego uni omnium hominum cupio eſſe conjunctiſſimus, disjungi etiam magis a me, & ad remotiores regredi terras: cum ego te abeuntem, quem corde & animo amantiſſimo proſequor, pedibus conſequi non poſſim. Nec videre mihi videor interdum, quid me retineat: cum multa tamen impediunt, quibus a ſpe propinqua videndi & conveniendi tui ſum excluſus. Sed quod corpore non poſſum, id amore equidem & co-

& cogitatione facio, ut tecum ſim: neque hora ulla a contemplatione tui abſentis mihi præterit vacua. Quod ſi liceret una eſſe, ut ego te ad præclara illa ſtudia, quibus aliquando ſimul fuimus dediti, excitarem? ut te non paterer ſive diffidentia quadam, ſive aliarum potius occupationum concurſu, a ſpe præſtantiſſimarum rerum relangueſcere? Etenim viſus ſum perſpicere tuis ex literis ſententiam quandam ejusmodi tuam, quaſi tu mediocritate contentus ſis. Quod ſane nollem: ita enim natura factus es, ita inſtitutus, ut ſumma ac prima magis ſpectare debeas. Atque ego, qui te adhortor, non is ſum tamen, qui autoritate multum valeam: aut qui ſciam mihi id capere conſilii, cujus tibi ſum autor: quippe qui vel negligentia naturæ, vel imbecillitate quadam animi, quotidie multa conſtituens, nihil audeam aggredi. Verum non qui ego ſim, ſed qui tu eſſe poſſis, tibi eſt cogitandum. Quod ſi tempora impedimento ſunt, rerumque tuarum rationes ita te implicatum cum multis retinent, ut conſervandi officii cauſa neceſſe ſit, & ſæpe te, & a multis perturbari: ſuſtineat hanc etiam fortuna, cum plurimis aliis peccatis, iniquitatis ſuæ culpam. Nos autem id demus operam, de quo eſt in tuis literis præclariſſimè ſcriptum, ut quotidie efficiamur meliores. Et eſt hæc una tamen omnium maxima præſtantiſſimaque doctrina, quam non Platoni, neque Ariſtoteli, ſed omnium doctori & creatori Deo acceptàm ferimus. Nam de ratione ſcribendi, utrum Latine inter nos oporteat, an ſecus, liberum ſit utrique noſtrum. Ego tuis literis, cujuſcemodi illæ fuerint, conten-

tentum me fore confiteor : modo accipiam crebrius . In quo peto a te, ut non invideas hanc exoptatam voluptatem expectationi meæ . Nihil enim mihi poteſt eſſe jucundius , quam de te crebro , & ex te ipſo cognoſcere . Quoquidem in munere ego tibi præibo, ut tu me imiteris : ſæpiuſque ad te ſcribam , ut eliciam tuas . Paulus in ſtudiis remiſſior nunc quidem eſt : quem ego languorem libenter aſcribo tempori . Nihil enim eſt , quod nolim potius exiſtimare in cauſa eſſe , quam naturam , aut voluntatem adoleſcentis : qui ſi quo incredibili ingenio eſt præditus , totum intendere ad optimas artes amplectendas voluerit, næ ille non ſolum nobis , qui propinquiores ſumus , ſed alienioribus etiam magno futurus eſt ornamento . Nos ambo valemus , teque valere plurimum optamus , & benevolentiam noſtri conſervare , ſicuti a nobis quidem ſumma ea cum fide & conſtantia erga te conſervatur . Vale . Carpent. XV. Cal. Auguſti , M. D. XXVIII.

EPISTOLA LXXXIV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Antonio Prato, Epiſcopo Senonenſi, S.R.E. Cardinali S. P. D. (a)

Cauſam affert temporum moleſtias rerumque ſuarum calamitates ac perturbationes, quibus tamdiu intermiſerit officium litterarum, cum eoque de adepta dignitate gratulatur.

QUO tempore Romam a ſummo Pontifice ex mea Eccleſia evocatus acceſſeram, ea conditione eram profectus, ut conſtitutis rebus mei muneris (eram enim illi a conſiliis, ut tu ſcis) liceret mihi ad meam Ec-

(a) Hic in Arvernis in Gallia apud Iſſiodorum anno 1468. ortus, humanioribuſque litteris excultus, ad Juris ſtudium animum appulit. Inde ampliſſimis perfunctus muneribus ſub Ludovico XII. & Franciſco I. Galliæ regibus, Franciſcam Vaynam de Arbous duxit uxorem, ex qua plures extulit liberos generi monumentum & ſibi, inter quos Guillelmus Abbas S. Joannis de Moſa Epiſcopus Claromontenſis in Concilio Tridentino claruit. Uxore orbatus ad Eccleſiaſticum Ordinem ſeſe convertit. Ac primo quidem Abbas Floriaci & Epiſcopus Albienſis deſignatus, deinde Meldenſis Archiepiſcopus, indeque ad Senonenſem Cathedram admiſſus, tandem x. Cal. Novemb. an. 1527. abſens, a Clemente VII. Franciſci Galliæ regis, & Ludovicæ de Sabaudia rogatu, in ſacrum Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus eſt. Præter acta Synodi Senonenſis quarto Conciliorum tomo inſerta, ſcripſit Pratus orationes aliquot, inter quas eſt illa,

Eccleſiam reverti, & in ea diu jam debitum, & nuper inchoatum Deo omnipotenti famulatum impendere. Quod & poſtea feci optima Pontificis voluntate, ita apto tempore atque opportuno, ut facilè appareret juſta & recta cupientibus libenter Deum opem ferre. Viginti enim diebus ipſis ante ſum elapſus, quam illa clades, horribiliſque calamitas urbi Romæ incideret. Qua etſi meæ quoque fortunæ omnes diſſipatæ fuerint; ſalus tamen mea, & libertas mihi incolumis retenta eſt. Mea igitur cauſa dolendum mihi non fuit: neque enim admodum ſum jactura rei familiaris commotus, alienam autem vicem quin dolerem humanitatis cauſa facere non potui. Gravi itaque mœrore & acerbiſſimis animi angoribus ex multorum mihi amiciſſimorum, ac ſummi præcipue Pontificis incommodis fui affectus: quem ego (Deum immortalem conteſtans) virum bonum, eundemque prudentem paciſque imprimis amantem eſſe ſemper cognovi: verum aliquorum minime prudentium conſiliis parum felicem. Sed mihi ad meam eccleſiam jam reverſo tua amplitudo propoſita imprimis fuit. Arbitrabar enim mei officii eſſe, meæque perpetuæ erga te obſervantiæ, aliquid ad te ſcribere, ex quo & mea fidelis tuorum erga me meritorum memoria, & maximarum clariſſimarumque virtutum tua-

illa, quam an. 1515. Bononiæ habuit coram Leone X. Pont. Max. & Franciſco rege Galliarum. Obiit in caſtro ſuo quod extruxerat, Nantoulliaco VI. Idus Julii an. 1535. ætatis ſuæ LXXVII. Vide Sammarthan. in Gallia Chriſt. tom. I. pag. 649. edit. veter. & Ciaccon. tom. 3. col. 492.

tuarum admiratio tibi ſignificaretur: egoque quod diu ante cupiebam, amplificatæ dignitati tuæ gratularer: cujus ipſe quoque pro virili mea parte, ſi non adjutor (tua enim ſumma & præſtabilis virtus atque autoritas meo adjumento non egebat) at certe conſcius, & diligens miniſter extitiſſem. Accidit autem propter mea plurima incommoda, maximaſque omnium rerum difficultates, ut ab hoc ſcribendi officio uſque ad hunc diem fuerim retardatus. Gratulor igitur tibi, vereque & ex animo gratulor, quod hunc iſtum ampliſſimi ſacerdotii honorem ita es adeptus, non ut gratiæ ille datus, ſed ut virtuti tributus fuiſſe videatur: ut in eo non favor, ſed meritum: non muneris, ſed præmii ratio, non voluntas dantis, ſed accipientis dignitas fuerit ſpectata. Qui quidem honor in te collatus, mihi ipſe honeſtior atque inſignior multo videtur eſſe factus. Nam quod ad honorem ipſum attinet, multi ſæpe indigni illum obtinuerunt. Sed habere uſum rerum maximarum, fugere infamias & turpitudines, abſtinere alienis, juſtitiam colere, negotiorum maximorum & curarum altiſſimarum autorem eſſe ſapientem, ingenio, integritate, doctrinaque præſtare, veri hi honores, vera ornamenta ſunt. Quæ cum in te mea ſententia permaxima ſint, magis honori ipſi propter te, quam tibi propter honorem ducimus gratulandum. Ille enim indicare tantummodo habet ejus hominis, in quem collatus eſt, virtutem & dignitatem, in quo fallere ſæpe eſt ſolitus. Tu vero effeciſti, non ut nunc demum vere indicet, ſed ut plus in te etiam præſtare, quam in aliis promittere poſſe videa-

deatur . Sed hæc clariora , quam ut multa egeant prædicatione , parcius attingenda ſunt. Tantum a Deo immortali eſt poſtulandum , ut tibi iſtum honorem fortunet , & perpetuæ felicitati jubeat eſſe : quod nos ſumma cum benevolentia & amore erga te eundem ipſum Deum ſupplices deprecamur . De me autem ipſo hoc tibi habeo dicere ; cum tua erga me vetuſta merita grata mihi recordatione in animo ſemper verſentur , non poſſe me oblivifci quantum tibi debeam . Itaque laboro dies ac noctes , ut aliquo modo poſſim in te videri gratus . Et quoniam cæterarum facultatem rerum fortuna mihi ademit , illud quod proprium eſt mihi ab Deo omnipotenti donum , quod ego ſacris literis & præſtantiſſimis diſciplinis apprime deditus, colere ſcribendo nonnihil poſſum hominum de me & de ipſa virtute benemeritorum memoriam : totum tuæ laudi & amplitudini defero . Etenim hanc voluntatem meam ſi non fueris aſpernatus , dabitur aliquando nobis locus , ubi memorem me tuorum erga me meritorum & tu ipſe agnoſcas ; & ventura poſteritas intelligat . Vale ampliſſime patrone , & tuo patrocinio nos fovere ne deſine . Carpentor. VII. Idus Septembr. M. D. XXVIII.

EPI-

EPISTOLA LXXXV.

JACOBUS SADOLETUS

Lazaro Bonamico. (*a*)

Ejus ſibi litteras magnopere gratas acceptaſque fuiſſe ſignificat, deque ſuo eum ſtatu certiorem facit.

O Gratas tuas mihi jucundaſque literas: quæ etſi tardiſſime ad me perlatæ ſunt, (ſcriptæ enim V. Idus Majas, extremo fere Octobri mihi ſunt redditæ) (*b*) tamen quod primæ mihi de te, & de tua nihil commutata erga nos voluntate optatiſſimum nuncium attulerunt, non dici poteſt, qua a me lætitia & gratulatione fuerint acceptæ. Namque ſcito, has unas mihi abs te poſt noſtrum digreſſum ex Urbe fuiſſe redditas: perbreves illas quidem, ſed plenas officii, ſuavitatis, benevolentiæ: quibus etiam præſertim liber adjunctus fuit, & propter philoſophiam gratus, & quod a te profectus eſt, aliquanto grarior. Agnoſco enim, prædicatione tua eſſe factum, ut ille mihi honos potiſſimum haberetur. Tu enim facis tuo graviſſimo teſtimonio, ut nos aliquid eſſe videamur: cum ea ſit de tua eximia doctrina, ſingularique judi-

(a) Vide quæ de Lazaro Bonamico diximus in notis ad Epiſt. LXVI. pag.174.

(b) Hæ Bonamici ad Sadoletum litteræ minime reperiuntur.

cio apud omnes homines opinio, ut quem tu laude cohoneſtas tua, de eo non poſſit niſi honorifice & ample judicari. Agerem gratias, ſi hoc non alienum noſtra familiaritate eſſe exiſtimarem. Sed perinde ſit atque ſi eſſent actæ. Ad Franciſcum Aſulanum dedi literas, gratiſſimum mihi illius munus, multoque magis quod de me facit judicium, fuiſſe ſignificans: conaturumque me, ut referam gratiam, ſi occaſio fuerit. Quod idem illi abs te ipſo confirmari, teque meæ naturæ memoris atque gratæ, apud illum teſtem, &, ſi opus ſit, etiam ſponſorem eſſe opto. De me autem, mi ſuaviſſime Lazare, ſic habeto, nihil aliud jam mihi eſſe in optatis, quam quo pacto queam hoc, quod mihi reliquum eſt temporis, totum in optimis artibus ſtudiiſque conſumere. Multa adhuc me impeditum tenuerunt, quæ ego partim jam remiſſius curare cœpi, partim penitus abjeci; ut tandem aliquando ſolutus & liber, in hanc unam curam me conferrem. Itaque mihi ipſi non deſum: aſſiduè lego, ſcribere etiam ſum ingreſſus neſcio quid: quod quidem ſi proceſſerit ex ſententia, majore animo ad reliqua ſum perrecturus. O ſi te haberem, quos mihi ſpiritus, tuus ille dulciſſimus ſermo, & familiaris vultus excitaret? Paulus mihi in ſtudiis mirificus comes, rari alii, vel potius nulli; quanquam Avenione eſt Alciatus (a), vir omni cultiſſimus doctrina, mihique amiciſſimus: nonnulli præterea, ſed pauci: verum etiam ut jam ſint, qui mirari incipiant, & conentur idem facere. Cum Fregoſio noſtro frequens nobis ſcribendi commercium, occupa-

(a) *De Alciato* vide notas infra in Epiſt. xcv.

pationibus diſtinemur, quominus unum in locum conveniamus. Hæc quod ad doctorum hominum conſuetudines attinet. Cætera ſane jucunda & placata. Ora hæc quam incolimus ventis paulò infeſtior: cæteroquin amabilis, & imprimis amœna eſt. Nos hortos ſuburbanos ſic diligenter inſtruimus & ornamus, ut appareat, in illis ſpem omnem ocii & oblectationis noſtræ nobis eſſe repoſitam. Quos ſi aliquando viſeris, reperies Quirinalibus illis noſtris nequaquam inferiores: aquarum quidem abundantia, & ubertate pomorum etiam ſuperiores eſſe. Habes ſtatum noſtrum. Tu de tuo ut nos facias certiores, idque crebrius, magnopere a te peto. Nihil eſt enim mihi jucundius, quam & ſæpe de te audire, & loqui. Bembum, Nigrum, Michaelem, Teupulum, cæteroſque quos tute noſti eſſe amantes noſtri, jube meis verbis ſalvere quam plurimum. Et tu ſalve ac vale mi chariſſime & optatiſſime Lazare, noſque amare perſevera tui prorſus cupidiſſimos. Carpentoracti, pridie Calend. Novemb. M. D. XXVIII.

EPISTOLA LXXXVI. (a)

Des. Erasmus Roterodamus Jac. Sadoleto Epiſ. Carpentoractenſi.

Eum ac Bembum laudat. De Romanæ urbis direptione, deque bellorum tumultu dolet; ac Lutheri deliramenta deteſtatur.

QUantas calamitates hæc rerum humanarum fatalis tempeſtas ſecum defert, ornatiſſime præſul? Quid deplorabimus, aut quem conſolabimur? Quam orbis partem immunem ab hac procella videre licet? Aut quis eſt bonorum, qui non ipſe pariter egeat conſolatore? Vidimus Romam crudelius captam, quam olim fuerit a Gallis, aut poſt a Gothis. Vidimus Eccleſiæ principem Clementem inclementiſſime tractatum, & adhuc videmus duos potentiſſimos orbis Monarchas odiis immedicabilibus inter ſe diffidere, &, ſi verus eſt rumor, invicem ad monarchiam provocare. In tanto rerum fragore, male metuebamus tibi, & Bembo, in quibus præcipue, ac pene ſolis mihi videtur priſcus ille candor, & erudita pietas illibata ſupereſſe. Utriuſque dotes eximias ſemper amavi. Tuas enim non ſolum ex amicorum prædicatione, tuiſque ad nos literis cognovi, verum etiam ex abſolutiſſimo libello, quem nunc ubique vix credibili ſtudio complectuntur omnes; qui-

(a) Ex lib. XXII. Epiſt. 25. col. 1163. edit. Londinen.

quibus cordi eſt bonam mentem cum bonis literis conjungere. At Bembum impenſius tum amare, tum mirari cœpi, poſteaquam eas legi literas; quas Longolius veſtræ quondam benignitatis alumnus evulgandas curavit. Videbam quantopere referret & ſtudiorum & Chriſtianæ religionis, tales animas incolumes eſſe ex hoc incendio. Ac de Petro Bembo nondum poſuimus ſollicitudinem, incerti quid agat. Tibi vero majorem in modum gratulamur, quem numen aliquod non tibi modo, ſed optimis etiam ſtudiis ac pietati Chriſtianæ propitium, imminenti procellæ ſubduxerit, atque utinam totum ſubduxiſſet. Magnam tui partem audio periſſe, videlicet Bibliothecam utriuſque linguæ monumentis exquiſitiſſimis opulentam. Domi conjecturam facio, quam tibi gravis acciderit iſta jactura, præſertim irreparabilis. O barbariem inauditam! Quæ fuit unquam tanta Scytharum, Quadorum, Wandalorum, Hunnorum, Gothorum immanitas, ut non contenta quicquid erat opum diripere, in libros, rem ſacratiſſimam ſæviret incendio? Atque hic non tam amici vicem dolemus, quam noſtram. Nobis enim ſtudioſis omnibus ereptum eſſe ducimus, quicquid ibi periit. Quemadmodum urbis Romæ calamitas, omnium nationum calamitas fuit, quippe quæ non ſolum arx erat Chriſtianæ religionis, & ingeniorum altrix, ac muſarum, ut ita dicam, tranquilliſſimum domicilium, verum etiam omnium gentium communis mater. Quem enim illa civitas, quamvis in alio mundo natum, non placido gremio excipiebat, fovebat, educabat? Quis illic, licet ab extremo orbis angulo profectus, ſibi videbatur hoſpes? Imo quam mul-

tis illa patria ſua fuit charior, dulcior, atque etiam felicior? Aut quod ingenium tam efferum fuit, quod illa ſua conſuetudine non mitius ac manſuetius nobis remiſerit? Aut quis illic aliquandiu vixit, qui non invitus diſceſſerit, qui non ejus repetendæ datam occaſionem libenter amplexus ſit, non datam captaverit? Nimirum orbis hoc excidium erat verius, quam urbis. Tot opinionum diſſidiis labefactata nutat Chriſtiana religio. Bellonæ furor nuſquam abeſt, & in tanto tumultuum fremitu, muſæ liberaleſque diſciplinæ, aut prorſus jacent frigentque, aut conterritæ ſilent. Et perinde quaſi parum ſit heic calamitatis, adjungunt ſeſe peſtilentiæ, bulimiæ, & rerum omnium caritas. Nec in his rerum fluctibus, ullus bonæ ſpei portus aperit ſeſe: *Cœlum undique, & undique pontus*. Quanquam arbitror futurum, ut Eccleſiæ princeps Clemens in tam ſæva tempeſtate fortem & egregium nauclerum præſtet. Requirit hoc malum inſignem medicum, quem in illo nobis etiam *Medicis* cognomen polliceri videtur. Requirunt hi Monarcharum animi magnum aliquem conſultorem, qui illos nimium exacerbatos ad clementiam revocet. Et hic arridet nobis lætum omen Clementis Septimi, cujus pietati non dubito, quin adfutura ſint numinis præſidia, ſi modo Populus Chriſtianus, agnoſcens Dei manum ad vitæ correctionem invitantis, ſua ſcelera confitens, non ficto pectore confugerit ad illius miſericordiam. Alioqui verendum eſt, ne nobis eveniat, quod evenit Ægyptiis, quos remediis tam multis tamque gravibus inſanabiles, tandem unda maris abſorbuit. Hæc

Evan-

Evangelica febris, (ſic enim appellare libet) magna ex parte remittit ſeſe bonamque ſpem rediturae ſanitatis præbet. Nam quæ nunc prodit Lutherus, ejus fere generis ſunt, ut videatur παλινῳδεῖν, adeoque non placet ſuis diſcipulis, ut eum, ſi Deo placet, appellent hæreticum, affirmantes illum Evangelico ſpiritu deſtitutum, humano ſpiritu delirare. Nec pauci cives, imo civitates reſipiſcunt. At veror ne per quoſdam recrudeſcat morbus. Per quos inquies? Per eoſdem, quorum ſiniſtris conſiliis, & veſanis clamoribus, malum hoc & ortum eſt, & hucuſque progreſſum (*a*). Victoriam autem Chriſto debitam

---

(a) Eraſmus cum ſæpe alias, tum hoc etiam loco immerito quidem videtur carpere, atque inſectari Theologos Scholaſticos Monachos, ac præſertim FF. ex S. Dominici familia, qui quum eſſent Fidei Quæſitores, atro carbone notarunt complurium Seculi XVI. Grammaticorum, hac quidem arte inſignium, ſed Theologiæ plane rudium libros, in quibus multa dictitabantur, quæ novitatem ſaperent, atque a doctrina more inſtitutoque majorum recepta longe lateque diſcreparent. Joannem Reuchlinum, Capnio vulgo appellatum, acriter ſane Eraſmus defendit. At Reuchlini, literis certe præſtantiſſimi, ſed in re Theologica, haud ſatis exculti librum inſcriptum *Speculum oculare*, facultates Colonienſis, Pariſienſis, Lovanienſis, Erphordienſis, & Moguntina proſcripſerunt, atque Generalis Tridentina Synodus opera damnavit. Eraſmus profecto Grammaticus fuit ſuis omnibus numeris abſolutus; quantus vero eſſet in Theologica facultate, ipſemet in Epiſtola ad Albertum Pium Principem Carpenſem data, quæ eſt ordine CCCXXXIII. fatetur his verbis. *Si me venditarem pro magno Theologo aut Philoſopho, merito mibi de-*

ad ſe rapere moliuntur, nec ſatis magnificum triumphum exiſtimant, niſi non ſolum hæreſes proſtratas videant, ſed & bonas literas proculcarint. Siquidem earum cultores aliquanto vehementius impetunt, quam ipſos hæreſiarchas. Sed adverſus horum inſolentiam, confido ſummi Pontificis, Epiſcoporum, ac Principum æquitatem bonis ac doctis viris auxilio futuram. Bene vale. Baſileæ Calendis Octobris, anno M. D. XXVIII.

---

trahet aliquis Leonis exuvium. Linguarum autem peritia, etſi per ſe utilis apprime ſit, attamen abſque Theologiæ ſtudio poteſt aliquando perniciei eſſe, iis præſertim qui nimium ingenio tribuentes ſuo, falcem, ut eſt in adagio, audent injicere in meſſem alienam, deque receptis in Eccleſia ritibus, inſtitutis, moribus, judicium ferre; quemadmodum Eraſmo contigiſſe, vidimus in notis ad Sadoleti vitam pag. LXXIII, & ſeqq.

EPI-

EPISTOLA LXXXVII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Des. Eraſmo Roterodamo
S. P. D.

Ejus litteris officioſe reſpondet.

ACcepi tuas literas, Baſileâ Calen. Octobris datas, in quibus erat manu tua aſcriptum, alteras te eodem exemplo ante dediſſe: quas non acceperam. Sed & hæ tardius huc allatæ ſunt: medio enim Novembri mihi ſunt redditæ: quas habui, mi Eraſme doctiſſime, omni ratione gratiſſimas. Nam & effigiem tuæ eximiæ virtutis, ſummæque humanitatis, mihi ante oculos totam poſuerunt, quam ego ſemper ſoleo & mirari, & amare: & tuæ erga me ſingularis benevolentiæ fuerunt mihi fideliſſimæ teſtes. Quod enim tantam de ſalute mea curam ſuſceperis; atque uſque eo fueris ſollicitus, quoad habueris certum, quid de me factum eſſet: meque in his locis conſtitiſſe cognoveris: amici nimirum animi, & egregie benevoli, hæc magna eſt ſignificatio, in qua ne vivam mi Eraſme ſi tibi concedo, ut in amando me ſis ſuperior. Multa equidem quæ in te ſunt, atque haud ſcio an multo plura quam in quoquam alio, dilexi ſemper & admiratus ſum, ingenium, eruditionem, copiam: atque illud imprimis, quod tu iſta tanta doctrinæ ornamenta ad pietatis ſtudium, & ad Chriſti celebrandum nomen contuliſſes. Huic verò

tuo tanto in meipſum amori, etſi animo ac benevolentia ſum par, verbis tamen & literis ſatisfacere non poſſum. Dum enim avidè cupio exprimere quam me tibi devinctum putem, mihi nec ſtylus, nec oratio ſuppetit: quod tu per te melius poteris exiſtimare. Sanè, quod ad me attinet, admirabili Dei beneficio ſalus mihi tum & incolumitas eſt inventa, cum viginti diebus ipſis ante miſerrimum caſum Romæ, ex urbe illa exivi, iter habens ad Eccleſiam meam, & in ea reſidere, quod reliquum eſſet vitæ, conſtituens: quo quidem voto jam antea Deo eram obſtrictus. Nec verò dubito, quin recta & grata Deo hæc voluntas, cauſa meæ incolumitatis extiterit. Nam mea reliqua ejuſmodi ſunt, ut mihi illius magis miſericordia ſit opus. Sed quo ego minus meritus ſum, hoc ſummi ejuſdem Dei clementiæ & benignitati major a me debetur gratia. Meas quidem fortunas omneis, acerba mihi urbis fortuna eripuit. In his ipſam bibliothecam, quam ego Græcis & Latinis libris magna diligentia undique comparatis, referſeram: quæ omnium fuit, ut & tu exiſtimas, & ipſe ſentio, jactura graviſſima. Sed tamen omnia in partem bonam accipienda ſunt. De Bembo meo nihil eſt quod labores. Is, vivo etiam tum Leone, morbo coactus, cœli mutandi cauſa, contulit ſe Patavium: ibidemque conſedit, & nunc quoque commoratur, totus literis & ſtudiis deditus, omnemque habens cum Muſis rationem: quem ego arbitror pangere profecto aliquid, quod ipſi laudi futurum ſit, cæteris non mediocri voluptati. Urbis Romæ caſum, quem pluribus defles, non alterius arbitror eloquentia

digne

digne poſſe deplorari, quam tua. Incredibile eſt, quantum calamitatis & damni, ex illius urbis ruina, omni humano generi invectum ſit. In qua etſi vitia quoque nonnulla inerant, maximam tamen multo partem dominabatur virtus: domicilium certè humanitatis, hoſpitalitatis, comitatis, omniſque prudentiæ civitas illa ſemper fuit: cujus excidio, ſi qui, ut ſcribis, lætati ſunt; ii non homines, ſed feræ potius immanes ſunt exiſtimandi. Quanquam hoc paucis uſu arbitror contigiſſe, ut aut non doluerint nobiliſſimæ omnium & multo præſtantiſſimæ urbis clade, aut ſi furore quodam uſque eo debacchati ſint, ut hoc illi exitii malique optaverint, nunc ſaturatis odiis non aliqua furoris ſui pœnitentia, & viciſſitudine rerum humanarum moveantur. Sed de his viderit Deus. Quos tu quod ſcribis, reſipiſcere jam cœpiſſe, cupio equidem ut ita ſit: idque precari Deum non deſinam: non enim odi illos, quin eos reverti ad ſanitatem opto: ſed tamen Deus viderit. Ego quod te habeo ſocium hujus doloris, neque parum ex eo me conſolor & de tua optima mente atque natura egregium judicium facio. Quod utinam pacis & concordiæ communis aliqua aliquando ratio habeatur: quo melius conſolari noſmetipſos, & rectè ſperare de omni republica poſſimus. Nunc & tu prudentiſſimè ſcribis, & ego intelligo, omni hac ſpe (niſi Deo aliter ſtatutum ſit) penitus ſublata, nihil neque bonis literis loci, neque ſtudiis pietatis, relictum iri. Nec tamen propterea deficere animo, aut defatigari debemus, quin cuncti, qui artibus optimis imbuti & inſtituti ſumus,

ſubveniamus pro ſua quiſque parte huic tanto damno, communique jacturæ: & in libris navemus pacis & pietatis opera, ſi minus in republica & in cœtu hominum poſſumus, in qua quidem actione & ego elaboro, & te video tantam jam laudem conſecutum eſſe, ut non modo aſſequi te, ſed vix imitari quiſquam confidat: Nam quæ nos multo cum labore, longo tempore rudia tamen & imperfecta facimus, tu nullo negotio breviſſimo in tempore, planè expolita abſolutaque lucubraris: ut jam non in te curæ ſit, ſed naturæ, orationis ille nitor, & verborum ſententiarumque incredibilis ubertas. Quo etiam minimè mirum tibi videri debet, multos eſſe obtrectatores tuæ laudis, & invidos: eſt enim edita in altum laus tua, neque omnes ejuſmodi, ut magis eos virtus ad amorem, quam celebritas famæ ad malevolentiam adducat. Qui tamen abs te contemnendi & nihili faciendi ſunt; non enim digni ſunt, quorum vel habeatur mentio. Ego ſicut & amor erga me tuus, meuſque viciſſim erga te, & mea natura, & inprimis officium amicitiæ poſtulat, ſemper futurus ſum, & tuarum clariſſimarum virtutum fautor, & dignitatis ac nominis præcipuus amator. Vale. XII. Cal. Decembris, M.D.XXVIII. Carpentoracti.

EPI.

EPISTOLA LXXXVIII.

JACOBUS SADOLETUS EPISCOP. CARPENT.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni S. P. D. (a)

Dedicatio interpretationis in Pſalmum XCIII.

QUod diu ac multum optaveram, Federice Fregoſi, ut mihi exſoluto Reipublicæ curis, & eis occupationibus, quæ me nimirum diu in Romana aula apud ſummos Pontifices diſtrictum tenuerunt, aliquando liceret in otio eſſe, & ſacrarum litterarum, omniumque artium optimarum ſtudio, ac vera delectatione perfrui; id nunc demum Dei immortalis beneficio prope ſingulari, videor conſequutus: atque cujuſmodi divina dona eſſe ſolent, nihil ferme habeo amplius, quod requiram. Nam cum in his locis conſtitutus ſum, in quibus me maxime eſſe convenit, vel officii Deo præſtandi gratia, vel pacis & tranquillitatis in animo retinendæ; in Eccleſia mea videlicet, quam mihi cœleſtibus nuptiis copulatam, omni a me ope ac ſtudio curari & confoveri eſt debitum: tum vero cetera cum mea iſta voluntate ſic omnia conſenſerunt, ut facile appareat, non ſolum integrorum atque innocentium, ſed eorum etiam, qui labe aliqua

(a) De Fregoſio egimus in notis ad Sadoleti vitam pag. IX.

aliqua peccati infecti ſunt, quorum de numero ipſi ſumus, pie tamen in eo ſpes ſuas collocantium, ſalutem & libertatem Deo eſſe curæ. Quamquam quod ad ipſius Dei infinitam atque immenſam bonitatem pertinet, major noſtra eſſet debet, quam ut huic orationi & tempori conveniat, prædicatio. De hominibus aliquid dicendum eſt, quorum mihi ad otium, & litteras properanti, benignitas ſimul & juſtitia eſt ſuffragata. Quorum equidem nomen atque memoriam grata recordatione ſemper proſequar. Nam quum Romæ (ut tute ſcis) interioribus conſiliis a Clemente VII. Pont. Max. adhibitus, ſummam illius erga me humanitatem, ſummam benevolentiam obtinerem, meamque ille imprimis fidem operamque probaret; tamen quod diu ante intellexerat, me ad hoc otium, & ſolius jam Dei ſervitutem aſpirare ut vidit, ceteris honoribus præmiiſque poſthabitis, quæ mihi ab eo multa parata erant, in ſententia nihilominus permanentem, non eſt ad extremum voluntati meæ adverſatus, precibuſque conceſſit, ægre ille quidem, amorem ut cognoſceres, ſed conceſſit tamen. Atque ut eſt incredibili quadam animi moderatione præditus, qua omnes ſuas appetitiones, omnia deſideria ſub leges æquitatis & temperantiæ redacta eſſe vult, maluit ſe opportunitate operæ meæ, quam me optato eventu conſilii mei carere: cujus ego etiam nunc benevolentia & liberalitate ſic fruor, ut patris in eo indulgentiam, cum maximi principis juſtitia ac providentia quotidie abſens experiar. Reſtabat altera moleſtia, & alterum meæ quieti impedimentum allatum, quod vetuſtis qui-

buſdam agris atque fundis, nova nonnullorum injuria ac violentia meæ Eccleſiæ ereptis, id quod maxime a meis moribus abhorret, ire mihi in litem tamen fuerat neceſſe. Quæ quum in Senatu Toloſano cauſſa ageretur, remque adverſarii variis calumniis extraherent, non eſt paſſum diutius illud graviſſimum ſapientiſſimumque conſilium, veritate cauſſæ perſpecta, me meo jure, Eccleſiam ſuis poſſeſſionibus fraudari: fidemque ſuam in inſignem juſtitiam, quam omnibus paratam exhibet, mihi quoque illam imploranti, haud gravate præſtitit. Quapropter ego his tot Dei & hominum beneficiis, pacem animi jam & otium adeptus, ingratus plane eſſem, ſi non reliquum tempus vitæ, quod ſupereſt, in agendis Deo omnipotenti gratiis, & in hominum bene de me meritorum memoria ac laude recolenda, omne conſumerem: nec ad eas converterer potiſſimum actiones, per quas gregi meo primum, & populis meæ fidei creditis, deinde ceteris omnibus, qui hæc modo expetenda ducunt, aliqua ex meis ſtudiis atque vigiliis utilitas pararetur. Quæ ut cunctis abundantior venire poſſit, egoque in eo præcipue elaborem, quod & mihi honeſtiſſimum, & reliquis poſſit eſſe fructuoſiſſimum, ad meditandas atque explanandas ſcripturas ſanctas ſum converſus; in eis enim maxime fontes illi cœleſtes ſcatere non deſinunt, e quibus quantum unuſquiſque vult, tantum ad cognitionem Dei atque ſui, & ad beatam ſibi vitam alendam atque irrigandam poteſt derivare. Igitur quum ſuperioribus proximis diebus Commentarium in Pſalmum XCIII. confeciſſem, quumque jam edere ac vulgare opportunum

tunum viſum eſſet, ſtatui, Federice Fregoſi, noſtra inſigni amicitia, & vetuſta familiaritate dignum tibi hujus lucubrationis opus, & tamquam otii noſtri primitias deferre. Novi enim te in his ſacrarum litterarum ſtudiis ita intentum dies & noctes, ut alium cultum vitæ ſine his nullum eſſe ducas. Mihi porro ex eo tempore quo Romæ manſimus una velut unanimes, eodem convictu, domicilio, ſtudiiſque conjuncti; annis ab hinc, ſi recte recordor, ferme ſeptemdecim; ita inhæſit in animo tuarum præſtantiſſimarum virtutum admiratio, & jucundiſſimæ conſuetudinis memoria, ut quamquam poſtea uſus noſter multa varietate temporum interruptus, & intervallis locorum etiam diſtractus fuerit, manſerit tamen idem amor, & a mea parte caſte integreque ſervatus, & ab tua ſignis jam pluribus declaratus. In quo ego etſi plures & graviores cauſſas ſemper habui colendi & complectendi tui, quod excellentem tuam virtutem, quod prudentiam, quod moderationem animi conſpiciebam, religionem autem erga ſummum Deum etiam venerabar: tamen tu qua ſemper fuiſti humanitate præditus, parem meam conditionem tecum in noſtra amicitia eſſe voluiſti, ſtatuiſtique eodem honore & loco eſſe debere, & virtutem ipſam, & bonam ac perpenſam ad virtutem voluntatem. Accedit quod ambo gravibus fortunæ injuriis ſæpenumero agitati, detrimentiſque multati, alacres tamen animo ſumus, eademque ſpe & fiducia nitimur, quam habemus directam erga ſummum Deum, cujus munere & beneficio, quum majorum multo veriorumque bonorum poſſeſſio nobis ſit donata, & in

quibus

quibus nullam jam fortuna habet poteſtatem , eorum egregiam utilitatem , & divinos illos uberes opulentoſque fructus ex his potiſſimum libris litteriſque percipimus , quæ uti ſunt , ſic nominantur ſacræ , in quibus , & tu ſumma cum laude verſatus es , & ego totum dedere me cogito . Verum alia quidem alias . Nunc hujus interpretationem Pſalmi , niſi me fallit , ad communem vitam non minimum accommodatam , eo animo accipies , quo omnia noſtra ſolitus es accipere , amico benevoloque videlicet : noſque amore & ſtudio tuo juvare non deſines , ut quæ ex me in hoc genere exitura ſunt , talia ſint , per quæ omni recto mori , & fidei ſanctæ Catholicæ , nil umquam detrahatur ; ſicut & ego in primis propoſitum mihi habeo , & tu fideli tuo conſilio , præſtantique doctrina mihi plurimum prodeſſe ſemper potes . Vale .

EPI-

EPISTOLA LXXXIX.

AUGUSTINUS EPISCOPUS GRASSENSIS (a)

Jacobo Sadoleto S.

Ejus litteris, quibus illum ob fratris mortem ſolabatur, officioſe reſpondet.

GRaviſſimo mihi fortunæ vulnere afflicto, redditæ ſunt literæ tuæ pleniſſimæ & officii & humanitatis (b). Cum enim me abs te ſummopere amari mihi antea fuerit perſuaſiſſimum, hæc tamen potiſſimum epiſtola expreſſius quodammodo & illuſtrius incredibilem tuam erga me benevolentiam, tamquam ea quæ oculis cerni ſolent, mihi perſpectam fecit. Quapropter multis honeſtiſque de cauſis, non modo graviſſimi caſus levationem aliquam, ſed ſolatium etiam non mediocre nobis attulit. Cum enim hoc meo tempore te ita affectum fuiſſe cognoſcam, ut pene ipſe conſolatore indigueris, ejuſmodi tamen & ſententiis & rationibus uſus es, quæ cum per ſe ad levandum dolorem graviſſimæ eſſent, fie-bant

(a) Auguſtinus Grimaldus hic eſt, de quo conſule quæ diximus ſupra in notis ad Epiſtolam x. pag 29.

(b) Epiſtolam Sadoleti ad Grimaldum, cujus hæc eſt reſponſio haud invenire licuit. Extant quidem Sadoleti litteræ ad ipſum Grimaldum datæ xv. Cal. Octobris anno M. D. XXIX. Sed nil aliud in illis continetur, quam gratiarum quædam actio pro officiis a Grimaldo in ſe & Paulum fratris filium collatis.

bant tamen acceſſione autoritatis, atque eloquentiæ tuæ longe graviores. Ego vero quemadmodum nunquam me fratremve meum, præcipua quadam conditione inter cæteros homines natos eſſe exiſtimavi, ut non ſubitis maximiſque fortunæ ictibus ſubjaceremus, ſic fateor nunquam me eam animi celſitudinem prætuliſſe, ut omnes humanos caſus animi mei magnitudine inferiores eſſe crediderim. Enim vero, quis adeo præmeditatus, aut præmunitus eſſe potuiſſet, quem ſi non mors acerbiſſima unici fratris, genus ſaltem ipſum immanitatis & inaudita crudelitas non commoveret? Nullam opinor aut prudentiam, aut doctrinam tantum virium habere potuiſſe, ut acerbiſſimum hunc dolorem moderate fuerit toleratura. Sed ne atrocitatem ſceleris commemorando, acerbum illud vulnus recrudeſcere faciam, ad me ipſum, meaſque proprias calamitates me convertam. Erit enim perquam ſalubre medicamentum incredibilis doloris, ærumnas meas atque calamitates tecum communicare. Ego quidem cum jam inde ab adoleſcentia eruditi ocii & literarum fuerim cupidiſſimus, aſſidue tamen gravibus curis, eiſdemque neceſſariis ſimul & moleſtiſſimis, velut quodam reflante vento, a tranquillitate portus, quem a longe intuebar, in maximos negociorum fluctus memini me eſſe delatum; cumque diutius difficillima, ut ita dicam, navigatione uſus, nunc demum immenſum illud pelagus ſuperaſſe me putarem, cœperam jam ad diu optatum vitæ genus actiones meas accommodare, potiſſimumque adventus tui ad hanc Provinciam expectatione recreabar, quod in eo me cernerem partem longe

longe maximam felicitatis collocare poſſe, ſi tecum mihi vivere liceret. Poſtquam vero mihi renunciatum eſt, te iſtuc adventaſſe, tantam animo cepi voluptatem, ut me putarem quod diu optaveram, cumulatiſſime conſecutum. Et, ut nihil mihi deeſſet ad id quod inſtitueram, diligentiſſime operam dedi, ut apud me haberem Gregorium Monachum civem tuum (*a*), cujus cum mores, & pene dixerim, pietas erga me mihi cognitiſſima ſint, animo meo longe cariſſimus eſt atque gratiſſimus. Ex ea vitæ tranquillitate, adeo moribus, & inſtitutis meis accommodata, repente non in luctum modo laboremque detruſus ſum, ſed ad tam afflictam perditamque fortunam devolutus, ut non amicis tantum, & his omnibus quæ ſummo mihi ſtudio comparaveram, ſed me ipſo etiam mihi penitus ſit carendum. Quare, tantum abeſt ut dies ipſa luctum meum levare poſſit, ut ſummopere verendum ſit, ne etiam longinquitate temporis augeatur. Cum enim ceteri dolores vetuſtate mitigari conſueverint, hic non poteſt non & ſenſu præſentis miſeriæ & recordatione præteritæ vitæ quotidie augeri. Jam ſolatia illa ſtudiorum quæ ipſe mihi adhibiturus fueram, irruentibus undique moleſtiarum fluctibus ſic obruuntur, ut nec veſtigium fere ſupereſſe poſſit priſtinæ conſuetudinis. Unica mihi inter tot calamitates jucunditas ſupereſt, Gregorii mei conſuetudo, & quotidianum

(a) Gregorium ſcilicet Corteſium Mutinenſem, Monachum Ord. S. Benedicti, ac poſtea S. R. E. Cardinalem, de quo vide quæ habentur in notis ad Epiſt. x. pag. 28.

num ut ita dicam contubernium, in quo interdum aliquantiſper depoſitis curis & doloribus acquieſco. Apud quem tantum valuit ſanctum, & venerabile amicitiæ nomen, ut ſpreta ſtudiorum gratiſſima quiete, ſpretis tot locorum amœnitatibus, quibus Ordo ille hominum potiſſime abundat, non moleſte tulerit mecum in has locorum anguſtias detrudi & ablegari. Cujus cum tantus amor erga me ſit, interdum tamen vereri cogor, ne tædio atque ſatietate præſentis vitæ & prioris deſiderio inter tot tamque moleſtas ſolicitudines, ſolum me repente deſtituat. Quod ſi forte contigerit, erit tunc mihi literarum tuarum ſolatium, quod nunc quidem maximum eſt atque optatiſſimum, tunc etiam unicum mihique præcipue neceſſarium. Vale (a).

(a) Tempus quo ſcripta ſit hæc Epiſtola, omnino incertum.

AN-

ANNO M. D. XXIX.

EPISTOLA XC.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Hippolyto Medici S.R.E. Cardinali (a) S. P. D.

De accepta dignitate, deque bona Pontificis Maximi Patrui valetudine gratulatur.

QUantam voluptatem acceperim, & quo fructu lætitiæ ac jucunditatis fuerim cumulatus ex amplificatione dignitatis tuæ: peto a te, ut ne meis ex literis conjecturam facias, cum id facilius ſit tibi exiſtimare, quam mihi ſcribere. Certe ita lætatus ſum, ut ex pauciſſimis, quæ maxime deſideravi, hoc mihi imprimis gratum optatumque acciderit. Factum eſt autem Dei immortalis benignitate, ut noſtrum gaudium omni ex parte fuerit expletum, bona jam valetudine Pontificis maximi patrui tui nobis nuntiata: in cujus ſalute & vita cum ſalus omnis mea repoſita ſit, cumque ego eum præter venerationem debitam, uſque adeo a me, ſemperque amaverim, ut neminem ardentius: nil mi-

(a) Hic anno 1511. Florentiæ natus Leonis x. nepos & Clementis VII. conſobrinus fuit; a quo an. 1529. die x. Januarii annos natus XIX. Diaconus Cardinalis eſt renunciatus; ac poſtea S. R. E. Vicecancellarius. Romæ immatura morte e vivis ereptus eſt an. ætat. XXIV. Chriſti 1538. Idibus Auguſti. Vid. Ciacc. tom. 3. col. 502.

mirum eſt, ſi ex vobis & veſtro in utranque partem ſtatu, ſtatus omnis pendet & periculi & ſalutis meæ. Nam de te quidem ipſo nominatim quid dicam? in quo ego ſtatim ab ineunte pueritia, ea perſpexi indicia ingenii, humanitatis, modeſtiæ, cæterarumque virtutum omnium, ut jam tum facile appareret qualis tu in ætate vir poſtea eſſes futurus. Cujus tamen ætatis legitimum quaſi tempus expectare noluiſti: ſed optimis artibus literiſque deligendis, ac prudentiam hominum familiaritate adhibenda, perfeciſti, ut virtutis in te curſus, quam ætatis fuerit celerior. Gratulor igitur, & vere, ac ex animo gratulor, cum dignitati tuæ, tum illis eximiis virtutibus, per quas omni honore & amplitudine digniſſimus es judicatus. Et tum hoc gaudeo, tum etiam illud, quod ad eam ſectam vitæ potius es converſus, quæ & longè tutior, & ad beatam tranquillamque degendam vitam accommodatior multo eſt. Quamobrem, quod eſt omnis veræ gratulationis extremum, Deum immortalem ſupplex deprecor, ut tibi iſte honos proprius, & quod in iſtum ordinem dignitatemque veniſti, id tibi fauſtum, felix, proſperum, fortunatumque perpetuo ſit: quod ejuſdem ſummi Dei benignitate & clementia, tua adjuvante virtute, ſic confido futurum eſſe. Et quoniam jam tu quoque harum gentium paſtor & rector, & hujus tuæ alterius patriæ, quam divino judicio es conſecutus, patronus factus es: horum populorum cauſam, ſalutem, jura, libertatem, fortunaſque omnes tibi ita commendo, ut majore animi ſtudio commendare non poſſim. Egent enim maxime tua cura, patro-

patrocinio, fide, vigilantia, ſicut quotidie ipſe multis ex rebus cognoſces. Illud item teſtabor, te in Vicario priſtino retinendo, multum & populi ſtudiis, & eccleſiæ tuæ utilitati conſulviſſe. Eſt enim vir omni virtute integritateque præſtans: ac, quod ad rem non parum pertinet, etiam aſpectu & facie venerandus: affinis præterea ſummi omnium & maximi jureconſulti Joan. Franciſci Ripæ Avenione habitantis (*a*), cujus egregiam operam & ſingularem utilitatem, in omnibus tuis rebus tibi paratam & promptam experiere. Ego neque meipſum qui jamdudum tuus ſum, neque mea ſtudia atque officia tibi polliceor, ne videar quæ tua in poteſtate jamdiu ſunt, ſi ea de integro tibi deferam, novi quotidie muneris gratiam abs te inire velle. Vale, & nos dilige. Carp. VI. Idus Febr. M. D. XXIX.

(a) Vide quæ de Franciſco Ripa diximus ſupra ad Epiſt. LXXIII. pag. 201.

EPI-

EPISTOLA XCI.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoract.

Antonio Prato S. R. E. Cardinali
S. P. D. (a)

Joannem Fraxinum civem Avenionenſem ei etiam atque etiam commendat, ut aliquod eidem Sacerdotium conferri curet.

Quia notum eſt meum erga tuam amplitudinem ſtudium, & incredibilis tui nominis obſervantia: ideo fit, ut quidam homines, de tua in me viciſſim voluntate conjecturam facientes, cupiant tibi per me commendari. Quibus ego profecto hoc officium humanitati debitum non negabo: dum illud prius teſter, in cunctis quæcunque a te petiero, ita mihi cupere morem geri, ſi ea tibi & facilia factu, & æqua atque honeſta eſſe videbuntur. Joannes Fraxinus, qui has literas tibi reddidit, civis eſt Avenionenſis, imprimis honeſtus & bonus, mihi autem, & ſua cauſa, & ſuorum neceſſariorum ac cognatorum, quos ego mirifice diligo, valde charus atque jucundus. Is ad noſtrum hoc vitæ genus, & ad ſacerdotalem ordinem aſpirans, cuperet eccleſiaſtica aliqua vectigalia conſequi: quod difficillimum ſibi putat fore, niſi ſacerdotiorum in regno obtinendi aliquam fa-

(a) Vide quæ de Ant. Prato dicta ſunt ſuperius ad Epiſt. LXXXIX. pag. 237.

cultatem ſit nactus. Eam porro arbitratur ſe tua unius ope atque auxilio conſequi poſſe. Itaque eum tuæ bonitati, beneficentiæ, humanitatique commendo: ut per te, perque tuam gratiam ac benignitatem optatum exitum votorum ſuorum conſequatur. Quod facilius efficere poteris, quod & ipſe mediocria poſtulat, & tua etiam limitandi ac definiendi futura eſt poteſtas. Ego, ſi hoc in illum beneficium mea commendatione adductus contuleris, non mediocri meipſum beneficio abs te affectum eſſe arbitrabor. Erit enim hæc ſignificatio tuæ erga me voluntatis, non modo honori mihi & ornamento apud haſce nationes, ſed animo etiam meo præcipue grata: quippe qui fructum meæ in te ſummæ obſervantiæ ſummique amoris non alium prorſus quæro, quam amorem ipſum tuum: quo ut perpetuo dignus ſim, omnibus meis ſtudiis atque officiis diligentiſſime providebo: tuorumque erga me meritorum memoriam grata ſemper recordatione proſequar. Tu ut nos diligas, habeaſque in numero tuorum, omni animi cura & ſtudio abs te peto. Vale. Carpentoracti XV. Calend. Martii, M. D. XXIX.

EPI-

EPISTOLA XCII.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoract.

Galeatio Florimonti Sueſſano
S. P. D.

Binis ejus litteris reſpondet, ac mittit Commentarios in Pſalmum XCIII.

BInas a te eodem tempore accepi literas: quarum alteræ ex cœnobio Ferrarienſi, ut ſcribis, VI. Calend. Januarii erant datæ: alteræ Baucis pridie Calend. Julii, quæ me utræque mirificè delectaverunt. Multis enim ſunt & amoris tui erga me, & ingenii ac doctrinæ ſignificationibus refertæ: ac, ut verum tibi confitear, longè aliam perſonam mihi, aliud ſpecimen ingenii obtuliſſe viſæ ſunt, ac priores fecerant: quibus fueram adductus, ut te admonendum putarem, ut omiſſis levioribus illis ſtudiis, ad graviores arteis te converteres. Quod etſi tunc a me optimo fuit factum animo, tamen nunc plane intelligo, non fuiſſe neceſſarium. Te enim id ita feciſſe, multumque in omnibus artibus optimis profeciſſe ſentio. Sed quæ tu de ſacris literis, deque earum ſummis doctoribus ad me ſcribis, ea mihi vehementiſſime probantur. Omnis enim noſtra ſalus, omnis beatæ & immortalis vitæ ſpes, in illo potiſſimum ſtudiorum genere poſita eſt. In quo verò aſpernari videris philoſophiam,& graviſſimos illius autores rejicere, id mihi tecum convenire non poteſt. Ego enim cum me ex illius ſtudio non admodum hebe-

tem ſentio eſſe factum, tum verò ſic ſtatuo, non lapidem lapidi, neque parietem faſtigio ullum tam congruere, quam theologiæ & divinis literis philoſophiam. Itaque illud ipſum quod inducis tanquam illudens, εἰ ἀνάγκη πᾶν τὸ κινούμενον ὑπὸ τινος κινεῖσθαι, tanti eſt, ut abſque eo perſuaderi quidem poſſit, & exiſtimari eſſe Deum, ſciri autem nequaquam. Sed hæc hactenus: non enim hujus ſunt ſcriptionis & temporis. Tu quod videris vereri, ne tuæ mihi literæ moleſtæ ſint, facis mihi nonnullam in eo injuriam: parum enim commodè de mea humanitate exiſtimas. Scito igitur, tuas mihi literas, & antea gratas extitiſſe, & in poſterum fore ſemper gratiores. Commentarios meos in Pſalmum XCIII. remitto tibi, quando me illius fefellit diligentia, cui primo negocium dederam. Facies autem tu mihi pergratum, ſi quando his ſtudiis apprime deditus es, ſi qua tibi non belle in illis videbuntur ſe habere, de iis me admonueris: hominiſque amici veriſſimo officio fueris functus. Quod ut agas, ſtudioſè abs te peto. Vale. Carpentoracti, x. Cal. Martii.

EPI-

EPISTOLA XCIII. (a)

HIERONYMUS NIGER

Jac. Sadoleto Carpentoractenſi Antiſtiti.

Cauſas profert, quibus adductus ad Urbem iterum redierit.

SAtis non fuerat me *poſt everſam Urbem* (b), e naufragio illo emerſum ad patrium littus adnataſſe, niſi ad ſpectandos deflagratæ Urbis cineres rediiſſem. Sed is eſt rerum ſtatus, atque ea totius fere Italiæ calamitas, ut nullus *fere* (c), ſit angulus, in quo non aut hoſtes ſæviant, aut Tyranni dominentur. Quare, haud injuria gratulandum tibi eſt, *qui* (d) in tantis tempeſtatibus ſis propè unus in portu, fructuſque vitæ percipias eos, qui a ſapientibus viris maximi jucundiſſimique habentur. Quem ſanè portum, & exoptavi ipſe ſemper, & tu, quæ tua eſt benignitas communem mihi eſſe voluiſti. *Verum* (e) neſcio quo pacto me ad iſtum, aciem curſum-

M 3

(a) Etſi hæc Epiſtola inter Sadoleti litteras jamdiu editas reperiatur, attamen ex authographo, a viro quodam præſtantiſſimo nobis communicato eam deſcribere curavimus, ita tamen, ut loca, quibus ab edita diſcreparet adnotanda eſſe duxerimus.

(b) Hæc tria verba diverſo caractere obſignata, in editis deſiderantur.

(c) Deeſt hæc vox in edit.

(d) In edit. *quòd*.

(e) In edit. *At*.

ſumque dirigentem reflantes *ſemper* (*a*) venti repulerunt. Quum enim recuperata valetudine ad te proficiſci ſtatuiſſem, cognovi, mare Liguſticum hoſtili claſſe, ciſalpinam omnem Galliam hiſpanorum præſidiis teneri; omnes denique aditus partim vi, partim inſidiis adeo interclusos eſſe (*b*), ut ne Dedalus quidem, (quod in poetarum eſt fabulis) (*c*), tuto iſtuc advolare potuiſſet. Itaque Romam veni ad Quint. Idus Februar. adductus potius patriæ tædio, quam deſiderio Urbis: multa enim erant illic, quæ me moleſtia afficerent, cum privata, tum publica. Nam etſi noſtra illa Urbs (*d*) loci natura, atque humana vi (*e*) munitiſſima eſt, omnique ſeditione, & civili vacat diſcordia; præterea (*f*) nihil deſiderat, quod ad commoditatem victus, & ad civilis vitæ ſplendorem pertineat; ſuſtinet tamen diuturnum, & graviſſimum bellum, quod exinanito ærario, vectigalibuſque divenditis, privatis civium fortunis adminiſtratur (*g*), nec ordini quidem noſtro parcitur novo more (*h*). Quod ſane incommodum, fortunarum mearum exilitas,

(a) Deeſt in edit.

(b) In edit. *adeo armis occupatos intercluſoſque eſſe, ut* &c.

(c) In edit. *quod ajunt Poetæ*.

(d) In edit. *noſtra illa regio & natale ſolum, loci* &c.

(e) In edit. *ope*.

(f) In edit. *ad hæc*.

(g) In edit. *geritur*.

(h) In edit. additur *& ne quidquam reclamante Pontifice Maximo*.

litas, tibi jampridem cognita (*a*) ferre non poterat (*b*). Quamobrem diverti huc, eo ſcilicet animo, atque conſilio, ut quum primum per tumultus bellicos liceat ad te (*c*) proficiſci, utar liberalitate tua (*d*), niſi tu forte de repetenda Urbe cogites. Quod quidem conſilium nec mihi facile probatur, nec opinor tibi pro tua prudentia probatum iri. Quis eſt enim tam iniquus (*e*) rerum æſtimator, tam levis, qui quum quieti & honeſto otio, florentem Urbem & ampliſſimum locum poſthabuerit; mox everſæ Urbi rebuſque perditis (*f*) otium cum dignitate poſthabeat? Nolo tibi ea commemorare, quæ vulgi animum movent, amiſiſſe nos hominum frequentiam, ſplendorem, patentem omnibus fortunæ campum: quibus omnibus, (ut tute ſapienter (*g*), ad me ſcribis) *fortaſſe* (*h*) utilius eſt carere, quam abundare. Illud unum, quod permagni ipſe ſemper æſtimaſti, non præteribo; amiſiſſe nos eruditorum virorum jucundiſſimam conſuetudinem, qua ſic caremus, ut vix unum aut alterum *ex vetere illa noſtro*

(a) In edit. *nota tibi exilitas mei ſenſus*.

(b) In editis hæc addita reperiuntur verba: *præſertim quum rata non fuerint beneficia, quæ Pont. Maximus in me olim, te fautore, contuliſſes*.

(c) In edit. *iſthuc liceat proficiſci* &c.

(d) In edit. additur *tecumque fruar iſto otio*.

(e) Id edit. *ignarus*.

(f) In edit. *perditiſſimis*.

(g) In edit. *ſapientiſſime*.

(h) Deeſt hæc vox in edit.

ſtra Academia ſuperſtitem (*a*) invenerim, qui cum latine in Latio loqui poſſem. Omnes enim fere, aut naufragio illo perierunt, aut tempeſtate compulſi ſunt in longinquas oras, mentionemque ipſam Urbis haud immerito reformidant. Supereſt tamen ex ſodalibus noſtris Savoinorum Princeps, illo eodem vultu atque animo, quo ſemper (*b*) fuit: quem quum forte offendiſſem in via hilarem, & non minus curis quam fortunis diſpoliatum, continere riſum non potui, tanto in luctu & ſqualore civitatis. Utinam, inquit, cum philoſopho ambulaſſem. Hiſpanus miles tractavit me peſſume (*c*): *idem tamen accidit & Reverendiſſimis. Communis hæc eſt ac pervulgata Romanorum civium conſolatio, videre hos primates, non modo ſordidos, ſed etiam ſordidatos. Et tamen non defuere qui tantum indignitatis, tantum ludibrii, magno ambitu, magno auri pondere coemerint. Quos quum populus Romanus videt ſine grege incedere, multa fame confectos vehi, nihil aliud ex priſtina fortuna, quam ridiculam ſuperſtitionem retinere, oblitus omnium calamitatum ſuarum, ſolvitur in cachinnos maximos*. Hæc habui quæ ad te confeſtim ſcriberem. Nam pueri tui mihi denuntiarunt, proxima nocte certum hominem in provinciam iſtam

(a) Verba diverſa litterarum forma deſcripta in editis deſiderantur.

(b) In edit. *jampridem*.

(c) Quæ ſequuntur, *curſivo*, ut vocant, charactere exarata, in edit. minime leguntur.

iſtam diſceſſurum. Clemens Pontifex Maximus è morbo tandem convaluit. Quotidie in ore habet divinum conſilium tuum de profectione ad Cæſarem, & de pace publica: quo quidem conſilio, ſi integris rebus uſus fuiſſet non laboraremus. Cura ut valeas: & Paulo Nepoti (*a*), meis verbis plurimam dic ſalutem. Vale iterum & me (ut facis) ama. Romæ XV. Calend. Aprilis, M.D.XXIX.

EPISTOLA XCIV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Hieronymo Nigro S. P. D. (*b*)

De ejus doctrina gratulatur, narratque quomodo tempus ſuum tranſigat.

TUas literas accepi XV. Calend. Aprilis ex Urbe datas: quibus mirificè ſum delectatus. Sunt enim totæ rethorum, nec ſolum disertè atque eleganter, ſed ab eo etiam ſcriptæ, cujus chariſſimam habeo erga me voluntatem. In quibus quæ de Urbis & rerum urbanarum ſtatu ad me ſcribis, ſunt illa quidem acerba & miſera, nec poſſunt non dolore animum, tantæ rerum commutationis miſericordia commovere. Sed tamen debemus aliquando eſſe viri, & ea fortiter ferre, quæ mutare minimè poſſumus. Quamobrem alia agamus,

(a) In edit. *fratris filio*.

(b) Vide quæ de Nigro diximus in notis ad Epiſtolam LXIX. pag. 189. & ad Epiſt. LXXI. pag. 198.

mus, & quæ magis ad nos pertinent. Eſt autem imprimis mi Niger tibi gratulandum, quod eum ex rectiſſimis ſtudiis tuis aſſecutus es tuorum laborum & vigiliarum fructum, ut ſpe jam certa ad immortalitatem niti poſſes. Cujus divino illo cupiditatis ardore qui ſemel correpti ſunt, quid mirum, illis ſi deinde ſordent iſta omnia quæ vulgo habentur ampliſſima, & ad aliud vitæ feruntur genus? Obſcurum in populo illud quidem: ſed cœleſti vitæ imprimis accommodatum. Quod ego ſumma cum voluptate animi poſſideo & colo. Neque verò arbitror majus mihi munus a Deo immortali potuiſſe tribui, quam hunc animi ſenſum vitæque ſtatum, in quo illa tantum procurans, quæ hujus officii & muneris, quod ſuſtineo, propria ſunt; quod reliquum eſt temporis, in eis ſtudiis delectationibuſque conſumo, quæ dignæ ſunt viro. qui quidem ſit vir; hoc eſt, qui actionum conſiliorumque ſuorum non popularem jactationem & laudem, ſed Deum veramque ſapientiam conſtituat ſibi finem. Quocirca tibi facilè credo affirmanti, appetere te eandem vitam, mecumque eſſe cupere. Novi enim omnes ſenſus animi tui cum propenſos ad quietis ſtudium, tum moderatione concordiaque placatos, ut vere beatæ vitæ deſiderium, iſta in te cæterarum rerum non corrumpat cupiditas. Quod ſcribis autem quominus ad nos, ut conſtitueras, accedere potueris, corporis morbum tibi prius, deinde itinerum pericula fuiſſe impedimento: ſane quam moleſte fero. Sunt quidem omnia (ut ſcribis) ubique ita perturbata, ut ignores plane quo in loco potiſſimum conſiſtendum

ſit.

ſit. Sed ſi quod uſpiam veſtigium remanet etiam nunc quietis & ocii, in his certe eſt locis, in quibus homines natura magis quam legibus ad ſedatam & tranquillam vitam accommodati ſunt. Vix audeo tibi exigua deferre, cujuſmodi ſunt mea. Sed tamen qualiacunque ſunt, parata tibi ſemper non minus volui eſſe, quam mihi: ut tibi habere hoc debeas perſuaſum, manſuram ſemper apud me & fidem & conſtantiam ſemel ſuſceptæ erga te benevolentiæ. Ego hic habeo cum Muſis rationem, verum divinioribus: jamque commentarium ſcripſi in Pſalmum nonageſimum tertium: quem cum legeris, cognoſces, poſſe res ſacras etiam Latinè ornateque perſcribi. Non quod id a me perfectum ſit: ſed ejus rei certe ſimulacrum quoddam eſt a nobis & imitatio adumbrata. Hunc jam miſi homini omni virtute & dignitate ampliſſimo, mihique vetere amicitia conjuncto, Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni: qui nunc in Italiam proficiſcens, librum Venetiis imprimendum eſt curaturus ab Aſulano noſtro, cui hanc me debere confiteor gratiam, ſi modo hæc gratia, ac non onus potius & labor. Nam ipſius Federici nomini liber dicatus eſt. In his ego nunc verſor cogitationibus. Literas colo præcipuè, ab his cum relaxo animum, refero me ad agriculturæ oblectamenta. Habeo autem prædia quædam ruſtica, quæ veſtrum quemvis, qui eſtis urbani, delectare etiam poſſent. In his ſuburbanos hortos, viriditate, ornatu, copia tam aquarum quam arborum lectiſſimarum imprimis nobiles. Hos ego inviſo frequens, ca-

pioque hauſtus amœnioris cœli. Hoc enim Savonium eſt, ſic didici ex ejus ſchola. Quære ex eo, narrabit tibi quo id pacto fieri oporteat. Qui quod vivit, quod ſalvus eſt, quod, ſicut conſuevit, Democritio more ridet & deſpicit omnia, valde mihi mehercule gratum eſt. Semper ille quidem amabilis. Sed nunc etiam magis, quod ex magna amicorum & jucundorum hominum turba nobis eſt penè ſolus relictus. Tu illi multam a me ſalutem: itemque cæteris, qui ex illa vetere noſtra jucundiſſima ſodalitate ſunt reliqui. Tu quoque vale, mi Niger, & nos dilige. Paulus mihi & in moribus, & in literis apprimè ſatisfacit. In quibus tantos jam habet proceſſus, ut mihi ipſi magiſtro ſæpe fiat monitor, πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων: hoc in eo optimè quadrat. Ita confido, magno eum & familiæ noſtræ, & amicis omnibus fore ornamento. Is tibi reddit ſalutem plurimam. Vale. Carpentoracti XVI. Celend. Junii, M. D. XXIX.

EPI-

EPISTOLA XCV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Andreæ Alciato S. P D. (a)

Ejus litteris reſpondet, quibus ſibi Modullionis Brixiaci controverſiam commendaverat.

NUnquam eſſem arbitratus accidere poſſe, ut ex amici hominis moleſtia aliquid veniret ad me voluptatis: ſum enim, ſi quiſquam alius,

---

(a) Andreas Alciatus in pago *Alciato* ſeu *Alzato* Mediolanenſi anno M. D. I. nobili Alciatorum genere natus, ſuæ ætatis Juriſconſultorum & politorum hominum gloriam incredibili ſtudio ac virtute longo poſt ſe intervallo reliquit. Optimorum enim magiſtrorum ac præſertim Jani Parrhaſii diligentia iis artibus a puero excultus, quibus ætas ea informari ad humanitatem ſolet, earum uſum omnem ad juris peritiam, cui ſeſe totum addixit, referendum eſſe duxit, ut optimæ illæ diſciplinæ, in quibus alii tamquam ad Sirenum ſcopulos conſeneſcunt, uni huic ancillarentur. Quamobrem quum ſummam quam de ſe ab ineunte ætate excitaverat expectationem non modo ſuſtineret, ſed etiam longe cumulateque ſuperaret, quumque magnum apud omnes nomen eſſet conſequutus, amplis ab Avenionenſibus accerſitus eſt conditionibus, ut publicum in eorum Urbe docendi juris munus obiret: qua in re aliquot annorum ſpatio ita ingenium ſuum induſtriamque probavit, ut unus pene inter laudatos juris interpretes, ſoluſque egregie doctus ab omnibus haberetur. Tanta hominis fama excitatus Franciſcus I. Gallorum Rex, Alciatum duplicato ſtipendio ad Biturigum Academiam vocavit. Vix tamen quinquennii tem-

alius, officii in eo genere retinendi maxime cupiens . Sed nunc plane ex inſtituto meo depulſus ſum.Quod enim Medullionis Brixiaci controverſia tuas ad me elicuerit jucundiſſimas literas,

---

tempore in ea verſari Alciato licuit . Franciſcus enim Sfortia Mediolanenſium regulus, popularis ſui amore ac gloria captus , eum moras nectentem peneque tergiverſantem accerſivit , ut Ticini docendi partes ſuſtineret : quod ut facilius ab eo impetraret , Senatoris auxit ornavitque dignitate . Paullo poſt Bononiam petiit , in eaque quatuor annos ea jus civile admiratione , laude , ac celebritate profeſſus eſt , ut nemo ſatis doctus e ſchola redire putaretur , niſi qui Alciatum audiviſſet . Ticini poſtea Caroli Imperatoris juſſu revocatus , aliquot illic annos permanſit , donec Ferrariam ampliſſimis Herculis ducis conditionibus profectus , collabentem jam illius Academiæ gloriam priſtino ſplendori reſtituit . Nam & viva voce profitendo , & permulta ac varia opera elucubrando id effecit , ut non modo præſentibus , ſed & multo poſteris cumulatius conſuluiſſe videretur . Tandem poſt multos peregrinationum labores , Ticinum tamquam in portum iterum ſeſe contulit . In ea urbe fortunarum ſuarum tabulis poſtremo locatis , paucis annis quiete tranquilliterque verſati licuit . Anno enim reparatæ ſalutis M. D. LIX. nondum ætatis octavo & quinquageſimo expleto , morbo correptus , extremum vitæ diem morte confecit . Omnia ejus opera in ſex volumina diſtributa Lugduni prodiere apud Petr. Fredinand. an. 1560. Extant inter Epiſtolas Gudii a Pet. Burmanno editas pag.75. XXVI. Alciati Epiſtolæ ad Franciſcum Calvum , atque una ad Marcum Antonium Majoragium pag.113. Aliæ habentur etiam Sadoleti noſtri ad eumdem Alciatum litteræ , inferius ſuo loco proferendæ . Denique vitam ejus deſcripſit Claudius Minoes non ineleganter , præfixaque legitur ejuſdem Emblematis Patavii an. 1618. editis . Quare Alciati ſtudioſos ad librum illum delegamus.

teras, mirificè (fateor) ſum delectatus: cum illæ præſertim ita ſcitè ac eleganter ſcriptæ ſint, ut ſingulare meum ac perpetuum de tuo ingenio ac virtute judicium, non confirmarint ſolum, vetum etiam vehementer auxerint, Quas quod te tardius ad me dicis dediſſe, parcentem occupationibus meis, ut ne meis ſtudiis intempeſtivius obſtreperes; in eam partem accipio potius, ut tu de tuis ſtudiis nolueris eſſe detractum: cum in omni genere artium optimarum tu excellenter & eximiè, nos aliquanto etiam minus quam mediocriter verſemur. Sed utut eſt, auderem vota facere, ut tibi quotidianæ ad me ſcribendi occaſiones darentur, niſi vererer, ne eodem tempore multorum lites & diſpendia precarer. Quare ſic habeto: tuis literis nec fuiſſe mihi aliquid complureis hoſce dies, nec potuiſſe eſſe gratius. Medullionem quidem ipſum cujus volo cauſa, hoc etiam diligentius commendavi judici Symonetæ per literas (*a*), quod perſpexi ejus cauſam a te doctiſſimo homine probari, quem nollem mehercule quicquam negotii habere nec moleſtiæ. Sed quid id refert? τὰ χρήματα ἀνθρώποισι τιμιώτατα, δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει. Igitur adjuvandus eſt, ſalvo tamen officio, quod te autore videor mihi recte facere. Pro quo tu quoque, quod eidem Symonetæ ſcripſiſti, ma-

(a) Verum hæ litteræ minime reperiuntur. Quamquam enim ad Jacobum Symonetam Epiſcopum Piſauri (de quo fortaſſe heic loquitur) ſcripta ſit Epiſtolà c. pag. 291. nulla tamen in ea extat Medullionis mentio.

maximè illius cauſæ profuturus es, πᾶν γὰρ ἐξαίρει λόγος, ὃ κὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν. Erit autem hoc gravior tua commendatio, quod non ſolum amici in amicum ſtudium, ſed hominis etiam doctiſſimi & conſultiſſimi, judicium atque autoritatem affert. Illa duo extrema ſunt in tuis literis: unum, quod affirmas me egere non poſſe opera tua, cum ego ea ſemper egeam: quis enim poteſt talis & viri & amici quotidiana opera non indigere? Alterum, quod optas, ut in his ſtudiis eſſe aſſiduus poſſis: atque incredibilis tua ingenii magnitudo facit, ut nequaquam optato opus ſit. Quod enim nos, & unum tantum, & id ſpiſſius, tu idem celerrimè, & præterea alia plura comprehendis. Quapropter eſt magis, cur tibi ipſe gratulere, quam cur quicquam optes. Quod ſi mei ſuffragii prærogativa eam haberet religionem, quam in antiquis comitiis habere erat ſolita: in quibus nemo unquam a prima centuria renuntiatus eſt conſul, quin fuerit idem magiſtratum illum aſſecutus: pervellem te totum, quantuſcunque es, noſtrum omnino eſſe, arcemque & vitæ tuæ & doctrinæ, in his liberalioribus & uberioribus ſtudiis collocare. Quod ſi contingeret, nullam profectò barbariam te ſocio atque adjutore pertimeſcerem. Et tamen ſic etiam diviſus, & in alteram forte partem propenſior, maximo es & temporibus his, & rei literariæ, ornamento. Ego, quod ad animum meum erga te attinet, tantum tibi tribuo, quantum profecto pauciſſimis: ita te amore complexus ſum, ut omnia tua cauſa mihi videar debere. Quod ſi acciderit, ut opera id oſtendendum ſit, efficiam ut in-

ut intelligas, maximam apud me rationem eſſe, & amoris mutui noſtri, & tuæ eximiæ præſtantiſque virtutis. Vale, pridie Calend. Maii, M. D. XXIX. Carpentoracti.

EPISTOLA XCVI.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoract.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D. (a)

Suum benevolum animum in illum commemorat, deque adepta dignitate gratulatur.

COgnovi ex literis meorum, qui in urbe ſunt, te (quod magnæ voluptati mihi fuit) ſalvum & ſoſpitem ab alienis oris, quo fueras horribili tempeſtate compulſus, Romam

---

(a) Hunc Florentiæ natum ex nobili familia, unde multi doctrinæ laude præſtantes viri extiterunt, adoleſcentem admodum Leo Decimus Gaditanum Epiſcopum fecit: Cremonenſem Adrianus Sextus, cujus etiam ab Epiſtolis fuit. Quo in munere quum aliquantum Clementi Septimo Adriano ſucceſſori una cum Sadoleto noſtro egregiam ac laudabilem operam navaſſet, an. 1527. ab eodem Pontifice in Sacrum Cardinalium Senatum fuit cooptatus. Adverſa tamen ſubſequentibus temporibus fortuna conflictatus eſt. Nam, Paulo Tertio Pontifice Maximo, in Arcem Adrianam detruſus, ſolutiſque poſt ſex menſes mulctæ nomine quinguaginta novem millibus ducatis aureis, dimiſſus, Florentiam ſe contulit, qua in urbe obiit anno M.D.XLIX. Nonnulla & verſu & proſa ſcripſit, ab omibuſque ejus temporis viris & dilectus & laudatus eſt. Extat Epiſtola etruſce ſcripta Hieronymi Nigri,

mam revertiſſe; neque ſolum urbi illi afflictæ & mœrenti lucem tuæ virtutis & dignitatis attuliſſe, ſed nobis quoque qui longe abſumus, declaraſſe, quam eſſet memor veteris amicitiæ, & quam propenſus ad inſerviendum commodis & utilitatibus noſtris animus tuus. Sic enim mei ad me ſcribunt, te ita cum eis de me collocutum eſſe, nihil ut prorſus fieri potuerit amantius. Quod etſi nunquam dubitavi, quin ita eſſet, confiſus conſtantia & humanitate tua: tamen noſſe quotidie magis, reque ipſa experiri, ſalvum mihi eſſe præſidium amicitiæ apud eum, quem & dilexi ſemper præcipue, & colui, mihi eſt gratiſſimum. Itaque quod ad parteis meas attinet, ſic tibi velim perſuadeas, ex his qui te obſervant & colunt, quorum maxima eſt pro tua amplitudine & liberalitate multitudo, nemini me concedere, neque in officio, neque in benevolentia, neque in recordatione pri-

Nigri ad M. Ant. Michaelem inter litteras Principum; in qua illum *Sadoleti Bibulum* appellat. Qua de re hæc habet vir claris. Philippus Bonamicus in aureo illo de claris Pontificiarum Epiſtolarum ſcriptoribus libro, quem an. 1753. emiſit in manus hominum:. „ Illud miror „ potius, cur in mentem Hieronymo Nigro venerit, „ Accoltum hunc, Collega Sadoleto quum eſſet in eo „ ſcribendi munere a Clemente Septimo datus, ipſius „ Sadoleti Bibulum ſubabſurde ſalſeque nominare: „ quaſi quemadmodum Cæſar nihil agere Bibulum ſuum „ in Conſulatu Collegam, ſic nihil Accoltum ſcribere „ Sadoletus ſiverit. Tantum enim abeſt, ut Sadoletus „ vir optimus invidere cuiquam potuerit, ut ingenue „ fateri non dubitaverit, epiſtolas nonnullas, quæ ſuæ „ ferebantur, fuiſſe Franciſci Binii, &c. „ Ceterum de Accolto vide Ciaccon. tom. 3. col. 477.

priſtinæ neceſſitudinis, neque in tuarum præſtantium virtutum laude & celebratione. Dignitati vero tuæ hoc minus multis verbis in hoc tempore gratulor, quod & mea tibi eſt ſat perſpecta voluntas, & honor iſte non certior in te, cum tibi datus eſt, quam antea, cum ſperatus atque prævifus. Et mehercule etiam, quod tempora ejuſmodi ſunt, ut honori ipſi magis ex tua perſona, quam ex eo tibi videatur eſſe gratulandum. Quapropter hoc tantum dico: omnia quæ ad decus, & ad amplitudinem tuam pertinent, non minus grata atque optata accidere in te mihi, quam ſi in ipſum me collata eſſent. Quanquam habeo ego quidem id quod maxime ſemper expetivi, honeſtiſſimum otium, quod totum a me in regenda Eccleſia mea, & recolendis optimarum artium ſtudiis ſumma cum animi voluptate conſumitur. Tu ſi iſta erga me voluntate perpetuo fueris, noſque abſenteis tua fide & patrocinio tueri perrexeris, maximo me honore & præmio affectum eſſe arbitrabor, idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, & patruum tuum hominem ampliſſimum meis verbis ſalvere jube. Carpent. XVI. Calend. Junii, M. D. XXIX.

EPI-

EPISTOLA XCVII.

BENEDICTUS ACCOLTUS S. R. E. CARDINALIS (a)

Jacobo Sadoleto Epiſc. Carpent. S. P. D.

Ei omnem ſuam operam offert, illumque ut ad ſe veniat hortatur.

NIhil gratius, nihil jucundius accidere mihi potuit tuis literis, tum quod eas legens videbar tecum eſſe, quem loquentem audire ſemper mihi magnæ voluptati fuit, tum quod erant pleniſſimæ & officii, & humanitatis, cum præclara ſignificatione tuæ erga me voluntatis. Quæ etſi mihi jam antea perſpecta erat, tamen quod eandem illam abſens oſtendebas, quam omni tempore præſens declaraveras, fuit mihi ſummopere gratum. Non quod de tua conſtantia dubitarem: ſed illius commemoratione ſum maxime delectatus. Ego autem, quod præclare noſſe debes, te ab ineunte ætate dilexi, fecique ſemper plurimi, neque ſolum excellentem illam doctrinam tuam, ſed gravitatem etiam, & prudentiam ſum admiratus. Et, quod judicium meum fuit de virtute tua, te unum mihi in omni vita ab initio imitandum propoſui. Quod ſi eo quo tendebam, accedere non potui: tuum

(a) De Accolto dictum eſt paullo ſuperius in not. ad Epiſt. præced. pag. 281. & 282.

tuum tamen in me ſtudium cum paterna benevolentia conjunctum, in eo nunquam defuit. Quæ res ita in animo meo reſidet, meque ita admonet, ut me tibi plurimum debere profitear. Quod cum ita ſit, perſuaſum tibi eſſe poteſt, omnia quæcunque in me ſunt, quemadmodum etiam dixi tuis, ad commoda & dignitatem tuam prompta eſſe, atque parata: meque nullum unquam officii genus prætermiſſurum, quod uſui poſſit eſſe tuis rebus. Tu quum perfunctis magnis laboribus, eo te receperis, ubi arbitratu tuo in literis, & cum dignitate viveres, non poſſum non probare otium iſtud tuum, quod & tibi honeſtiſſimum, & nobis fructuoſiſſimum eſt futurum. Sed ſcito, res noſtras hic te maxime deſiderare: quibus profecto ſi adeſſes, plurimum opis afferre poſſes virtute tua. Et mihi imprimis gratiſſimum faceres: cujus ego quotidiana conſuetudine hominis omnium præſtantiſſimi, quam familiariſſime uti vellem. Sed viro prudenti non audeo conſilium dare. Patruus meus tibi ſalutem reddit. Vale, & me, quod facis, ama. Romæ XII. Calend. Julii, M. D. XXIX.

EPI-

EPISTOLA XCVIII.

Jac. Sadoletus Episc. Carpent.

B. Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D. (a)

Ejus in retinenda amicitia conſtantiam laudat, ſuamque in illum voluntatem commemorat.

NIhil recordor permultis hiſce annis mihi accidiſſe gratius, neque optatius, quam tuas nuper literas: pleniſſimæ enim fuerunt amoris, ſuavitatis, officii. Quodque ad præclaram jam laudem tui præſtantis ingenii pertinet, eo modo ſcriptæ, ut purius, aut elegantius, quod me legiſſe meminerim, habeam profecto nihil. Itaque duplici ex illis gaudio affectus ſum. Nam cum omnis tuæ erga me voluntatis ſignificatio pergrata: tum vero orationis nitor, & verborum ac ſententiarum venuſtas; quam in ſcribendo adhibuiſti, mihi vehementer jucunda extitit. Simul enim intelligebam legens, & quam tu de me amice honorificeque ſentires: & in eo explicando, quam tu exiſteres dignus, ut de te ab omnibus præclare ac mirabiliter ſentiatur. Nam illa tua dulcis commemoratio ſuperiorum temporum, repetita prope ab ultimo, & producta in hoc uſque tempus, cum illuſtri teſtificatione tui de me judicii, perpetuæque opinionis, tantam mihi lætitiam attu-

(a) Vide notas ad Epiſt. XCVI. pag. 279.

attulit & voluptatem, ut eam verbis conſequi non poſſim. Plane enim perſpicio, id quod his temporibus rarum eſt, in homine præſertim potente, firmam manere apud te amicitiæ fidem, per quam amici, quamvis abſentis, memoriam benevolentiamque conſerves. Sed profecto illud verum eſt quod dici ſolet, eum qui bene a natura ad amplexandam laudem conſtitutus ſit, omnes facile in animo comprehendere virtutes. Quam ego ingenii indolem in te intuens, jam tum a primo, cum etiam pene puer me tibi adjunctum in amicitia eſſe voluiſti; cœpi ſperare continuo magna, eaque de te feci judicia, quæ poſtea eventu ipſo comprobata ſunt. Etſi in eo quidem omnes decepti fuimus, quod ſpem opinionemque noſtram, tuamque una ætatem, virtus ipſa in te longe anteceſſit. Verum hæc ad exponendum longius fortaſſe tempus & copioſiorem deſiderant orationem. Quæ autem ſunt officii, & expoſita alias ſunt, & nunc breviter ſic exponantur: ut ſcias, nihil mihi eſſe magis in optatis, quam tibi perſuaſiſſimum eſſe, me inter tuos, qui pro tua dignitate & ſumma liberalitate permulti ſunt, maxime omnium eſſe tuum. Id quibus aliis officiis poſſit declarari, ſi ſcivero, non committam, ut meum ullo in loco ſtudium requiratur. Hoc quidem ipſe per me præſtabo ſemper, atque efficiam, ut neque ſingularium tuarum laudum commemorationem, neque tuorum de me meritorum memoriam, quæ quidem hoc recente teſtimonio tuæ erga me tantæ voluntatis cumulata ſunt, ulla unquam mihi ex animo aut ex ore ætas deleat. Quod ſi hoc otium, quo ego maxime delector, & quod

quod tu (quanquam te conſuetudinem meam deſiderare præteferas) non probare tamen non potes, Deus mihi fortunaverit: dabo operam profecto, ut me neque in amore, neque in fide amicitiæ, poſterioreis ferre parteis aliqua in re intelligas. Vale, & nos abſentes tuere. Carpentoracti, XVIII. Calend. Septembris, M. D. XXIX.

EPISTOLA XCIX.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTIN.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D. (a)

Petit ab eo etiam atque etiam, ut Antonium Cornazanum Procuratorem ſuum in familiaritatem recipere dignetur.

NON putavi me contra officium eſſe facturum, ſi tuam benevolentiam & ſtudium erga me, quod multis locis ſæpe ſum expertus, ad omneis res, quæ ad me ipſum pertinerent, tua ope conficiendas, familiariter advocarem. Nam neque eſt omnino quicquam, quod mihi ego de te non pollicear, & tua egregia præſtanſque liberalitas ea eſt, ut nos, qui te plurimum & obſervamus & colimus, jam pro noſtro jure prope illa abuti poſſe videamur. Verum id quod peto, hujuſmodi eſt. Antonius Cornazanus, qui mea Romæ negotia procurat, vir probus & fidelis, & in omni

(a) Vide quæ de eo dicta ſunt ſuperius p. 281. & 282.

omni officio retinendo imprimis diligens, mihi eſt propter virtutem & fidelitatem chariſſimus. Eum ego valde mehercule optarim reverti ad nos, ſolitaque officia & munera obire mecum, quæ ſemper mihi ab illo grata acciderunt: quod etiam ipſe non nollet. Sed cum propter cauſas quaſdam vel notas tibi, vel certe non difficiles cognitu, ejus ad nos reditus hoc tempore videatur eſſe interclusus, inque hac re, quæ ſane incommoda mihi eſt, illud tamen poſſit ineſſe commodi, quod in urbe remanens, noſtra obire negotia, & ſi quid mea interfuerit, quod uſu venire in dies ſingulos poteſt, te ipſo quidem patrono & defenſore, id expedire ac tranſigere, plurimaſque mihi in eo operas utiles atque opportunas præbere poterit: ſtatui, quod neceſſario erat faciendum, ad id meum quoque conſilium & voluntatem adjungere. Itaque ei permiſi, vel potius eum hortatus ſum, ut Romæ domicilium habere inſtitueret, nec apud alium tamen, quam apud eum, cujus ego (ſi iſtic eſſem) domo & contubernio potiſſimum uterer. Apud te, inquam, tua ut eſſet in familia, mihi proponere e veſtigio cœpi. Nam nec honoratiorem ſibi dominum, neque majore apud cunctos dignitate, in me ipſum benevolentia, quam te, habere illum poſſe intelligebam: nec vero cujus & animus & autoritas meis rebus eſſet paratior. Quapropter cum res ſic ſeſe habeat, equidem quod mihi abs te petendum eſt, quo id pacto petam non ſatis reperio. Si peto audacter & libere, timeo ne nimis confidens: ſi religioſe & prudenter, ne ullius animi eſſe videar. Ita alterum meus pudor, alterum tua liberalitas, & noſtra vi-

detur conjunctio repudiare. Sed ſi ego in omni vita præcipuum comitem mearum actionum, conſiliorum, voluntatum, pudorem ſemper eſſe volui: nihilque mihi fuit antiquius, quam eum retinere perdiligenter, in quo ornamentum totius vitæ mihi decrevi eſſe poſitum: patieris tu, quæ tua eſt humanitas, te a me rogari atque orari; quod equidem ago ſtudioſe, ac vehementer: ut familiarem meum virum optimum, quem ego multis de cauſis mirifice diligo, tuum familiarem eſſe velis: ſtatuaſque eo apud te domi habendo, mei quoque abſentis partem non parvam te habere: quippe cum crebrior multo futura ſit, & tuorum beneficiorum inſtauratio erga me, & ſignificatio meæ perpetuæ erga te voluntatis: quæ quidem illo interprete quotidie magis tibi declarabitur. Sed vereor ne quod modice, & cum religione me rogaturum dixeram; id jam non rogare, ſed efflagitare videar. Quare plura hæc fortaſſe quam opus fuit. Illud tantum adjungam: ſi hominis opera & obſequio uti inſtitueris, magnam te ex ejus fide & diligentia commoditatem eſſe capturum. Mihi vero ita gratum facturum, ut tua quotidiana merita erga me, quibus ego tibi me devinctum eſſe confiteor, hoc etiam facto non parum cumulata futura ſint. Vale VIII. Calend. Octobr. Carpentoracti M. D. XXIX.

EPI-

EPISTOLA C.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoract.

Jacobo Simonetæ Epiſc. Piſauri S. P. D. (a)

Scribit de ſuo in Pſam. XCIII. *Commentario typis edito.*

Semper cognovi ſingularem in te prudentiam: amorem vero erga me pluribus jam rebus etiam expertus ſum. Sed crede mihi, poſteriores literæ tuæ utriuſque rei certiſſimum teſtimonium mihi attulerunt. Nam & cum benevolentia conſilium, & in conſilio benevolentiam erga me tuam omnem oſtendêre. Itaque ego, homo minime timidus, qui ea quæ ſcripſeram, curaveram etiam ut viderent iſti ipſi quos contra videbantur eſſe ſcri-

 pta,

(a) Hic Mediolani ex Joanne Simonetta, & Catherina Barbavaria nobili genere natus, magnum ab adoleſcentia, præclaris editis ingenii monumentis, docti eruditiſque viri nomen adeptus eſt. Quare an. 1505. a Julio II. Aulæ primum Conſiſtorialis Advocatus electus, mox inter Sacr. Rotæ Romanæ Judices adſcriptus, demum Auditor cauſarum Sac. Palatii, eodem Julio Pontifice, Concilio Lateranenſi interfuit. Quum ſub ſequentibus temporibus Leoni X. Clementi VII. ac Paulo III. egregiam ac laudabilem operam navaſſet, tandem anno 1535. ab ipſo Pontifice Paulo inter Purpuratos Patres relatus eſt. Obiit Romæ Kalend. Novembris an. 1539. Extat ejus Tractatus de *Reſervationibus Beneficiorum* a Paulo deinceps Granutio auctus. Vid. Ciaccon. tom. 3. col. 570.

pta, ut eorum iniquiſſimi in miſerorum fortunas impetus magis refringerentur, cum me non periculi mei cogitatio, ſed officium & pietas imprimis moverent: ut primum literas tuas legi, ſtatui eſſe nefas, non parere ſapientiſſimi atque amiciſſimi hominis autoritati, vetuſque ſuſtuli procemium, atque omne argumentum alia quadam ratione explicavi (*a*). Quod ipſum, librumque totum una inſcripſi, atque miſi homini ſumma virtute ac omni dignitate ornatiſſimo Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni (*b*) quocum magnus mihi uſus, & omnium officiorum ſumma neceſſitudo intercedit, qui nunc in Italiam proficiſcens, Venetiis imprimendum curaturus eſt (*c*). Quod ſi mihi librariorum copia fuiſſet, libenter tibi illum ante legendum miſiſſem, uſuſque eſſem tuo potiſſimum judicio, cui plurimum profecto tribuo. Sed in ſumma inopia & difficultate eorum qui deſcriberent,feci quod neceſſe fuit: ſtatuique eſſe commodius ad plurimorum manus eum celeriter devenire, quam ad unius ſero. Quanquam unus tu mihi pro pluribus ſis ſemper futurus. Sed ignoſces feſtinationi huic meæ, multis enim de cauſis properavi ut ille liber quam

(a) Vide quæ de hac re habentur in notis ad Sadoletì vitam pag. xxix.

(b) Loquitur heic Sadoletus de Commentario in Pſalmum xciii. Hujus commentarii Epiſt. nuncupatoriam ad Federicum Fregoſium habes pag.253. De hoc opere multis egimus in notis ad Sad. vitam pag.xxix. & xxx.

(c) Vide Epiſtolam cii. quæ eſt Bembi ad Paulum Sadoletum pag.297.

quam primum in publicum exiret. Tu tamen ſic eum legito ut ſi res in integro ſit. Multa enim alia paro ac meditor, quibus accuratè perpendendis atque examinandis opportuna ſemper mihi futura eſt doctrina & admonitio tua. Sed hæc hactenus. De honore tuo quod ad me modeſtiſſime atque humaniſſime ſcribis, ſcito me hunc ipſum honorem quo præditus ſum, multo graviorem illuſtrioremque putare, poſteaquam tu ad eundem es vocatus. Facit enim tua eximia virtus, & præſtans in omni juſtitiæ laude integritas, ut nullus honor tantus ſit, quem tu dignitate perſonæ tuæ ornare amplificareque non poſſis. Sed hæc quoque, quæ longiorem deſiderant orationem, in aliud tempus rejicienda ſunt. Tu valebis, & nos diliges, tibique perſuadebis, te a nobis vere fraterno animo amari & coli. Carpent. XVI. Cal. Junii, M. D. XXIX.

gratiam. Quod enim maximo cum labore, nequeo tamen aſſequi, id ſum tua opera ſine labore ullo meo perfacile adeptus. Ac ad reliquas quidem ſuavitates multas ac magnas, quibus me affectum ſenſi, illa acceſſit, cæteris non minor, quod temporum noſtrorum, veterumque dictorum, ac factorum, quæ nobis unquam inter nos acta & communicata ſunt, omnium eſt mihi memoria ex illo libro renovata, tum cum erat noſtra ætas ad omnem alacritatem & animi hilaritatem longe aptior. Habita quoque eſt illuſtris mentio multorum fortium virorum, quibus cum utrique noſtrum jucundiſſima fuit familiaritas: quorum partem maximam mors nobis eripuit. Quo etiam tu majorem officii & pietatis laudem es meritus. Quos enim juvenis apprime dilexiſti, eos ætate jam provecta eis honoribus exornas, per quos & virtus una eorum, & tui præſtantis ingenii laus immortalitati conſecratur. Sed hæc hactenus. Etenim cum ſcribam negligentius, ſimque animo ſuſpenſior, verendum mihi eſt, ne tanquam omnia conans dicere, parum tamen dixiſſe videar de eo, de quo nihil ſatis pro dignitate dici poteſt. Itaque venio ad alteram partem. Contendiſti enim tu a me per literas pluribus verbis, ut in corrigendo & mutando, quæ mihi mutanda eſſe viderentur, neu ſtylo parcerem, neve ullam in eo amoris, aut indulgentiæ ducerem rationem. Ergo obtemperare tuis præceptis volens, annotavi nonnulla, hercule magis ut fidem tibi facerem diligentiæ meæ, quam quod valde neceſſarium arbitrarer. Sed malui tibi ſuperſtitioſus, quam parum ſervans religionis videri;

Ea tu porrò in optimam partem accipies. De reliquo, mi Bembe, aliqua ſemper inter noſt in quo te non deſinam hortari, ut omiſſis alienioribus ſcriptis, te ad hoc genus ſcribendi totum conferas, in quo quidem facile tueri principem locum potes. Illuſtrabit, mihi crede, hæc tempora, & nomen ſimul tuum Latina oratio, quæ & gravitatem majorem habet in ſeſe, & utilitatem ad omneis res accommodatiorem. Quanquam & hoc, & omnia, multo tu melius. Federicus Fregoſius his proximis diebus in Italiam profectus eſt, matris etiam ipſe morte evocatus. Ei ego miſi commentarium quendam, in quo de ſacris agitur rebus Venetiis imprimendum (a). De quo ſi tu quid audieris, (nam non ſum auſus hoc genus ſcriptorum ad tuum judicium deferre tanquam a levioribus ſtudiis alienius), peto a te pro noſtra amicitia, ut aliquam curam adhibeas, quo ſine mendis edatur. Hoc ſola autoritate aſſequi potes, & ſi tibi oſtenderis gratum id futurum eſſe. Noſtris communibus amicis, & Colæ tuo, quem ego quoque non mediocriter diligo, plurimam dic ſalutem. Vale mi chariſſime Bembe, & nos ut facis ama. Carpentoracti, VI. Cal. Junii.

(a) Et qnidem ab Antonio Blado typographo, qui Aſulanus a Sadoleto in alia Epiſt. vocatur, atque ita ſe ipſum vocat in Statutis *Civitatis Reatæ* an. 1549. Vid. Epiſt. præfixam ſtatutis Romæ an. 1567. quo anno mortuus eſt.

EPI-

EPISTOLA CII. (a)

Pietro Bembo

A M. Paolo Sadoleto. (b) *a Modona*.

Dialogum de Urbini Ducibus ſibi redditum narrat; quem, quoniam Patruo probatur, ſe editurum profitetur. De Archiepiſcopi Salernitani in Italiam adventu gaudet, ſpondetque ſe curaturum ut Jac. Sadoleti Commentarius in Pſalmum XCIII. *Venetiis imprimatur.*

Increſcimi, che non ſiate potuto venir fin quà; come dite aver diſiderato, & penſato di fare. Percioché io arei veduto & conoſciuto quel giovane, il quale & perchè è nipote di Monſignor di Carpentras, & perchè è egli di molta, & di ſingolar virtù, & d'ottime lettere, io amo grandemente & gli ſono affezionatiſſimo. Ma poichè le voſtre occupationi non l'hanno permeſſo, mi rimarrò contento di ſentirvi toſto dover tornare a Monſignor voſtro Zio. Ho riavuto per lo voſtro meſſo il mio Dialogo (c) inſieme con le vo-

(a) Extat Epiſtolarum Bembi Italicarum tom. 3. pag. 118. edit. Venetæ.

(b) Eſt hic Jacobi noſtri fratris patruelis filius, de quo inferius in aliis Epiſtolis redibit ſermo.

(c) Eſt hic Dialogus de Guido Ubaldo Feretrio deque Eliſabetha Gonzaga Urbini Ducibus, de quo vide Epiſt. antecedentem, & notas in Epiſt. LXII. pag. 165.

voſtre lettere & quelle di Monſig. voſtro (*a*). Et vi ringratio della fatica preſa in ciò. Ne v'era meſtiere d'alcuna ſcuſa per la tardità: che è ſtato per tempo aſſai. Quanto al priego mi fate di toſto mandarlo fuori, poſcia che io ne ho & la licentia di Monſignor voſtro, & la voſtra eſſortatione, io il laſcierò partire da me fra pochi giorni, & rimanderollo a S. Sig. impreſſo. Piacemi della novella, che mi date, della venuta di Monſignor di Salerno in Italia (*b*), nè potea ſentir coſa più cara, ſe io non vi ſentiſſi Monſignor voſtro molto contento & con quel medeſimo ripoſo, che egli ha & gode nel Veſcovato ſuo. Se egli manderà in quà il Commentario di Monſign. voſtro (*c*), il quale io deſidero molto di vedere; non gli ſi mancherà di buona diligenza, perchè egli eſca & corretto & vago. State ſano il mio M. Paolo a me non meno di figliuol caro. A' XXVIII. di Luglio M. D. XXIX. di Villa.

(a) Hæ Sadoleti ad Bembum litteræ habentur ſupra pag. 294.

(b) Eſt hic Federicus Fregoſius Archiepiſcopus Salernitanus. Conſule ſequentem ad eum Sadoleti Epiſtolam CIII. p. 299. quæque de eodem diximus in notis ad Sadoleti vitam pag. IX. Vide etiam Bembi litteras ad eumdem Fregoſium Patavio Bononiam miſſas Idib. Novembris ann. 1529. quæ extant Epiſtolar. Famil. lib. VI.

(c) Commentarium innuit in Pſalmum XCIII. Federico Fregoſio dicatum, de quo vide notas in Epiſt. C. pag. 292. & Epiſtolam quæ ſequitur CIII.

EPI-

EPISTOLA CIII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni S. P. D.

Quærit ab eo quonam ſe conferre ſtatuerit; ab eoque litteras expetit.

POſt tuum è Gallia diſceſſum, adhuc nihil abs te accepimus literarum. Quod mirarer equidem, & tecum quaſi expoſtularem, ſi hanc tuam culpam, ac non eorum eſſe arbitrarer, qui quas literas ſuſcipiunt perferendas, eas aut negligentia, aut perfidia non curant reddere. Nam quin tu jam aliquid ſcripſeris, mihi perſuadere nullo modo poſſum. Admonet enim me, cum ipſum ſpatium ejus temporis, quod a tuo abitu ad hunc diem interceſſit, menſium trium jam fere: in quo non ſcribere modo nobis, ſed ſcriptitare etiam potuiſti: tum verò tua illa mihi nota humanitas & inſignis erga me benevolentia vetat, me quicquam de officio tuo ſuſpicari, quod aliter ſit ac deceat. Es enim profectò memor non ſolum expectationis meæ, ſed tuæ etiam promiſſionis: cum Lugduno confeſtim jam decedens Italiam verſus, literas ad me manu tua dediſti, in quibus erat ſcriptum, te cum primum in Italia conſtitiſſes, curaturum, ut de omni tuo ſtatu fierem certior, rationemque initurum qui & tutò, & facilè commeare inter nos literæ poſſent. Ac mihi quidem, cur in expectatione

non parva tuarum literarum eſſe debeam; cauſæ complures ſunt. Primùm, meus ſummus in te amor, qui non ſinit intermitti apud animum meum cogitationem tui. Quapropter etiam de ſalute & incolumitate tua ſolicitus, omnem eventum itinerum tuorum ſcire valde cupio: neque ſolum ut valeas, ſed quid agas etiam, acturuſque ſis, & quibus in locis conceſſurus, Romæ ne, ut eſt nonnullorum opinio, an alibi certo aliquo in loco. Deinde de Pſalmo meo aveo mehercule aliquando cognoſcere quid ſit factum: & ſi hæc quidem cura & cogitatio non minus ad te, quam ad meipſum pertinet. Communis enim ex illo ambobus nobis eſt honos: ſi tamen ex illo aliquis honos. Sed mea præcipua erat expectatio, quod maxime in hoc tempore meis rationibus conducebat, illum jam eſſe editum. Hanc ſpem tardari, & differri in tam longum tempus, ſane mihi quam moleſtum eſt, eritque quouſque quemadmodum ſeſe habent res, ex tuis literis certum cognoro. Nam ſi ii, quibus liber imprimendus miſſus eſt, rem forſitan contemnant, neque ſtatuant idoneam, in qua videatur eſſe elaborandum, præciſum iſthic quidem eſt omne negotium: ſed citò id mihi oportuit ſignificari: vel enim abjeciſſemus de eo curam omnem, vel ad Lugdunenſeis tuos impreſſores converſi fuiſſemus. Sin eſt autem ut & probent materiam, & in ſcriptione vitium non reprehendant, quod equidem malim, permagni faciens hominum doctiſſimorum judicia, quorum & copia, & gloria abundat illa civitas, quænam iſta quæſo, & unde exoritur tanta cunctatio? Sed ut ſit in his rebus quæ ignorantur, quarum ratio

tio certa conjici nulla poteſt, ſic mihi permulta de hac re cogitanti, vagari ſuſpicione qua volo licet: firmo aliquo conſilio conſiſtere non licet. Qua ſolicitudine animi quieſci tum poterit, cum tu me de re omni certiorem feceris. Tertium illud eſt, quod ego expecto a te, ut ſciam, qua, & per quos epiſtolas mittere tuto poſſim: mirum enim me tenet deſiderium ſæpius laceſſendi & compellandi tui: cum tu præſertim jam locis a nobis factus disjunctior, omnem ſpem oblectationis meæ tecum, in literis ſolis reliqueris. Cujus ego diſceſſu in hoc tanto regno videor penè ſolus relictus: hoc etiam magis, quod profectionem tuam prope continuo eſt Paulus noſter conſecutus. Is enim paternæ mortis ſubito caſu, & inſperato compulſus incommodo, quo rem familiarem & pupillos fratres ſuos inviſeret, conſtitueretque res domeſticas ante diem V. Calend. Junii hinc eſt profectus, cum tu octo diebus ipſis anteceſſiſſes: cujus tamen reditus nunc nobis in expectatione eſt, extremus enim Sextilis erat reverſioni conſtitutus: quam diem intelligis appropinquare. Qui ſi tecum potuit in Italia congredi, quod quidem ipſe & maximè expetebat, & fieri poſſe non diffidebat, planè ab eo fueris de omnibus noſtris rebus edoctus. Nos literas ejus non habemus ante diem X. Calend. Quintilis, neque hoc ſine aliquo animi noſtri ſcrupulo. Cogit enim nos vereri propemodum omnia, vel benevolentia, qua illum ut ſi filius eſſet unicus, complectimur, vel poſteritatis cogitatio, cujus omnem ſpem & rationem in illo uno repoſuimus: vel quod gravi anni tempore, & inſalubri fere ubique gon-

gentium cœlo, omne corporis periculum videtur eſſe pertimeſcendum. Sed tamen in ſpe bona ſumus. Tu ſi nos diligis, quod profectò facis, ne me patiare obſecro, tamdiu in deſiderio tuarum literarum eſſe. Etiam pro tua humanitate curabis, ut aliqua volumina ad nos, libro impreſſo, demum mittantur, quo poſſimus amicis munuſcula cum epiſtolis deferre. Vale, & ad nos quamprimum ſcribe, Bembumque noſtrum mirificum hominem, omni ſumma virtute præditum, eundemque conjunctiſſimum utrique noſtrum, aliquando nactus opportunitatem, meis verbis jube ſalvere quamplurimum. Carpentoracti, Idib. Auguſti, M. D. XXIX.

EPISTOLA CIV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Aug. Grimaldo Epiſc. Graſſæ (a)
S. P. D.

Pro collatis in ſe, ac in Paulum fratris filium beneficiis, gratias agit.

OMnibus in rebus tuus amor erga me ſemetipſum oſtendit: quod etſi mihi eſt peroptatum, re & factis ſæpius apparere quantopere tu me diligas: tamen quod tibi nihil adhuc poſſum reddere præter benevolentiam, & memorem pro tuis jam pluribus officiis erga me voluntatem, aliqua cura afficior, ne cui indi-

(a) Vide notas in Epiſt. x. pag. 39.

indignus talis viri tanto erga me ſtudio eſſe videar. Quod ego a te peto, ut ne ita credere animum inducas. Crebrior tibi, & felicior data eſt occaſio bene merendi de me, & propter amplitudinem poteſtatis, & propter excellentiam virtutis. In quo verò & fides agitur, & officium, & fidelis amicitiæ firma conjunctio, mori millies malim, quam quoquam in eo eſſe inferior. Sed quorſum iſta? Paulus fratris filius, quem ego mihi pro filio duco, nuper reverſus ad nos, mihi narravit, quo pacto fuerit acceptus a te: ut non ſolum amorem, quo me proſequeris, ſed humanitatem etiam, & liberalitatem tuam, quæ ſumma eſt, totam effuderis in eum: aliquotque locis ea de me præſentibus audientibuſque compluribus dixeris, ex quibus perſpicuè pateret, & quantum me amares, & quam amice de me atque honorificè non ſentires ipſe ſolum, ſed alios etiam velles ſentire atque exiſtimare. Hæc tua recentia officia, quæ aliis jam plurimis accumulata ſunt, ſi oblivíſci aut diſſimulare velim, ingratus & nefarius: ſi verbis compenſare, ineptus ſanè exiſtimer. Sed in re difficili ad capiendum conſilium & dubia, malui tamen ſcribere ad te aliquid, & gratias tibi agere, quam omnino me videri mutum. Eas igitur tibi & ago & habeo quam maximas, habituruſque ſum ſemper, donec vita ſuperabo mea. Et quoniam alia mihi non eſt de te bene promerendi facultas: illud quod ſperare nonnihil poſſe mihi videor, ſi hoc ocium quo nunc fruor, Deus mihi fortunabit, tibi polliceor, me omnem operam daturum, ut & tuæ eximiæ virtutis, & meæ erga te ſummæ benevolentiæ ac volun-

luntatis, aliquod non obſcurum judicium prodatur poſteritati. Sed & hoc parum eſt, & tu multo majoribus es dignus. Nos tamen id quod poſſumus libenter præſtabimus, in quo animus tibi noſter, non res ipſa eſt ſpectanda. Vale, & nos amare ne deſine: tibique perſuade viciſſim, te a me non amari ſolum, ſed mirabiliter etiam obſervari, & coli, Carpentoracti, XV. Calend. Octobris, M. D. XXIX.

EPISTOLA CV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Thomæ Cajetano S. R. E. Cardinali (a) S. P. D.

Quod incolumis ad Urbem pervenerit, gratulatur, ejuſque in adverſis patienter ferendis conſtantiam laudat.

LÆtus ſum, te Romam ſalvum atque incolumem revertiſſe: quod ut primum cognovi ex meorum literis, confeſtim ſcripſi hæc ad

(a) Thomas hic ex gente Viorum ſeu de Vio, non ignobili Cajetæ in Latii Urbe celebri ac pervetuſta, anno reparatæ ſalutis 1470. ortus eſt. Optimis diſciplinis ac moribus ſupra ætatem inſtitutus, adoleſcens admodum Ord. Prædicatorum familiæ nomen dedit. In ea quum propter excellens ac præclarum ingenium ſuum unus omnium maxime floreret, ab Oliverio Carafa Cardinali Romam accerſitus, in ampliſſimis ſibi delatis muneribus obeundis ita ſe geſſit, ut omnes faci-

ad te, cupiens tecum loqui per literas, quando (quod libentiſſimè facere ſolebam) coram amplius non poſſum. Non enim meus in te amor, & ſingularis obſervantia, qua te ſemper ſum proſecutus, aut ſpatio temporis, aut locorum intervallis diminuta eſt. Nec ego unquam obliviſcar, unum te ſemper extitiſſe, qui me ex animo dilexerit, fueriſque mihi in re-

---

cile in ſui amorem admirationemque pertraheret. Quare ad ſupremum Ordinis ſui magiſterium evectus, & ad gravia Eccleſiæ negotia a Julio II. Pont. Max. adhibitus, adeo cunctis operam probavit ſuam, ut Cajetani nomine nullum in Urbe clarius effulgeret. Tanta hominis, non minus de ſuo ordine, quam de re Chriſti publica optime meriti virtute, Leo X. permotus, eum Kalend. Julii an.1517. in Cardinalium Collegium cooptavit;ac poſtea Legatum de Latere ad Maximilianum Cæſarem miſit,ut Marthinum Lutherum perditum hominem, furentem audacia, divina & humana jura in Germania pervertentem, conſilio, authoritate, ſapientia ſua ad officium reduceret. Romam reverſus Thomas, ab Adriano Sexto Pont.Max. qui Leoniſucceſſerat,ad Ludovicum adoleſcentem Pannoniæ Regem a Scytha bello petitum, miſſus legatus, vix Pannoniæ fines attigerat, quum Rex temere collatis ſignis, omnibus ſuis ad unum amiſſis, ſaluti fuga conſulens, in paludum coeno miſere interiit. Quare Romam ipſe reverſus,Clemens VII.Adriani ſucceſſor præclara ejus opera conſilioque omnibus in rebus uſus eſt. Obiit anno 1534. die IX. Septembris, ut patet ex inſcriptione quæ in Templo S. Mariæ ſupra Minervam, ſepulchro ejus inciſa eſt, quæque affertur a Ciaccon. tom.3. col.392. Vitam ejus ſcripſit Antonius Fonſeca Luſitanus Ord. Præd. nec non Joannes Baptiſta Flavius, qui fuit illi a Secretis, quique eum mortuum frequenti Senatu funebri oratione laudavit. Vide quæ de ejus operibus habentur apud Echardum in Biblioth. Ord. Præd.

in rebus meis omnibus perpetuus propugnator & fautor. Pro quibus meritis ego tibi viciſſim omne meum ſtudium, omnem meam obſervantiam, cultum, honorem, benevolentiamque dicavi: tuique tuarum maximarum virtutum, quas ego admirabar, apud cæteros prædicator. Nunc disjunctis nobis tanto terrarum & regionum ſpatio, & tuum nihilominus amorem erga me eundem manere confido, & de meo tibi plane polliceor. De temporibus autem his, deque hac ſtrage rerum omnium & ruina, per quam cuncta oppreſſa ſunt, nihil ſane tibi ſcriberem in hoc tempore, neque tantorum malorum acerbam memoriam refricarem, niſi intelligerem, quod cæteris dedecori & calamitati fuit, id ad ſingularem tuam laudem eſſe converſum. Quod enim adverſos caſus patienter tuleris, fortunarumque tuarum jacturam pro minimo habueris, præſtiteriſque te in omni fortuna firmum atque conſtantem, præclara laus, & docto homine ſapienteque digna (*a*). Sed tamen

(a) Loquitur heic Sadoletus de iis quæ pertulit Cajetanus in Romana clade; qua de re hæc habet Ciacconius ſive potius Oldoinius loc.cit. „ In tumultibus vero, quibus Italia tota & Urbs ipſa Romæ vexata eſt, „ quando nempe Borbonius Romanam Urbem afflixit, „ commorabatur Cajetanus Capranicæ. Certior ibi factus de Romana clade in amici cujuſdam domum ſe „ abdidit, quam Germani jam depopulati fuerant; „ ideoque tutius ibi eſſe poſſe arbitrabatur. At cum „ Hiſpanus quidam reſciſſet, Cardinalem ibi retineri, „ comparata militum manu, impetu in domum facto, „ Car-

men tibi cum quibuſdam eſt aliis cummunis. Non enim defuerunt (quam ego conjecturam de meipſo facio) quos bonorum ſuorum amiſſio de ſtatu ſuo minime dimoverit. Sed quod in tanto armorum ſtrepitu tumultuque bellorum, furore hominum crudeliſſimorum atque avariſſimorum omnia perfringente, tam multis cædibus, direptionibns, incendiis, in pace & otio eſſe potueris, & ad literas ſacras toto animo ita incumbere, ut utrumque Inſtrumentum noſtræ fidei ſanctiſſimæ interpretandum ſuſceperis, totumque pene abſolveris: nec te aut periculi tui metus, aut alienorum incommodorum dolor, ab ea cura & intentione animi avocare potuerit: hoc eſt, quod ego imprimis novum & admirabile eſſe duco. Inſolita iſta virtus, & incredibilis quædam animi altitudo fuit, quæ effecit, ut in tantis communibus miſeriis ſolus & placatus, & beatus eſſes. Quo etiam magis tuum hoc opus videre deſidero: quod poſteris quidem noſtris tui excellentis ingenii, nobis verò etiam virtutis & admirabilis conſtantiæ perhibeat teſtimonium. Equidem, quod ad me attinet, ipſe quoque in literis verſor: ſed conditione impari. Nam nec ingenio multum poſ-

„ Cardinalem captivum duxit, a quo ſi libertatem cuperet, quinque aureorum millia poſtulavit, & habuit. Eo tunc miſeriæ pervenit Thomas, ut ſi a Garzia Manriquez veſtem non accepiſſet, inter homines minime verſari potuiſſet. Pacatis Italiæ rebus, Setia, quo ſe contulerat, Romam veniens, liberaliſſime ab omnibus Romanis, atque ab ipſo Pontifice exceptus eſt, &c.

poſſnm & animo ſum infirmior: quanquam mei damni cogitatio me nunquam, plurimum autem afflictæ reipublicæ miſericordia commovit: tum autem maximis hìc difficultatibus in re familiari ſum conflictatus. Etenim mihi fuit neceſſe pro natura & inſtituto conſuetudinis meæ, omneis meos & veteres, & novos recipere familiares, qui undique egentes & nudi ad me confluxerunt. Sed de his ſatis. Ego, ut etiam dixi, amorem & obſervantiam, quam erga amplitudinem tuam ſemel juſtiſſimis de cauſis ſuſcepi, eam inviolabilem retineo, ſemperque retenturus ſum; Tu ut in me amando pari voluntate ſis, tuumque animum illum priſtinum, quem ego multis rebus olim habeo cognitum, erga me conſerves magnopere a te peto. Vale. Nonis Novembris M. D. XXIX. Carpent.

EPI-

EPISTOLA CVI.

Jacobus Sadoletus Episc. Carpent.

Angelo Colotio S. P. D. (*a*)

Primum de communibus amicis viris illis temporibus eruditiſſimis, mentionem habet, poſtea ſua adverſa fortuna commemorata, cauſas exponit, quibus ab Urbe diſceſſerit.

SÆpius jam litteris meorum certior factus ſum, vivere apud te & cæteros iſtic æquales noſtros, quos fortuna nobis reliquos fecit, mei memoriam abſentis; ſanctumque illud fœdus amicitiæ, quo vetuſto admodum conjuncti inter nos ſumus, ſuam apud vos religio-

(a) Hic ex diſciplina profectus Joviani Pontani Umbri (qui Neapolim ad Aragonios reges ſtudium attulit politioris doctrinæ, & quo auctore & principe ora illa omnis beatiſſima elegantiſſimis & artibus & hominibus frequentari cœpta eſt) inter Leonis Decimi *Secretarios* adnumeratur a viro diſertiſſimo Philippo Bonamico in lib. de *Claris Pontificiarum Epiſtolarum ſcriptoribus* pag. 229. Eum Pierius Valerianus lib. 1. de *infelicitate literatorum* incomparabili probitate virum, & græce latineque doctiſſimum appellat. A Clemente Septimo Pontificatu Nucerino auctus, atque Aſculo cum imperio præfectus, eam provinciam ſancte prudenterque adminiſtravit. Literatorum amiciſſimus fuit, quippe cui Ælius Calentius, Poeta inſignis, ſuoa quatuor elegiarum libros, & Antonius Mancinellius ſermonum Decadem, ipſe denique Pontanus *de Magnanimitate* librum inſcripſerit. Ejus exaravit vitam Federicus Ubaldinus, eaque typis Romanis anno 1673. eſt evulgata.

ligionem obtinere. Quod mihi cognoſſe fuit jucundiſſimum: etſi hoc verbum, propter eas ruinas quibus oppreſſa ſunt omnia, jam dudum ex uſu atque animo noſtro ſublatum eſſe videatur. Sed tamen cum mihi ſcribitur (id autem fit fere quotidie) te & Petraſanctam meum, cujus ego excellens ingenium & & naturam liberam atque ingenuam dilexi ſemper, & Thebaldeum magno honore ac laude dignum hominem (*a*); Curtium quoque noſtrum, cujus plura jam extant cum literarum atque ingenii, tum amoris erga me atque officii indicia ac monumenta, amanter ſæpè percontari de me, meamque priſtinam deſiderare conſuetudinem: profectò hominum cum mihi mea voluntate & judicio chariſſimorum, tum ſua virtute ac dignitate honeſtiſſimorum, crebra de me mentio, eademque plena amoris & deſiderii maximam mihi voluptatem affert. Nihil enim eſt homini cum fide amicitias colenti, quo me ex genere hominum eſſe profiteor, pari amicorum erga ſe voluntate optatius. Ac mihi recordanti ſpatium præteriti temporis, & vetera animo repetenti, cum & plures convenire ſoliti eramus una, & erat ætas noſtra ad omnem alacritatem animique hilaritatem longe aptior: quoties venire in mentem putas eorum cœtuum conviviorumque, quæ inter nos crebrò habe-

(a) Antonium Thebaldeum fortaſſe Ferrarienſem Poetam innuit, cujus extat carminum liber etruſce conſcriptus. Extant ad eum Bembi Italicæ Epiſtolæ tres vol. III. Obiit circa an. 1537. De eo vide Marium Creſcimbenium in opere, cui tit. *della volgar poeſia*.

habere ſolebamus (*a*): cum aut in hortis tuis ſuburbanis, aut in meis Quirinalibus, aut in Circo maximo, aut in Tyberis ripa ad Herculis, alias autem aliis in urbis locis conventus habebantur doctiſſimorum hominum: quorum unumquemque & propria ipſius virtus, & communis cunctorum prædicatio commendabat. Ubi poſt familiares epulas, non tam cupedia multa conditas, quam multis ſalibus, aut poemata recitabantur, aut orationes pronuntiabantur, cum maxima omnium noſtrum qui audiebamus voluptate: quod & ſummorum ingeniorum in illis laus apparebat, & erant illa tamen quæ proferebantur plena feſtivitatis ac venuſtatis. Quo in genere recordor preſſum & acutum Caſanovam, Capellam latum & ſonantem, magniloquum Vidam (*b*), & cujus proxime ad antiquam laudem carmen accederet: caſtigatum & prudentem Beroaldum: uberes autem & ſuaveis Pierium, Granam, Mathalenum, Bloſium (*c*), quoſque

(a) Hinc Philip. Bonamicus in Dialogo ſæpius laudato pag. 329. de Colotio tradit, quod *Romæ domum ſuam patere voluerit doctis quibuſque viris, cujus ſplendor non ineptis deliciis, ſed veteris Romæ eruditis monimentis, & lectiſſimorum librorum copia conſtabat.*

(b) De Vida inferius redibit ſermo.

(c) Bloſius Palladius Sabinus, Caſtro veteri in Sabinis ortus poetica facultate maxime valuit; ſuiſque carminibus Suburbanum Auguſtini Chiſii viri nobiliſſimi (qui Romæ illis temporibus apud principes civitatis viros authoritate & gratia unus omnium maxime florebat, ſummiſque præfulgebat opibus) potiſſimum illuſtravit. Extant quoque aliquot hujuſce Palladii Hendecaſyllabi atque epigrammata in libro cui tit. *Coryciana*. Tribus Romanis Pontificibus, Clementi nimirum VII. Paulo

quoſque complures noſtra perſpexit ætas, partim carmine, partim ſoluta oratione eximios: cujuſmodi Nigrum noſtrum Tulliana in dicendo gravitate (*a*), Antoniumque Venantium, & Binium (*b*) in utraque enitentem lingua. Acres autem in judicando, & imprimis acutos, Ubaldinum (*c*), & Antonium, cui Computiſtæ cognomen eſt. Quo è numero multi in utroque genere dicendi egregiam ſibi laudem a doctis omnibus comparaverunt. Nam illa ornamenta & lumina Romanæ linguæ, Phædrus & Camillus Porcius, magno cunctorum incommodo jamdiu morte erepta nobis ſunt; in quibus ſedem ſibi videbatur ſtatuiſſe eloquentia. Cujus nunc honorem atque nomen, conſenſu jam urbanorum omnium, retinet Paulus Jovius (*d*), & in ſcribenda hiſtoria gravis & in omni genere literarum perpolitus. Quin & duorum ſummorum hominum me admonet recordatio, fuiſſe quoque eorum conventu noſtras aliquando cœnas atque epulas exornata: quorum eſt unus Petrus

---

Paulo III. & Julio III. a Secretis fuit; a quorum ſecundo, hoc eſt Paulo, Epiſcopatu Fulginati auctus eſt: quo abdicato Romam ſe contulit, uti obiit an. M. D. LVIII. ſepultuſque eſt in Templo S. Mariæ in Aquiro, uti conſtat ex inſcriptione quam ei ibidem Incurabilium Orphanorumque ſocii hæredes poſuere an. M. D. L. Eum laudat Philippus Bonamicus in lib. de claris Pontificiar. Epiſtolarum ſcriptoribus pag. 113. & 236.

(a) De Nigro, vid. ſupra pag. 189. & alibi.

(b) De Bino, vide notas in Epiſt. LXVII. pag. 177.

(c) Ubaldinum fortaſſe Bandinellum indicat, de quo infra ſermo redibit.

(d) De Paulo Jovio conſule quæ habentur inferius in notis ad Epiſtolam Sadoleti eidem ſcriptam, quæ extat ad calcem anni 1533.

trus Bembus (*a*), cujus in omni virtute laudeque eloquentiæ ſumma & ſingularis ſemper fuit gloria: alter qui nuper in Hiſpania deceſſit maximo cum mœrore omnium quibus fuerat notus, hoc eſt plane omnium, Balthaſar Caſtilioneus (*b*), magnus vir imprimis, nec ſolum nobilitate & genere, ſed magnitudine etiam animi, & omni eximia virtute præſtans: quique, quod in militari viro erat admirandum, omneis omnino arteis libero homine dignas, & omnia doctrinæ genera comprehenderat: quem ego recordor ſæpe atque hilare noſtris cœtibus interfuiſſe: & ipſum, & eum qui paulo ante eſt mortuus, ſumma indole ingenii & ſpe maximæ virtutis, Joan. Franciſcum Furnium civem meum. Namque hos qui modo ſecutus ſupremum in Gallia obiit diem, pari cum illis virtute & nobilitate præſtans, Andreas Navagerius (*c*), tametſi noſtris cœtibus minus ſæpe interfuerat; propter excellentem tamen in literis & ſcientiam & gloriam, a nobis eſt perhibendus. Lazarum (*d*) autem qui nunc abeſt a nobis, cujus in Græcis & Latinis ſingularis eſt eruditio, quique philoſophiæ & ſapientiæ ſtudia non ſolum ſcientia, quod faciunt permulti, in quibus

(a) De Pet. Bembo vide quæ diximus in notis ad Sadoleti vitam pag.x. & ad Epiſt.1I. pag.4.

(b) Hic inter inſignes ſui ſeculi poetas etruſcos principem ferme locum obtinet. Extat Leonis X Epiſtola ad eum data (quæ eſt Pontificiar. Sadoleti xxiv. p.34.) qua Nubilariæ caſtrum a Franc. Maria Urbini Duce illi conceſſum, eidem confirmat.

(c) Vide hujus vitam a Joanne Vulpio eleganter adcurateque deſcriptam, ejuſque operibus præpoſitam.

(d) Laz. Bonamicum, de quo pag.174.

tamen excellit; ſed vita & moribus; & vera virtute complexus eſt; credo equidem vobis in deſiderio eſſe. Itemque Marium Volaterranum (*a*), hominem gravem jam & dignitate, & annis: ſed cujus admirabile ingenium, ſumamque optimarum literarum cognitionem, niſi urbs & urbanæ curæ præpediviſſent, plurimum lucis allaturum noſtro ſeculo non dubito fuiſſe: a quo potiſſimum exhilarabantur cœnæ noſtræ: cum & in laceſſendo acute, & in reſpondendo, omnes ex ejus verbis atque vultu effluerent lepores. Nam Marium Buccabellum quod audio eſſe incolumem, maximopere lætor: hominem cum omni virtute ornatum, tum mihi amiciſſimum. Atque inter hos tot & tales viros, aliosque complureis, quorum omnium nomina perſequi non hujus eſt ſcriptionis, dulces quoque Corycii iracundias, & gratas ineptias Donati ſpectare haud diſplicebat: quos noſter Savoja homo omnium facetiſſimus & provocare ſolebat ſtudioſe, & ridere. Nam de te, mi Coloti, quid ego dicam? Cujus in animo, ac natura mihi videntur Muſæ effigiem ſui moris ac decoris inſculpſiſſe, ut eſſes pudore, virtute, liberalitate ornatiſſimus: cujus pectus atque ingenium doctrinis omnibus, domus autem ipſa tua omnibus doctis pateret. An eſt quicquam in rebus ad conciliandos natum animos, quod meam in te benevolentiam non accendat, præſertim cum me abs te tantopere intelligam amari? Sunt quidem & multæ præterea

(a) Marium Maffeum Volaterranum, cui libros de laudibus Philoſophiæ Sadoletus ipſe nuncupavit. De eo alibi redibit ſermo.

terea amoris cauſæ: vetuſta neceſſitudo inter nos: ſocietas etiam eorundem ſtudiorum, tum cum dabamus Græco doctori Carteromacho ſimul operam (a). Quo quidem ex tempore recordor nec meam tibi inſignem benevolentiam, nec tuum mihi ſtudium unquam defuiſſe: tum autem multa ſæpe nobis communia, luſus, convictus, deambulatio: par prope atque idem in amicis delectus, ex eiſdem rebus delectatio. Sed quorſum iſta? omnino longius ſum lapſus, meque veterum & rerum & hominum cogitatio ulterius provexit, quam fuerat voluntas. Sed tamen illud intelligi a te volo, non veſtrum ſolum, qui valetis & vivitis, (quorum quidem ſalus mihi ita jucunda eſt, ut mea ſit vita propter vos mihi charior) ſed eorum etiam, qui fato functi ſunt, quorum major longe eſt multitudo, memoriam cunctorum mihi in intimis ſenſibus inhærere: quorum equidem omnium, (ſi hoc ocium, quo nunc perfruor, Deus mihi fortunarit) nomen non patiar apud poſteros ignorari. Atque hæc tempora, & has vitæ jucundæ ac beatæ ſuavitates, inſecuta clades & acerba fortuna reipublicæ disjecit. In quibus detrimentis, etſi maximum cepi ex urbis gravi caſu, & veſtrum omnium jecturis, quos

(a) Scipio Carteromachus, qui latino nomine, ſive potius Italico *Fortiguerram* ſe voluit appellare, vel alii eum ita nominarunt, Romæ circa an. 1503. quo primum Sadoletus ad eam urbem venit, Græcas litteras magna nominis celebritate profitebatur. Vide notas ad Sadoleti vitam pag. VI. ubi corregendus Typographi error, qui dum annum quo Alexander VI. iniit Pontificatum aſſignamus, irrepſit, nimirum pro 1472. legendum 1492.

illa calamitas oppreſſit, dolorem: tamen id mihi accidit non incommode, quod conſilio & voluntate reliqui res Romanas, antequam illa me iſtinc tempeſtas extruderet. Direptæ meæ quidem omnes diſſipatæque fortunæ: idque non ſemel, ſed bis, aut etiam tertio: quodque durius viſum, libri una erepti. At nihil tamen indignitatis, nihil fœditatis in corpore paſſus ſum. Nudus in has oras, tanquam ex naufragio ſum compulſus, at liber animi, & placatus tamen: utpote cui jam non in his rebus externis, non in honore & gratia populari, non in divitiis atque opibus, ſed in alia quadam certa ratione vivendi, animi ſit quies, & vitæ beatitudo repoſita. Itaque facile patior, meum conſtitutum procul ab urbe manendi, vinculis jam ineluctabilibus conſtrictum eſſe, non ſolum voluntatis meæ, verumetiam neceſſitatis: cujus numini non repugnare ne Deos quidem ipſos, vetere proverbio jactatum ſemper eſt. Etenim cum conſilium cepi Roma exeundi, noli putare non multa extitiſſe, quæ me dehortarentur, & quæ animum meum quodam dolore flecterent: amor, conſuetudo, ſpes honorum, unicorum & neceſſariorum lacrymæ, ornatiſſimorum hominum familiaritates: quibus ego (quod liceat ſine arrogantia dicere) egregie præter cæteros florebam: atque illi, ut meipſum, non ut fortunam meam appeterent. Dices, quid ergo? quæ te ad diſcedendum cauſa compulit? Illa, mi Coloti, quod magna mihi vitæ parte in alienis rebus jam acta, ad ea quæ me attingunt propius, & in quibus mea ſalus & vera vita conſiſtit, mihi aliquando tandem revertendum intelligebam. Dede-

ram

ram ſatis principibus, dederam ſatis amicis; dederam Reipublicæ: mihi quando darem? Si jam quinquageſimum attingens annum, non ex illis fluctibus in portum, & ab terrenis ad cœleſtia & curam & animum meum revocarem? His ego de cauſis urbi ſalutem dixi: non amorem & charitatem Chriſtianam deponens, ſed contactum rerum turbulentarum reformidans. Sed quod dicebam modo, me ut abſim ab urbe, non ſolum voluntatis, verum etiam neceſſitatis vinculis conſtrictum eſſe, id ejuſmodi eſt. Nulli unquam ſua patria, ſolumque illud in quo quiſque natus, & alitus, gratam incunabulorum memoriam ſecum perpetuo fert, tam charum fuit, tamque amabile, quam mihi urbs Roma, & ſancti illi penates tot clariſſimorum fortiſſimorumque hominum, quorum pene in paſſus ſingulos, cum per vicos & plateas urbis vadebamus, aliquod in monumentum, aliquamque in hiſtoriam pedem ponebamus. Cur autem tantum amarem, & vetuſtatis admiratio faciebat, & præſens civitatis majeſtas: & me hercule etiam magis, quod quicquid eſt in me humanitatis atque ingenii (ſi modo eſt aliquid) omne hoc illi referebam acceptum. Hanc igitur Urbem mihi dilectam & charam uſque eo, ut nihil in amore fieri poſſit ardentius, deformatam ruinis; exinanitam frequentia, plurimis claris viris illuſtribuſque orbatam, quorum in ſuavitate & benevolentia, mei (quos pro republica capiebam) labores requieſcebant, ut videre velim, animum inducere non poſſum: jactatam præterea etiam nunc procellis, objectam tempeſtatibus. Ita quod prius amore repugnante, judicio tan-

tum adductus faciebam,nunc eodem amore auctore firmius facio: ut ſedem mihi in his locis perpetuo domicilio conſtituerim. Si quidem amantis eſt non ſolum appetere congreſſum eorum quos amat, ſed ſi quid illis accidat miſeriæ & calamitatis, cui ferre opem ipſe non poſſit, non modo aſpectum tanti doloris, ſed mentionem quoque ipſam devitare. Quamobrem immota hæc quidem & in omnem partem ſtabilis eſt animi mei ſententia, tempus reliquum vitæ quod ſupereſt, non in urbe Roma, ſed Carpentoracti: neque ad hominis ullius arbitrium, ſed ad ſummi Dei honorem atque cultum, mihi impendendum & conſumendum eſſe: ita, ut optimis artibus & literis ſuam partem ſim daturus. Qua ſpe, & quo eventu, quoniam nihil magnum de me polliceri poſſum, totum in aliorum opinionibus relinquo. Quod autem mihi vehementer cordi eſt, & de quo plurimum laboro, ut ſalvum maneat mihi & præcipuum ornamentum præteritæ vitæ, & futuræ ſolatium: hoc eſt, ut veſtra erga me voluntas incolumis permaneat, quando ex veſtro amore erga me, veſtroque judicio, omnis prope mei animi lætitia pendet: id vos vehementer oratos & rogatos eſſe volo, ut mei abſentis memoriam retineatis: quaque ego fide, quaqne conſtantia, fidem veræ amicitiæ conſervans vos in oculis atque in animo aſſidue gero; eandem vos mihi fidem benevolentiamque præſtetis. Quod non ut diffidens poſtulo, ſed ut amans, & quod omnium rerum mihi eſt optatiſſimum, me ab illis diligi, quos cunctorum amore digniſſimos,ipſorum virtus, & doctrina,& ſumma humanitas facit. Valete. Carp. M. D. XXIX.

AN-

ANNO M. D. XXX.

EPISTOLA CVII.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Thomæ Cajetano S. R. E. Cardinali
S. P. D. (a)

Ejus erga ſe officia commemorat, petitque quem exitum putet habiturum Concilium proxime celebrandum.

De tua erga me benevolentia ſæpe mihi a meis ſcribitur: quam equidem non dubito firmam eſſe, idque magnopere habeo gratum. Animus quidem meus erga te idem eſt, qui ſemper fuit, cum tibi mirifice deditus, tum tuarum præſtantiſſimarum virtutum admirator & cultor: quas ego ab ineunte ferme adoleſcentia omni ſemper honore & obſervantia proſecutus ſum. Itaque recordor, & me in philoſophiæ ſtudiis non minima ex parte olim a te adjutum inſtructumque fuiſſe, & tuam mihi nullo loco defuiſſe neque opem & autoritatem in publicis rebus, neque in privatis meis benevolentiam. Sed quæ tua erga me plurima extant beneficia, ea mihi fideli magis memoria conſervanda ſunt, quam multis verbis jactanda & commemoranda. Quod autem eſt & tuæ ſummæ virtutis ampliſſimæque dignitatis proprium, & idem aliqua ex parte etiam ad me pertinet, id ego ex te niſi

(a) Vide quæ de Cardinali Cajetano diximus ſuperius in notis ad Epiſt. cv. pag. 304. & 305.

quid impediat, ſcire ſane velim: quem tu, ſcilicet, hujus concilii, de quo tam multi ſermones increbreſcunt, effectum aut exitum futurum putes. Nam ſi res agatur ſerio, ſpeſque aliqua ſit latum iri auxilium bonis moribus & legibus, adverſus tot & tam graves, cum diſſenſiones in fide & religione, tum in communi vita corruptelas: optandum eſt omnibus nobis, & vehementer Deo ſupplicandum; ut bene ac proſpere procedat res. Egoque quamquam imbecillitate valetudinis, & domeſticis difficultatibus valde impeditus, nullum diſcrimen recuſaturus ſum, quo in eo intereſſe conventu poſſim. Sin autem totum negocium fuerit ſimulatio, libentius manſurus in ſtatione mea ſum: neque eo venturus, ubi mea opera nemini utilis, mihi autem ipſi incommoda vehementer futura ſit. Hæc ego a te, ſi tua ſpectetur gravitas & dignitas, tanquam a patre requiro: ſi excellens ſingulariſque doctrina, tanquam ab eo, qui non meus, ſed omnium eſſe magiſter poſſis. Hoc quidem ſic exiſtimo, ſi ſalvo officio fieri poſſe decreveris, te nihil in hac re prætermiſſurum eſſe, quod ad me monendum, inſtruendumque pertineat: etſi nulla major mihi futura eſt inſtructio, quam exploratio judicii ac voluntatis tuæ. Quod ut facere velis, deque eo ad me ſcribere, magnopere te rogo. Ego hic in literis & libris aſſiduus ſum: neque intelligo jam, quid ſit aliud beate vivere, niſi quod prædicare ſolebat Solon, quotidie aliquid ſeneſcentem addiſcere. Quod nos hoc melius facimus & præſtantius, quod ea conſectamur addiſcimuſque, per quæ ad noſcendum fruendumque ipſum Deum ſpe
firma

ſirma exoptatæ immortalitatis adducimur. Tu ut valeas, meque abſentem, quod facis, diligas, & patrocinio tuo tueare a te peto. Vale. Carpentoracti M. D. XXX.

EPISTOLA CVIII.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni
S. P. D. Bononiam.

Primum de recuperata valetudine gratulatur; tum de Pſalmo XCIII. imprimendo, deque ejus in Italia manſione, ac demum de ſuis ſtudiis, multis agit.

ACcepi literas tuas, ante diem XV. Calen. Januarii datas: ex quibus cognovi, quantò poſt meæ ad te perlatæ eſſent, quam fuerant datæ: & quæ te occupatio moraque tenuiſſet, quo minus, ut cupiebas, maturè ad nos ſcriberes. Ego verò cum tanto jam intervallo nihil abs te accepiſſem, neque adeo de te; ſollicitarer autem non parum cupiditate cognoſcendi, quid tibi & rebus noſtris communibus contigiſſet (ſunt enim inter nos omnia communia) cum me præſertim in ea cura & cogitatione amor erga te meus ſummus quieſcere non ſineret; fateor me diu in expectatione fuiſſe tuarum literarum, nonnullamque cepiſſe admirationem earum tarditatis. Sed tamen ut ſuſpicarer potius alia omnia, quam conjunctionem noſtræ neceſſitudinis vel minima ex parte imminutam eſſe, quà vel in amore apud te, vel quà in omnibus officiis

 con-

conſervandis fide ac diligentia. Nunc cum tu & valetudinis incommodo aliquandiu conflictatus, & moleſtiſſimis negotiis diſtentus fueris: atque ea nunc impedimenta partim Dei beneficio, partim prudentia tua a teipſo repuleris; gaudeo primas eas fuiſſe literas, quæ mihi lætum nuntium attulerunt, quæ ſi citiùs veniſſent, moleſtiæ mihi fuiſſent: tuamque tibi recuperatam valetudinem, & ſapiens conſilium vitandæ urbis, vehementer gratulor: priſtinam quoque tuam agnoſco animi magnitudinem. Vidi enim te olim cum viveremus una, hæc ipſa contemnentem, quæ vulgus admiratur: tum ſcilicet, cum ea adipiſci facillimè poteras: & erant illa ejuſmodi, ut haberent aliquam, ſi non veram dignitatem, at ſpeciem tamen, & ſimulacrum quoddam dignitatis. Nunc verò: Sed quid ago? aut cur nequicquam ſumo hanc operam? Ad noſtra potius. De Pſalmo cognovi, quo loci ſit res. Sed ego ingenuè tibi indicabo, cùm jam deſperaſſem iſthic rem confici, miſi Pſalmum Lugdunum, aliquot correctum locis, ut imprimeretur ibidem, quartodecimo admodum ab hinc die, hoc eſt ad IV. Idus Decembr. ut intelligas me moderatum cupiditati meæ, quoad in ſpe fuerim iſthic rem confectum iri, octavo menſe videlicet poſtquam tu ex his locis diſceſſiſſes. Nec tamen puto te exiſtimaturum, me egiſſe aliquid quod ſit contra officium. Nunc ſive hìc, ſive illic, noſtra utique de eo conquieſcit cogitatio: nec tamen adhuc quippiam habebamus certi, quid fieret Lugduni. Sed de his ſatis. De te autem ipſo & de tuo diſceſſu in Italiam, qui meus tum fuerit ſenſus nihil me attinet dicere, niſi il-

lud

lud quod proprium eſt amoris, profectionem tuam dolori mihi non mediocri fuiſſe. Cauſas equidem diſceſſus, & graves & juſtas eſſe arbitrabar, quæ te hominem prudentiſſimum moviſſent. Manſionem autem in Italia tuam, neque ego probo, neque teipſum probaturum eſſe arbitror. Quanquam enim ibi officio pio & neceſſario detineris; tamen cum tibi tantundem ferè in Gallia cum Deo negotii ſit, & eadem te huc religio revocet, quæ in Italiam evocavit; non video, peractis eis rebus quæ ad providendum conſulendumque populis more & inſtituto majorum inventæ ſunt, quid te ſit in Italia diutiùs retenturum, quando cætera omnia, quod opinor te jam cognoſcere, uſque eo confuſa perturbataque ſunt, ut nulla res in iſtis locis ſit, quæ prudentem quempiam aut bonum virum poſſit delectare. Quare ſi tu idem ſenties, fueriſque expertus, poteris me autore officium & munus præſtandæ Deo religionis, ad cauſam tui reditus, rectè interpretari. Ibi enim potiſſimum commorari debemus, ubi plurimum proficere nos poſſe ſentimus: aliis quidem prætereа etiam, ſed nonnihil & nobiſmetipſis. In quo ego diſputarem copioſius, niſi te doctiſſimum hominem, & optimè hæc ipſa videre mihi perſuaſiſſem, & vererer ne tu fortaſſe magis ab amore meo erga te, & deſiderio tui, quam a vero & integro judicio hujuſmodi orationem proficiſci putares. Quamobrem hæc miſſa. Paulus nobiſcum eſt, nec ſivit me diutiùs in expectatione ſui eſſe. Extremo enim Sextili ad nos rediit, eſtque nunc totus in Græcis literis; quod ſi perfecerit ſtudium, non dubito, quin omnia deinde facilia ſit habitu-

rus. Nos nihil ſcribimus in præſentia, legimus autem libentiſſimè, multaſque & magnas jam parteis Ariſtotelicæ doctrinæ tranſegimus, imprimis τὰ μετὰ τὰ φυσικά: in quibus viſi ſumus nobis non pauca ſubtilius & acutius comprehendiſſe, quam antea. O te ſi haberem, quo cum communicarem: nihil crede mihi fieri poſſet beatius. Hæc enim animi lætitia, ac in ſtudiis voluptas ſocium requirit, ſine quo non illa quidem manca eſt: ſed eſſet ea mediusfidius hilarior tamen, atque uberior. Paulus nondum tantis rebus par. Tu maximo animo, præſtantiſſimo ingenio, ſumma in me benevolentia, eximia ſcientia: Sed fortuna obſtat, & quæ ipſam etiam fortunam vincit, neceſſitas. Ergo idipſum ferendum eſt. Tuum conſtitutum dandarum & miſſitandarum literarum ſervabo diligenter. Bembo meo aſcribes, quoties ad eum ſcripſeris plurimam meis verbis ſalutem. Tu vale, & nos dilige: quod te facere ita non dubito, ut nihil habeam tuo in me amore, nec certius, nec jucundius. Vale. IX. Calend. Febr. M. D. XXX. Carpentoracti.

EPISTOLA CIX.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni
S. P. D. *Bononiam.*

Cum eo conſilium capit, ad quem locum convenire debeant, de rebus ad Rempublicam Chriſtianam pertinentibus acturi.

CUM in Gallia eſſes, crebro cummeabant inter nos literæ: quod fiebat tum propinquitate locorum & regionum (minus enim magnis omnino & ſpatiis viarum & difficultatibus interſepti eramus) tum quod eorum qui literas perferrent, major erat copia. Poſtea verò quam tu in Italiam profectus es, omnia hæc nobis ſpiſſiora & difficiliora facta ſunt. Quod mihi ſanè magnæ eſt moleſtiæ. Etenim ejuſmodi ſunt tempora, & eæ impendent res, ut ſi unquam alias, nunc cum maxime tuum mihi conſilium & benevolentia requirenda ſint. Quæ ſi vicinioribus in locis eſſes, parata mihi arbitrarer: quia abes longè gentium, non illa quidem mihi erepta, nec adeo tamen in promptu adeſſe mihi intelligo. Sed quid me angat, ſolicitumque habeat, etſi te per te ſatis exiſtimare arbitror, quod eiſdem affici te puto in hoc tempore animi ſolicitudinibus & curis, tamen aliquid tibi a me ea de re putavi eſſe ſcribendum: ut quoniam amore & optima in rem Chriſtianam voluntate conjuncti ſumus, noſtras quoque cogitationes & conſilia conjungamus. Increbreſcit enim

enim quotidie magis (ut tute ſcis) de concilio rumor : cujus habendi multæ quidem ſunt cauſæ juſtæ ac graves , ac ſi verè loqui volumus , etiam neceſſariæ . Sed ecquid ſperandum ex eo boni ſit , magnæ videtur eſſe conſiderationis , quæ fortaſſe ad nos nihil pertineret , niſi gravis officii onere premeremur . Quod præſtare debemus , non tam hominibus quidem , quibus (ſi bene conjectura utor) ſancta & ſevera conſilia haud ita multis placitura ſunt , ſed præpotenti Deo , cujus tantis aucti beneficiis , nihil habemus neque in vita , neque in fortuna , quod non pro illius honore & nomine effundere ſimus parati. Hanc ego ſententiam cum mihi tecum ſtatuam eſſe communem , reliqua jam ſunt communicanda inter nos : quod conſilium ſequi , & quemadmodum noſmet gerere debeamus . Nam ſi (ut dico) fructus eſt expectandus aliquis ex hoc principum Eccleſiæ & Epiſcoporum conventu , qui ſit Chriſtianæ Reipublicæ profuturus ; non dubium eſt , quin conveniamus , quemcunque fuerit in locum concilium indictum , nec laborem ullum diſcrimenve fugiamus : tametſi mihi ipſi , propter domeſticas aliquot difficultates , imbecillitatemque corporis , futura ſit res moleſta . Sin autem , quod magis vereor, propter inextricabiles difficultates temporum totum hoc remedium ad ſedandas diſcordias , & ad morbos ex animis tollendos inane futurum ſit , atque irritum : eſt jam non parvæ deliberationis res , quid agendum nobis , & utrum accedendum eo , an manendum domi in vigilia noſtra ſit, cum alterum fortaſſis conſilium inutile , alterum plane honeſtum ſemper habeatur. Hæc ego ſi mihimetipſi confide-

derem, exquiſita potius & explorata ſcriberem ad te: cum verò tantum tuæ prudentiæ confidam, quantum meum perpetuum de tuo ſingulari ingenio judicium poſtulat: peto a te & pro amicitia noſtra rogo, ut ſuſcipias totius negotii deliberationem atque curam: & ſive habes jam ſtatutum, quid tibi faciendum ſit; ſive es deinceps conſtituturus, me omnis participem conſilii & voluntatis tuæ facias. Ego enim eo ſum animo, ut quicquid a te probatum fuerit, id ut ſapienter ſanćteque conſtitutum, ipſe quoque ſecuturus ſim. Quare tu & de rumore ipſo, totaque re, & de loco, temporeque conveniendi, ſi quid habebis indagatum & compertum, facies me (ſi videbitur) tuis literis certiorem; imprimiſque hoc ita cogitabis, ſi veniendum aliquo ſit, ſummopere cupere me, quod ſine incommodo tuo fiat, contubernalem tibi eſſe. Hoc mihi gratius atque optatius accidere nihil poteſt. Vale. VI. Calend. Februar. M. D. XXX.

EPI-

EPISTOLA CX.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTENS.

Andreæ Alciato S. P. D. (*a*)

Cauſas profert, quibus de ejus ab urbe Avenionenſi diſceſſu doleat.

CAſtellanus noſter legit mihi particulam literarum tuarum, qua rationibus tui diſceſſus expoſitis, adſcribis, ſi eæ mihi probatæ rationes fuerint, te ſatis habiturum: neque quid alii ſentiant, aut loquantur, valde laboraturum: quod ego ita accipio, ut agnoſcam in eo tuum priſtinum erga me amore. Tantum enim judicio meo tribuis, quantum ego mihi non arrogo. Sed quod ad tui facti judicationem attinet, ego, mi Alciate, tantum conſtituo in teipſo eſſe & virtutis & conſilii, ut quodcunque agas, id mihi ab optimo animo & eximia prodentia ſemper proficiſci videatur, cauſaſque tui abitus exiſtimavi juſtiſſimas, quæ te virum talem ad novum capiendum conſilium impuliſſent. Sed quod me tangit privatim, quodque ego ex meo ſenſu loquor, nunquam profecto diſſimulabo, diſceſſum illum tuum mihi dolori non mediocri fuiſſe. Nec tamen velim te hoc ita accipere,

(a) Vide quæ de Alciato diximus in notis ad Epiſtolam xcv. pag. 275. Ejus quoque Vitam Hieronymus Cardanus deſcripſit.

re, quaſi ego factum tuum aliqua ex parte reprehendam: non enim reprehenſionis ille fuit dolor, ſed mei in te amoris. Etenim ſi, cum in his locis eſſes, infinita pene commoda egregiaſque utilitates mihi in te paratas eſſe intelligebam, quod & in natura tua comitatem, & in ingenio præſtantiam, & in amicitia ingenue conſervanda fidem, & in omnibus partibus vitæ atque ſermonis humanitatem, elegantiamque experiebar: quid mihi privato his tot bonis, doloris accidiſſe ex tuo diſceſſu putas? cum præſertim, quod pluris eſt quam cætera omnia, mihi quotidie verſanti in eis literis, in quibus tu excellis, ubi laboris atque hæſitationis aliquid incidiſſet, paratum eſſet, te præſente, perfugium optimi & amiciſſimi, & in omni literarum & doctrinarum genere longe præcellentis viri: cujus vel ſolo habitu vicinitatis, & animus, & vires meæ ad ſtudia reficiebantur. Itaque (ingenue enim fatebor) quas in omni reliqua vita facio minimi, tunc opes non parum expetendas duxi. Non mea mehercule cauſa (turpe enim eſt id Philoſopho, Chriſtiano præſertim) ſed quod eas tunc ſi poſſediſſem, hoc tantum lumen hæc provincia non amiſiſſet. Sed etſi gravis mihi jactura, & his populis omnibus tua deceſſione facta eſt: tamen quod audio dignam tua virtute & ſingulari præſtabilique ſcientia, conditionem tibi eſſe delatam, teque in Biturgibus ſumma illorum hominum voluntate, & concurſu maximo auditorum, jus civile tradere; mei animi moleſtiam tuæ virtutis dignitas conſolatur: hoc etiam magis, quod video id eſſe gratum omni honore & dignitate

am-

ampliſſimo Franciſco Turnonio (*a*) veſtro Epiſcopo Biturigum, cujus ego multas eximiaſque virtutes cum venerer; multis quoque illius erga me olim meritis, de quibus a meis certior ſum factus, obligatus vehementer ſim, cogor illo ipſo officio, quod ego præcipue in omni vita colo, ipſius voluntatem meis rationibus anteferre. Quem quod audio aucta & amplificata dignitate, in Cardinalium ordinem honoremque perveniſſe, equidem majorem in modum gaudeo & gratulor: ſed tamen ut illi ordini magis aliquantum putem, quam ipſi in hoc tempore ex ejus honore, ſplendoris & honeſtatis eſſe acquiſitum. Ad eum ego cum cuperem ſcribere & agere pro ejus veteribus in me beneficiis gratias; illa ratione ſum retardatus, quod prius ſcire ex te volo, ecquid putes noſtras ad illum literas non inopportunas futuras. Quod ipſum quæſo ſcribe ad me, noſque quod facis, dilige, ac valetudinem tuam conſerva diligenter, tibique perſuade, me, & mea omnia non minus tibi prompta eſſe, quam mihi ipſi. Vale. VIII. Calend. Februarii M. D. XXX. Carpentoracti.

(a) De Franciſco Turnonio, vide notas in Sadoleti Epiſtolam ad eum datam circa menſem Decembris anni M. D. XXXII.

EPI-

EPISTOLA CXI.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Andreæ Alciato S. P. D (a)

Ejus litteris reſpondet, quibus ſui ab Avenionenſi Urbe diſceſſus cauſas reddebat, deque ſuo quodam Bononienſi negotio agit.

LIteras tuas ad quartum Calend.Jun. datas, pridie Nonas Quintileis accepi: quæ me tui erga me amoris ſignificatione vehementer delectaverunt. Magno enim argumento mihi eſt, me abs te diligi & magnifieri, quod adis ad me cum fide, tuis de rebus conſilium meum una atque operam expetens. Quorum utriuſque utinam tantam haberem facultatem, ut & tibi & tui ſimilibus abunde poſſem ſuppeditare. Sed de conſilio, mi Alciate, quod tibi reſpondeam parum admodum eſt: vel quod ejus in teipſo ſatis ſtatuo eſſe, vel quod ipſe quod feci, cum illa turbulenta & dubia (ut mihi quidem videbatur) reliqui, quo hæc multo quietiora conſectarer; id indicio eſſe poteſt unicuique quid ſentiam. Quanquam enim nova hac pace videantur vetera bella Italiæ repente eſſe ſublata, tamen recentibus etiam nunc vulneribus nondum cicatrix plane obducta eſt, animique iidem permanent mutuis

(a) De Alciato, conſule notas in Epiſtolam xcv. pag. 278.

tuis exaſperati odiis, & partium ſtudio infecti. Quibus quantum ſit confidendum, tuæ imprimis prudentiæ eſt exiſtimare. Tibi autem ipſi, ſi in ea loca migraveris, ut contingant reliqua ex tua ſententia, graviora certe prælia excipienda erunt, vel obtrectantium tuæ laudi, vel commoda tua oppugnantium. Nam quod te patriæ amor eo vocat, humanum id quidem eſt: ſed & ſapientes ab illo Poeta dictum legimus, Patriam eſſe ubicumque ſit bene. Verum de hoc, ut dixi, tuum conſilium ſit, meum eſt potius ad omnia quæ tu velis, operam tibi meam ſtudiumque deferre. Itaque quod quæris, ecquem Bononiæ amicum habeam, qui tibi operam dare in tuo hoc negotio agendo poſſit, & mea cauſa velit, & autoritate ad agendum ſit idoneus, vix videor habiturus. Omnes enim fere quibus cum mihi fuit familiaritas, alio caſu alius diem ſuum obierunt: ut de quo tibi pollicear nominatim habeam neminem, niſi forte Bartholumæum fratris filium Cornelii noſtri Voltæ, ſummi viri & nobis amiciſſimi, qui magno cum gemitu omnium, & de hac Provincia nuper, & plane modo de vita deceſſit. Hujus ut dico fratris filius, etſi ætate juvenis eſt, propter virtutem tamen, familiæque dignitatem, & clariſſimi optimeque patrui memoriam, gratioſus eſt apud omnes. Eum ego confido ſuſcepturum eſſe has partes, præſertim in cauſa illuſtri & honorifica. Habet enim hominis doctiſſimi commendatio non mediocrem dignitatem. Sed ego, ſi tibi videatur ad Legatum ipſum quoque & ad quadraginta viros literas dabo, tribuamque debitum tuæ vir-

virtuti teſtimonium, neque ſolum hortabor, ſed obſecrabo etiam, ut de tali viro atque doctore accerſendo ſtudioſis juris civilis, & ſuæ civitati eſſe conſultum ac proviſum velint. Hæ literæ quid profuturæ ſint neſcio: nihil obfuturas videor poſſe præſtare. Sed ut ego oſtendo tibi quid ſim facturus, ſic tuum nunc jam, quid placeat tibi & quid me agere velis, facere me per literas certiorem, ſimulque rationem aliquam inire, quo illæ celerius huc perferantur: ut tibi, cui valde cupio, non voluntate ſolum, ſed diligentia etiam ſatiſfaciam. Vale. Ex hortis noſtris ſuburbanis, VIII. Id. Julii M. D. XXX.

EPI-

EPISTOLA CXII. (a)

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Des. Eraſmo Roterodamo
S. D. (b)

Commentarium in Pſalmum XCIII. ei mittit, hominemque hortatur, ut pravis quibuſdam omiſſis contentionibus, in Catholicæ fidei defenſione omne ſtudium atque operam ponat.

Annus eſt, aut eo plus, cum binas abs te literas accepi eodem exemplo: quarum quæ poſterius ſcriptæ erant, cum priores mihi redditæ fuiſſent, eſſet autem in illis tua de mea incolumitate, & opportuno ad meam Eccleſiam receptu gatulatio plena amiciſſimæ voluntatis, recordor, me tum ut noſter amor ferebat diligenter tibi reſcripſiſſe (c). Poſt mihi allatæ ſunt alteræ una cum Pſalmo LXXXV. & tua in illum interpretatione, cujus

(a) Extat etiam hæc Epiſtola inter Eraſmi ipſius litteras edit. Londinenſis lib. XXV. num. 10. qua cum editione ita eam contulimus, ut variantes noſtras ab eadem Londinenſi editione lectiones adnotandas eſſe duxerimus.

(b) Conſule quæ de Sadoleti cum Eraſmo familiaritate diximus in notis ad ejuſdem Sadoleti vitam pag. LXXIII. & ſeqq. quæque habentur de eodem Eraſmo in notis ad Epiſtolas Pontificias pag. 221. & 222.

(c) Vide Epiſt. LXXXVI. pag. 244. & Epiſt. LXXXVII. pag. 249.

cujus ego lectione mirifice fui delectatus, tuamque illam admirabilem ingenii vim & copiam in eo etiam recognovi. Sed quo minus tibi de eo tum aliquid ſcriberem, fecit occupatio, & par quidem meus labor, quem ego interpretando Pſalmo XCIII. paulo ante ſuſceperam. Sed neutiquam par tuæ facultas, neque æqua ingenii ac (*a*) doctrinæ vis, per quam celeriter opus a me inſtitutum abſolverem (*b*). Sum enim in hunc uſque diem, ut vides, retardatus. Seſt poſtquam tandem confeciſſem, nihil habui antiquius, quam hoc quicquid eſſet, quod elucubraveram. continuo ad me mittere, χάλκεον ἀντι χρυσέων videlicet. Sed tamen, ſive tibi id probaretur, ut ſingularem animi voluptatem ex hominis omnium doctiſſimi ac mihi benevolenti judicio caperem (*c*), ſive non probaretur, præceptis tuis atque doctrina in poſterum melior fierem. Quorum utrum malim, & utrum mihi utilius ſit, non queo ſatis conſtituere. Approbatio forſitan jucundior, quæ (*d*) ſit ab amico fideli eruditoque profecta; emendatio (*e*) certe utilior. Itaque te vehementer oro atque rogo, ut ſi quid duxeris reprehendendum, aut quoniam erunt, opinor, multa, quæ tibi homini acutiſſimo minus placebunt, ne parcas agere mecum ingenue ac libere.

(a) *Edit. Londinen.* aut.

(b) *Edit. Londinen.* quæ me celeriter de ejus curæ & laboris curriculo expeditum evolveret.

(c) *Edit. Londinen.* conſequerer.

(d) *Edit. Londinen.* ſi.

(e) *Edit. Londinen.* caſtigatio.

bere, fidemque amicitiæ, quam perſanctæ coli a te non dubito, in hac re mihi potiſſimum præſtes (*a*): hocque ſic ſtatuas, tuum mihi judicium in utramque partem gratum atque expectatum (*b*) fore (*c*). Ego de tuo Pſalmo, ac de ceteris, quæ in hoc genere plura præclaraque edidiſti, ac quotidie edis, cum ingenium & copiam & facilitatem tuam mirari ſoleo, tum animi virtutem atque conſtantiam (*d*): quod plurimis æmulis tuæ laudi obtrectantibus, ab inſtituto labore minime deterreris, ſtudeſque quotidie magis, ut bonis & literis & moribus per te conſulatur. In quo tua ſcientia & egregia voluntas maximis mihi videtur laudibus ad coelum extollenda. Unum eſt quod optarim, (quid enim me prohibet idem officium amici præſtare tibi, quod ego abs te requiro) unum eſt, inquam, quod velim, idque tibi vehementer ſuadeam, ut a contentionibus omnibus te avoces, & aliqua in ſcribendo prætermittas, quæ ut non ſint a vera pietate abhorrentia (*e*), contra tamen inveteratas populi opi-

---

(a) *Edit. Londinen.* exhibeas.

(b) *Edit. Londinen.* expectatumque.

(c) *Edit. Londinen.* futurum eſſe.

(d) Quid de hoc Sadoleti circa Eraſmi ſcripta judicio ſentiendum ſit, diximus ſuperius in notis cum ad Epiſtolam XXXVI. pag. 118. tum ad Epiſtolas XLIV. & LXXXVI. pag. 137. & 247. & 248. Illud enim ſane poſthaberi debet ſapientiſſimorum a Tridentina delectorum Patrum auctoritati, qui Theologica Eraſmi opera alia legi abſolute vetuerunt, alia donec expurgentur, prohibenda exiſtimarunt.

(e) Atqui leniter nimis hoc loco hominem admonere videtur Sadoletus, quod tamen in alia ad eum data Epiſtola

opiniones, & quorundam hominum ſive etiam ordinum ſtudia tendunt: quibus ſe non opponere, majoris arbitror fore gravitatis. Quid enim te cogit hominem in omni doctrina ſummum, cum longe imparibus quaſi altercare, & jurgiis concertare? Cum præſertim ſacrarum ſcripturarum (*a*) paratus campus ſit, late in omnem partem patens, ubi te ad tuum arbitrium exercere, & omnes in eo ingenii tui divitias explicare poſſis, quas admirentur homines, non de quibus litem tibi intendant. Equidem quicquid ſcribo, ſcribo animo optimo atque amiciſſimo, & quod majorem in modum cupio, tantam virtutem, quanta in te eſt, ab omni non dicam labe, ſed ſuſpicione labis etiam apud vulgus alienam eſſe. Verum hæc tu melius. Nos, mi Eraſme, quantum poſſumus, uterque pro virili parte feramus opem labenti fidei Chriſtianæ, quæ, ut vides ipſe, non ſolum vitiorum in hoc tempore dominatu & multitudine facinoroſorum hominum, quibus omnia redundant, ſed externis domeſticiſque hoſtibus, omnibuſque, & bellorum & impietatis machinis oppugnatur, eſtque ad cadendum pro-

ſtola xv. Calend. Octobris hujus anni, vehementius præſtitit. Quamquam enim Eraſmus in Heterodoxorum numero non veniat, quod ſæpius & contra Lutheranos declamaverit, & Catholicorum partes ſuſceperit, multum nihilominus illum rei Catholicæ incommodaſſe conſtat. Homo etenim acris ingenii, multiplicis eruditionis, Latinæ Græcæque linguarum peritiſſimus, ſed Theologiæ plane rudis, immodica quidem, ut omnes fatentur, in veterum ſcriptis, in Eccleſiæ ſanctionibus, in Theologornm ſententiis, in publicis ritibus judicandis, imo & convellendis exagitandiſque libertate uſus eſt.

(a) *Edit. Londinen.* literarum.

proclivis, niſi eam qui unus omnia poteſt, fulſerit & ſuſtinuerit Deus. Cui quidem Deo ac Domino, ſi gratiam eam, quam debemus conabimur referre, & beatam ipſi inveniemus vitam, & ceteris noſter non inutilis erit, neque infructuoſus labor. Quamquam tu quidem hortatione non indiges. Nos, ut locum noſtrum ne deſeramus, debemus magis providere. Sed de his ſatis. Tu valebis, noſque diliges, tibique perſuadebis eſſe nobis maximæ curæ & quietem & dignitatem tuam. Vale etiam atque etiam, mi Eraſme. Amerbachio noſtro plurimam ſalutem, a quo crebriores literas deſidero. Carpentoracti pridie Idus Februarii M. D. XXX. (a)

(a) Hiſce Sadoleti litteris reſpondet Etaſmus in ea Epiſtola quæ extat ſuarum Epiſtolarum lib. XXV. num. 11. col. 1342. edit. Londinen. in qua perperam legitur adſcriptus annus M. D. XXIX. pro M. D. XXX. Eam autem conſulto prætermiſimus, quoniam & *parum appoſite*, ut ipſemet Eraſmus fatetur, in illa ad haſce Sadoleti litteras reſpondeat, & nihil præterea contineat dignum quod proferatur. Eſt enim multis in Monachos querelis praviſque in *Indulgentiarum* promulgatores criminationibus referta. Quos quidem inſectandos Eraſmus ſuſcepit, propterea quod quum eſſent Fidei Quæſitores, nonnulla cum ejus, tum aliorum illius ſeculi Grammaticorum hac quidem arte inſignium, ſed Theologiæ plane rudium ſcripta, in quibus multa dictitabantur, quæ novitatem ſaperent, & a Catholica doctrina abhorrerent, atro carbone optimo meritoque jure notaverint, ut diximus in notis ad Epiſt. LXXXVI. pag. 247.

EPI-

EPISTOLA CXIII.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Pino Rivenſi Epiſcopo S. P. D. (a)

Commentarium in Pſalmum XCIII. *ei mittit, petitque ut illum corrigat.*

DIU eſt, quod nihil ad te dedi literarum: non oblivione amicitiæ noſtræ, ſed quod cum nihil haberem quod ſcriberem tua lectione dignum, nullas volui potius, quam inanes eſſe meas literas. Nunc vero cum ſe mihi occaſio, & prope dicam neceſſitas quædam obtulerit ſcribendi ad te, libenter hac oportunitate ſum uſus. Etenim quibus in rebus egere mihi videor cum eruditi hominis doctrina, tum amici fide, tu mihi ſtatim occurris ad utrunque aptus, cujus judicium & integritas a me maximi æſtimetur. His diebus abſolveram commentarium in Pſalm. XCIII. ſane maximo cum labore atque cura, quod mihi fere ſcribenti ſemper accidit, ut propter tenuitatem ingenii omnia difficillima eſſe videantur. Eum librum cum cuperem communicare tecum, & cum aliquot viris doctis, ut quam maxime emendatus in manus hominum exiret, difficultate librariorum fui retardatus, quorum eſt incredibilis in his locis inopia. Itaque ad impreſſores me neceſſario contuli, ne

P 2

(a) Vide notas in Epiſt. LVII. pag. 356.

ne nunquam quicquam ederem quod laude dignum eſſe poſſet. Nam cum non inſiſtendum mihi in hoc uno opere ſit, ſed ad alia, Deo bene juvante, progrediendum; viſum eſt fore utile mature intelligere, quid quiſque in hac lucubratione mea prima ex me requirat, ut ex his, in quibus jure nunc reprehendar, in aliis poſthac cautior & ſapientior fiam. Hac ſpe & fiducia libello exitum permiſi, eumque e veſtigio miſi ad te: ut ſive tibi probaretur, ſingularem animi lætitiam ex hominis doctiſſimi, atque amiciſſimi approbatione acciperem: ſive minus probaretur, tua caſtigatione & monitis in poſterum fierem melior. Quorum utumvis ita mihi gratum futurum eſt, ut utrum malim neſciam. Utile eſt reprehendi, cum erres: jucundum laudari, preſertim a laudato viro. Sed ſi hi ſumus, qui eſſe debemus, hoc eſt veri rectique cultores, potior eſſe debet voluptate utilitas. Quamobrem a te peto, idque majorem in modum, ut cum hæc noſtra leges, reperieſque aliquid quod tibi non ſatis probetur, ſenſumque acris judicii tui aliqua in re offendat, ne parcas monere & reprehendere me,fidemque amicitiæ, quam a te ſanctiſſime ſervari non dubito, in hac re mihi potiſſimum præſtes. Ut enim dico, ſi minus in hoc volumine, quod jam editum eſt, at in aliis ad quæ ego me paro, plurimum mihi & tua eruditio proderit, & autoritas. Tibi equidem hoc confirmo, me in hac ſcriptura & lucubratione mea, non tam meam ſpectaſſe laudem, quam eorum utilitatem, qui legent: ſi forte in hac tanta vitiorum ubertate, quibus hodie terrarum orbis labo-

laborat , aliquid ferre opis poſſum labenti jam , & graviter affectæ religioni Chriſtianæ . Quod optatum etſi majus multo eſt , quam ut conveniat meis viribus : per quos tamen vult, omnia quæcunque vult, & poteſt, & potuit ſemper omnipotens Deus ; qui & a pecore paſcendo , & a ſycomoro , reges populo ſuo & prophetas accerſivit . Cujus nos honori , & nomini toto animo inſervientes , ſatis habituri ſumus , ſi cui inter legendum noſtra , aut Dei ipſius omnia intuentis timor ſolito major, aut acrius deſiderium recte faciendi inceſſerit . Sed de his ſatis . Tu ut me diligas , tibique perſuadeas , te a me & coli ſummopere , & amari , magnopere a te peto . Vale . Carpentoracti , Calend. Martii . M. D. XXX.

EPISTOLA CXIV.

JACOPO SADOLETO

A. M. Gio: Franceſco Bini. (a)

Ejus ac Matthæi Giberti litteris reſpondet.

HO ricevuto l'humaniſſima lettera di Monſignor di Verona (*b*) accompagnata con una voſtra (*c*), & l'una & l'altra, mi è ſtata forte grata. Sua Signorìa, ſcrive haver fatto di quei denari tutto quello, che domandavano, & ſon certo è così: ma i noſtri di là (dei parenti miei parlo) già tanto tempo non ci hanno ſcritto nulla, di che mi doglio più che maraviglio. Io riſponderò a ſua Signorìa, come habbia un poco di tempo & agio, & Paolo ſia meco, che per la peſte che ha Carpentras ſtiamo diviſi; & egli più lontano, perchè più pericolo è di lui, che di me. L'altro giorno viddi una voſtra lettera, M. Bino mio, dove parlavate di non sò che pagamento di mula. Io non sò, ſe voi cominciate a deporre l'animo che mi portate, o vi diffidate del mio verſo voi. Vorrei che la mula fuſſe la miglior del mondo, la quale era però buona, & ſenza ſoſpetto di mal veruno; ſe ha preſo mali-

(a) Conſule quæ de Bino habentur in notis ad Epiſt. LXVII. pag. 177.

(b) Eſt hic Joan. Matthæus Gibertus Veronenſis Epiſcopus, de quo vide notas ad Epiſt. LXV. pag. 170.

(c) Giberti ac Bini ad Sadoletum literæ, de quibus heic mentio, minime reperiuntur.

malitia, è non tanto voſtra ſiniſtra ſorte, quanto mia, che deſidererei havervi dato & potervi dare coſa d'importantia. Però, ſe mi volete bene, non uſate con noi tali modi; piuttoſto penſate tutto quel che havemo eſſer voſtro, poco in fortune, aſſai nella buona volontà, & vogliateci bene, & penſate ſe mai haverete libertà, che deſiderate come coſa veramente deſiderabile, che non è perduta la ſperanza, che ancora a qualche tempo non ci habbiamo a godere la converſatione l'uno dell'altro. Io manderò a Paolo queſta lettera, il quale ſcriverà copioſamente a voi, o a D. Antonio, che è tutto uno. Et così ponendo fine vi pregherò, quando havete tempo, a ſcriverci alcuna volta, & raccomandarmi a tutti gli amici, & *præcipue* al mio Reverendiſſimo Ravenna (*a*). Dal Molino a' XXVII. di Giugno M. D. XXX.

(a) Benedicto nimirum Accolto Cardinali, de quo vide quæ diximus in notis ad Epiſt.XCVI. pag.281.

EPISTOLA CXV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Alberto Pio Carporum Principi,
S. P. D.

Eum fortunæ injuriis jactatum, & adverſa valetudine laborantem ſolatur, mittitque Commentarium in Pſalmum XCIII.

NOllem te exiſtimare, aut negligentia fieri mea, aut oblivione noſtræ veteris amicitiæ, ut raras ad te dem literas: non enim ea cauſa eſt. Sed tui ſæpenumero ſumma cum benevolentia memoriam recolens, habeo tamen & temporis, & valetudinis tuæ rationem. Nam & duriores adhuc res tuæ, quam tua virtus & dignitas poſtulabat, me ſæpe conantem ſcribere retardarunt, non habentem præſertim opis atque auxilii aliquid, quod tibi poſſem afferre: & invaletudo tua ita mihi moleſta eſt, ut non tu interdum corpore gravius affecto ſis, quam ego tua cauſa perturbato ſim animo. Quod cum communis humanitatis eſt, aliorum incommodis commoveri: tum vero benevolentiæ proprium, æque ac ſuis. Sed te quamvis jactatum fortunæ injuria, & valetudinis imbecillitate laborantem, tua tamen gravitas ſapientiaque conſolatur. Etenim multa tibi in te ipſo præſidia ſunt adverſus taleis caſus comparata, literarum, ingenii, philoſophiæ, atque in omni genere rerum agendarum, conſiliorumque & capiendorum & dandorum pruden-

dentiæ, ſummæque autoritatis. Quibus rebus fit, ut tu in adverſis major multo appareas, quam in ſecundis, iis qui exiſtimationem bonam ab hominibus nec dignitate mereri, nec per virtutem conſequi potuerunt. Accidit, quod iſti omnium maximo & præſtantiſſimo Regi confido magnæ curæ eſſe quietem & tranquillitatem tuam: qui ut liberalis ac benefici erga omnes, ſic grati adverſus de ſe bene meritos, ſummam jamdudum laudem obtinet. Sed ut hæc tibi poſſunt eſſe ſolatio, quæ a me dicta ſunt, & ſi qua alia ſunt hujuſmodi ad firmandum animum apta atque accommodata, ſic te experiri non dubito, id quod ego quoque facio, in cunctis caſibus humanis, maximum & certiſſimum perfugium eſſe Deum. In quo qui rationes & ſpes ſuas collocant, hi placatam in omni fortuna, & lætam præcipue degunt vitam. Equidem quod ad me attinet, cum ipſe quoque fuerim multis (ut tute ſcis) fortunæ injuriis incommodiſque affectus, patrioque relicto ſolo, in alienas & pene ignotas regiones me contulerim: tamen hoc uno ſolatio ſemper maxime ſuſtentatus ſum, quod Deo certò reputans noſtra curæ eſſe, cætera ferenda omnia fortiter & patienter duxi. Quam quidem rationem & perſuaſionem meam (ſi tamen perſuaſio, ac non certiſſima potius ſcientia appellanda eſt) ut ne ſola cogitatione, ſed ſcriptis etiam & literis uſurparem; confeci his menſibus commentarium quendam in Pſalm. XCIII. ſane quam laborioſe: quo enim meum tenujus eſt ingenium, hoc mihi major in ſcribendo cura ac diligentia adhibenda eſt. Sed cum viderer in Pſalmo illo multa perſcipere lumina juſtitiæ &

providentiæ ſummi Dei: ætatem autem noſtram intuerer (dubitatione credo, & quaſi diffidentia rerum divinarum) in tanta & ſcelerum & hæreſum, ac propterea etiam calamitatum velut tempeſtate jactari: ſuſcepi negotium ut quoad poſſem Deo adjuvante, aliqua de ipſius altiſſimis conſiliis explicarem: per quæ & veritas magis hominibus illuceſceret, & qui jam aberraſſent a via recta, ad iter, ſi vellent, tutum converterentur. Qui meus labor, quid aliis profuturus ſit, ignoro, me quidem certe non parum conſolatus eſt, valdeque confirmavit. Tibi vero ipſi quanquam domi tuæ iſta jam trita ſunt, vel uberiora etiam, & præſtantiora multo, quæ tu in tuis habes doctrinæ & ſapientiæ theſauris recondita, tamen unum volumen pro amicitia duxi eſſe mittendum: ut ſi forte tu aliis curis impeditus, minus hæc ipſa cogitare in præſentia poſſes, mea ſedulitate facilius admonerere. Sin hoc nihil fuiſſet neceſſe, ego tamen fungerer officio amiciſſimi ac benevolentiſſimi: neve ſcriberem quicquam talium rerum, quod non ad tuum arbitrium judiciumque deferrem. Vale, & nos tui amantiſſimos dilige. XV. Calend. Auguſti, M. D. XXX.

EPI-

EPISTOLA CXVI.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Egidio Cardinali S. P. D. (*b*)

Egidii litteris reſpondens, ejus laudes celebrat, deque nonnullis rebus ad Maumethanorum inſtituta pertinentibus ab eo fieri certior cupit.

SI quantum ex tuis literis accepi voluptatis, tantum ipſe meis literis exprimere poſſe confiderem; nihil aliud agerem profecto hoc tempore, quam tibi miram quandam ex eis animi mei lætitiam jucunditatemque perſcriberem, per quam intelligeres, laboris tui fructum egregie tibi conſtitiſſe, cum amiciſſimo tuo, eidemque tibi deditiſſimo; & utilitatis tantum, & delectationis attuliſſes. Sed quoniam eo onere me oppreſſum iri plane video, ſi ſuſcipere nitar quod perferre non queam, ignoſces mihi, ſi ne conabor quidem id aggredi, quod perficere poſſe deſperem. Illud tantum ſcito, tuis mihi literis nihil accipere potuiſſe optatius: nec ſolum ex ea parte, qua ad ea quæ quæſiveram & doctiſſime ſimul, & humaniſſime reſpondes, ſed etiam ex eo, quod videre videor in illis omnem expreſſam imaginem amoris erga me tui: tanta in illis ſuavitas, tantum ſtudium ſatisfacien-

(*a*) Vide quæ de Egidio Viterbienſi Cardinali diximus in notis ad Epiſtolam VI. pag. 16.

di mihi: tantus & verborum, quæ ad eam rem faciant, & optimarum electiſſimarumque ſententiarum ineſt lepos. Itaque intelligo nunc quidem atque experior, meum de tua præſtanti eximiaque virtute, ſapientia, bonitate, veriſſimum ſemper certiſſimumque fuiſſe judicium. Nec quod antea unquam dubitarim; ſed quia dies, res, eventus, quotidie id magis comprobat. Nam ſi a mediocri viro, & mediocri dignitate prædito, hæc amicitiæ officia præſtarentur; laudandus ille utique quicunque eſſet, & in paucorum numero reponendus: rem enim vulgò haud ita multum uſitatam in ſe ipſo oſtenderet. Ab homine vero ampliſſimo, & omnibus ingenii, eloquentiæ, honoriſque ornamentis cumulatiſſimo, retineri hæc officia fidelis amicitiæ, & in abſentem amicum nil benevolentiæ humanitatiſque prætermitti, hoc eſt, mi Egidi vir maxime atque ornatiſſime, quod in te habet laudis admirationem, non cum aliorum laudibus comparandam. Quantum enim te exæquas inferioribus amicis manſuetudine, benevolentia, familiaritate, tantum altitudinem animi tui, virtutis glória exageras. Sed hæc hactenus: ſunt enim majoribus theatris propoſita. Quod ad ea attinet, de quibus te conſulueram, ſatis omnino abs te mihi eſt factum, doleo tamen te tua in eo genere ſcripta deſiderare: quorum venuſtatem & elegantiam vel ex hoc conjicere poſſumus cujuſmodi fuerit, quod illa barbaris idonea viſa ſunt quæ diſiicerentur. Illud & optarim ſcire, poſtquam adſciſcunt Moyſis libros Mahumethani, num & Prophetas ſuſcipiant, multamque in veteri lege aſperſam eſſe exiſtiment futu-

futurarum rerum prædictionem : & an ipſi quoque Meſſiam aliquem expectent . Nam uſum quidem vini cur interdixerunt , cum tantum uxoribus compluribus ducendis , pellicibuſque habendis , libidini ab illis ſit tributum ? Si modo hæc vera ſunt : de quibus cupio a te fieri certior . Ego , ſi mihi optata Deus conceſſerit , efficiam profecto , ut ne te pœniteat aliquantum hoc laboris mea cauſa cepiſſe . Sin autem (ut humana ſunt) mea ſpes me forte fruſtrata fuerit , tu tamen virtutis tuæ & officii fructum tecum auferes . Certe quod in obſervantia , omnique amore , & meritorum tuorum memoria , præſtari a me tibi , nomini , laudi , honorique tuo uſpiam poterit , large enimvero id & prolixe præſtabitur . Vale . Carpentoracti .

EPISTOLA CXVII.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoract.

Petro Bembo S. P. D.

Laudat primum ejus ſcripta, tum de Paulo Sadoleto, deque Jovio, poſtremo de ſua in iis locis permanendi voluntate agit.

Quod excuſationem præponis in tuis literis (*a*), quamobrem libri tui non tam cito miſſi mihi fuerint, in eam ac cipio partem, ut tu potius humanitate tibi ſolita utaris, quam quod id fuerit neceſſe. Nihil enim tuum, ullo unquam tempore, venire in ſuſpicionem negligentiæ poteſt. Et illi quidem avide expectabantur a me: verum ut tamen, quoquo veniſſent tempore, gratiſſimi futuri eſſent. Sed, ut perſpicio, correxit moram omnem liberalitas tua: cum fenore enim redditi nobis ſunt, accepimuſque plus quam ſperaremus, & quam fuerat inter nos pactum. Itaque magis eſt cur tibi gratias agam, quam quod de tuorum, ut ſcribis, tarditate querar. Ego vero illos & legi, & lego, tantumque ex lectione eorum capio voluptatis: quantum verbis conſequi non poſſum. Nam & ſermonis nitor atque elegantia, & rerum, quæ inibi explicantur ubertas, varie-

(a) Bembi litteræ, ad quas in hiſce Sadoletus reſpondet, inter ejus Epiſtolas haud inveniuntur. Vide ſuperius notas in Epiſt. LXXVI. pag. 214.

varietas, dignitas, & amiciſſimi hominis in eis imago ac monumentum, & meus mehercule erga teipſum amor, omnia ejuſmodi, ut miranda mea quædam ſit in legendis illis delectatio. Nec multo ſecus in vernaculis. Non enim credo exiſtimare te, funditus me guſtum omnem illuſmodi ſcriptorum etiam perdidiſſe, faciſque nonnullam amicitiæ injuriam; qui me in invidiam eam voces, tanquam illa ſint non mei ſtomachi (ſic enim ſcribis) quaſi non ego poſſim pronuntiare complura tua in eo genere, quæ olim a me memoriæ mandata ſunt, cum Aſulanis tuis ediſcendis, operæ & temporis non minimum impendiſſem. Sed tu fortaſſe conjicis ex eo, illa mihi non placere, quod te avocare ſolebam ab illis literis. Faciebam ego id quidem, ſed conſilio, ut videbar, bono. Cum enim in Latinis major multo ineſſet dignitas, tuque in ea facultate princeps mihi longe viderere, non tam abſtrahebam te illinc, quam huc vocabam. Nec ſtudium reprehendebam in illis tuum, ſed te majora quædam ſpectare debere arbitrabar. Quod ſi tu ea magnitudine ingenii es, ut præclare utrumque præſtiteris, non mea ratio redarguenda, ſed tua prædicanda, & ferenda in cœlum eſt virtus. Paulus quidem meus ita incenſus eſt ſtudio tua legendi, ut ſatiari non queat, quem hic nos habemus non jam diſcipulum nunc quidem, ſed mirificum comitem ſtudiorum noſtrorum. Tantos enim progreſſus habet in literis, ut ejus quoque nos judicio in noſtris ſcriptis libentiſſime utamur. De Jovio, quod ſcribis, gratum eſt: cognovi ego illum ſemper mihi amiciſſimum, & vero etiam tibi. Habet enim ille quod pau-
ci,

ci, ut in eadem paleſtra, qua ipſe ſe exercet, aliorum nihil invideat induſtriæ: ex quo majore etiam laude eſt dignus. Meum quidem conſilium huc concedendi, & in his permanendi locis, cum ſemper mihi placuit, tum etiam magis mihi probatum debet eſſe, ſi tibi eſt: & illis, quibuſcum te locutum Bononiæ, & illorum opiniones de me inaudiſſe narras. Quod gaudeo equidem in ea eſſe ſententia, ut probent: ſed tu unus mihi multorum inſtar. Equidem ipſe quod ad mei animi ſenſum attinet, majorem in dies capio ex eo conſilio voluptatem. Non eram enim natus omnino ſervituti; & erat tempus aliquod nobis ad recolenda noſtra illa præclara ſtudia ſumendum. Tum ætas jam ad ocium ſenectutemque deflexa, me ad requietem, & tanquam in portum invitabat. Tum autem alia multa. Quanquam quid ego ſingula commemorem cum id ita ut facerem, ſuaſerint mihi omnia? Egi igitur quod putavi eſſe rectum; quam ſapienter, neſcio, fortiter quidem, & feliciter certe. Ea enim ſunt conſecuta, ut qui etiam non ex ratione, ſed ex eventis conſilia hominum ponderant, meum factum non ſint auſi vituperare. Quare quoniam ſumus in portu, teneamus ſtationem, quam cepimus, & quod reliquum fuerit vitæ, honeſtiſſimis ſtudiis atque actionibus impendamus. Deus modo propitius ſit, & commode valere liceat; præſtabimus, ut ratio extet otii noſtri. Unus nobis deeſt conſpectus, vel potius congreſſus tuus, qui nunc quidem foret, ut tu ſuaviſſime ſcribis, noſtrum utrique dulciſſimus. Sed quoniam id non poteſt, ſimus hac epiſtolarum inter nos collocutione

con-

contenti: quæ quidnam prohibet quæſo, ut ne ſit crebrior? Amabo te, quando ad eam urbem es, in qua omnium fere gentium negotia geruntur, perſpice, quorum fide & opera optime inter nos commeare poſſint literæ: equidem ſequar conſtitutum tuum. Commentarium meum plane nolo Venetiis imprimi, ab illo ἀρχετύπῳ dumtaxat, qui commutatus fuit pluribus locis. Eum Lugduni imprimendum curavimus: cujus mittimus tibi volumen unum, verius aliquantum nos quidem exiſtimantes, non placiturum illum tibi, nec tui fore ſtomachi: nec tam mehercule, quod non præclaræ in eo agantur res: ſed quia barbara multa & obſoleta neceſſario aſperſa ſunt: noſti enim morem hujus ſcriptionis. Tu boni conſule quicquid eſt, & nos amare perſevera, mi chariſſime atque optatiſſime Bembe, amore illo fraterno, quo jam diu conjuncti inter nos ſumus germanum in modum. Flaminium optimum adoleſcentem, & eundem deditum optimis ſtudiis, Colamque item tuum, cujus ego fidem, diligentiam, virtutem, quotidie pluris facio, ſalvere jube plurimum verbis meis. Vale. Ex ſuburbano noſtro Carpentoractenſi XI. Cal. Aug. M.D.XXX.

EPISTOLA CXVIII. (*a*)

PETRUS BEMBUS

Jac. Sadoleto Epiſc. Carpentoractenſi.

Ejus litteris reſpondet, certioremque eum facit de munere ſibi a Decemviris Reipublicæ commiſſo, Venetæ hiſtoriæ conſcribendi. Tandem de ratione qua ad eum litteras commode mittat, deque Flaminio Tomarutio & Cola Bruno communibus amicis agit.

NON queo ſcribere, quantæ mihi voluptati fuerint humaniſſimæ tuæ ſuaviſſimæque literæ, quibus ad eas meas literas reſpondiſti, quas ad te cum meis miſeram libris Patavio (*b*). Multa enim in Epiſtolam conjeciſti, quæ me ſingula mirum in modum delectarunt. Primum voluptatem, quam te ais capere ex meis ſcriptis, non latinis modo, ſed vernaculis etiam; quorum quidem ego ſcriptorum rationem omnem exiſtimabam tibi penitus non probari; deinde memoriam, quam te video non abjeciſſe noſtrorum ſtudiorum, cum adoleſcentes & amore bonarum artium, & ætatis ardore incenſi, nihil non aggrediebamur. Deinde tui erga me amoris ſummi atque incredibilis commemorationem con-

(a) Extat Epiſtolarum Bembi Familiarium lib. III. Epiſt. 25.

(b) Quæ quidem litteræ, ut ſuperius diximus inter ipſius Bembi Epiſtolas minime reperiuntur.

conjunctam cum graviſſimo atque conſtanti de me teſtimonio judicii tui, quo nihil mihi eſſe potuit optatius: poſtremo Pauli fratris tui filii, cum mirificum in me colendo ſtudium, tum magnos jam acceſſus ad bonas arteis, atque ad omnem imitationem tui, cujus etiam erant ad me ipſum literæ (quæ tuæ quidem orationis ſuavitatem elegantiamque redolerent) una cum tuis literis. O aureum ſane adoleſcentem, teque qui tam celeriter tuorum in eo erudiendo laborum ſuſceptorum fructus uberes jucundiſſimoſque percipis, plane felicem! De quo tibi equidem gratulor, eoque magis, quod ipſe in Carolo fratris mei filio, quem alueram educaveramque pro meo, ſacerdotio etiam auxeram honeſtiſſimi proventus, afflictior deſperatiorque ſum. Sed ut ad tuas redeam literas, illud mihi etiam & quidem omnium jucundiſſimum fuit quod ſcribis, conſilio profectionis tuæ te in dies ſingulos magis magiſque delectari, capereque ex ocio Gallico fructum. Cujus rei teſtem locupletiſſimum mihi miſiſti librum tuum (*a*), quem avide ſane legi, videoque te in ſacris etiam literis excellere, quibus quidem literis propter Romanos labores tuos multorum annorum, ſatis impendere temporis nequiviſti. Sed omnino tuum præſtans & eximium, atque ad omnes capeſſendas bonas arteis & diſciplinas mirificum ingenium, quod alii longinquo vitæ ſpatio vix conſequuntur, ut ferendi ſint, ipſe in eo, brevi ut

(a) Commentarium ſcilicet in Pſalmum nonageſimum tertium.

vi ut emineas, efficit. Itaque nihil eſt tam egregium atque ſummum, quo te non poſſe progredi exiſtimem, ſi perges ejus generis res tractare ac ſcribere. Sed te malim priore in palæſtra, tua illa ſcilicet, robuſtiore hilarioreque verſari, ex qua minore cum labore tuo, ut mihi quidem videtur, plus in te laudis & gloriæ redundabit. Quanquam quid te ad ullum genus hortor ſtudiorum atque ſcriptorum, cum videam eorum magnam partem non tam noſtra ipſorum voluntate atque conſilio, quam caſu etiam & fortuna regi atque adminiſtrari? Ego enim qui profecto ad ſcribendam hiſtoriam nunquam animum induxi meum, neque putabam poſſe accidere, ut in eam cogitationem me darem, nunc quidem nihil prope aliud cogito noctes ac dies, ut Reipublicæ ſatisfaciam, quæ me his proximis diebus propter Naugerii noſtri mortem, qui confecti nihil reliquit, X. virum decreto, ad eam ſcriptionem ſibi advocavit*. Ei ego negare non ſum auſus. Itaque totus in eo nunc quidem ſum, non ut conſcribam jam aliquid mandemque literis, quod in manus hominum veniat; ſed ut in rerum geſtarum veritate indaganda, & cum temporum, tum locorum, ceterarumque ejus muneris partium rationibus colligendis, meus omnis labor verſetur. Id cum erimus conſequuti, tum ad ſcribendum me conferam (a). Quod eo mihi erit difficilius, quod

(a) Prodiit primum hæc Veneta Bembi Hiſtoria in libros XII. diſtributa poſt authoris obitum Venetiis apud Aldi filios an. 1551. in fol. Joanne Caſa Archiep. Beneven-

quod ad ocium jam & requietem me converteram, annis animiſque conſeneſcentibus. Quæ ſcripſi pluribus, ut nihil mearum non modo rerum, ſed etiam cogitationum te lateret. Ceterum quod poſtulas, ut perſpiciam quorum fide & opera noſtræ literæ commeare commode poſſint, id optime fiet, ſi tu, quas ad me literas deinceps dabis, eas ad Lazarum Baifium (a) Oratorem Regis Galliarum Venetias

neventano curante, cujus extat ad Franc. Donatum Venetiarum Principem Præfatio. In hujus autem hiſtoriæ Prooemio hæc ſcribit idem Bembus: „ Hiſtoriæ „ Venetæ res, annorum quatuor & quadraginta ſcribere „ aggredior, non judicio, aut quod ita mihi libuerit, „ ſed quodam quaſi fato, vel certe caſu. Nam cum „ Andrea Naugerio, cui hæc publice cura tradita fue„ rat, in legatione Gallica vita functo, Decemviri „ a me collegii decreto petiiſſent, ut, quando is mo„ riens ſua ſcripta comburi juſſit, ipſe ea in re atque „ munere patriæ meam opem requirenti ne deeſſem: „ pudore verecundiaque recuſandi ad variam atque „ multiplicem, quodque vere poſſim dicere, multo „ maxime operoſam ſcriptionem me contuli annos na„ tus sexaginta, &c. „ Vide hac de re ejuſdem Bembi Epiſtolam Italicam ad Joan.Baptiſtam Rhanuſinum Collegii Decemvirum a ſecretis datam *a dì* 21.*Giugno* 1529. qua ejus litteris reſpondet, quibus illum de munere ei a Decemviris mandato certiorem ſaciebat. Conſule præterea præfationem eidem hiſtoriæ præpoſitam, quæ legitur tom. 1. operum ejuſdem Bembi edit. Venetæ an. 1729.

(a) Hinc Bembus ad Baifium ſcribens Patav. III.Idus Junii anno 1530. lib. VI. mittit ad eum dialogos aliquot ſuos nuper editos, quos ipſe adoleſcens confecerat, Lugdunum primo perferrendos, ac poſtea Sadoleto reddendos Carpentoracte. Ad hæc eodem anno Bai-

ſtratum neſcio quem, a populo Romano extra urbem adeptus, in eo ſe exercet. Credo tamen illum ad nos cogitare, ut in Philoſophiæ bonarumque artium ſtudiis, quibus ſe totum tradiderat, confirmare ſeſe poſſit. Valet ingenio multum. Eſt etiam ut adoleſcens & prudens & gravis & plane bonus. Itaque patrem omnibus numeris anteiſſe mihi quidem videtur, amaturque a nobis majorem in modum. Cola meus vel potius noſter (*a*) tibi gratias agit, quod de ſe tam honorifice ſentias. Ego quidem eo ſic utor, tanquam oculis aut manibus: ſic hominem diligo, ut nihil mihi ſit in vita, neque charius neque jucundius. Itaque videor mihi rex eſſe, qui illum habeam, cum ejus fidem atque in me amando conſtantiam, cum tuendis rebus meis diligentiam, cum virtutem, ingenium, judicium, ſtudia, literaſque ipſas caſtiores mundioreſque intueor. Ab eo te ſalvere jubeo plurimum, itemque a Marco Antonio Michaele, qui te unum pluris facit, quam omnes homines. Is eſt nunc quidem paterfamilias: habet enim & uxorem eleganti ſane forma (*b*) & liberos, remque ipſam familiarem ſatis amplam atque commodam. De Hortenſio tuo, ſi quid confeciſti, fac ut ſciam. Vale. Quartodecimo Cal. Februarii M. D. XXXI. Patavio. (*c*)

(a) Cola Brunus hic eſt, ad quem extant Bembi litteræ lib. VI.

(b) Vide Epiſtolam Nigri ad Sadoletum, quæ eſt, ordine LXXXII. pag. 200.

(c) His litteris reſpondet Sadoletus Epiſtola quæ eſt ordine CXXIX.

EPI-

EPISTOLA CXIX.

JACOBUS SADOLETUS EPISCOP. CARPENT.

Joan. Franciſco Pico, Mirandulæ Comiti S. P. D. (a)

Ejus litteris reſcribit, deque ſuis ſtudiis eum certiorem facit.

SUmma voluptate affecerunt me literæ tuæ: recognovi enim in illis tuam priſtinam virtutem conjunctam ſingulari erga me benevolentia: quarum alteram ſemper in te colui, atque admiratus ſum: altera cum me antea delectavit, tum vero præcipue in hoc tempore delectat, quo ego abſens liquidius poſſum de uniuſcujuſque ſtudio atque amore erga me, & de amicitiæ fide judicare. Quam quod in te egregiam eſſe conſpicio, & cæterarum ſimilem virtutum, cumque tu is vir ſis, ut tuum de quoque homine judicium maximo illi ornamento ſit, quem diligas: merito fit a me, ut ego omnium rerum chariſſimum habeam hoc teſtimonium tuæ erga me voluntatis. Quamobrem ſcito (iterandum eſt enim) nihil mihi potuiſſe accidere literis tuis optatius. Quod autem ſcribis perhumane atque amanter, te non parum mea tui memoria lætari, eoſque reprehendis, qui tanquam expertes omnis humani ſenſus, his ami-

(a) Extat Joan. Franciſci Pici Epiſtola ad Petrum Bembum de imitatione, cum Bembi ad eam reſponſione.

amicorum benevolentiæ ſignis atque judiciis non moveantur; facis jure tu quidem. Quid enim magis eſt hominis, quam amare velle, atque amari? Aut qui omnino fructus communis vitæ eſt dulcior, quam convictus & conſuetudo cum præſentibus amicis, inter abſentes mutua recordatio? Séd ego memoriam tui, ne ſi velim quidem, dimittere ullo modo poſſum. Non enim leviter fuit impreſſa: nec tu is es, in quo quid non inſigne ſit ad recordandum. Sed cum & velle oblivifci amici ſit nefas; & tu inaudito quodam, & ſingulari genere virtutis communem laudem & uſitatam multum anteceſſeris; non in memoria ſolum noſtra, ſed in ore & oculis, & in intimis ſenſibus aſſiduus hæres. Cuperem nunc hic commemorare, quæ res me impulerunt in admirationem tui, & quam gravibus de cauſis ſim tibi deditus. Sed quoniam tu homo ſanctus & ſeverus hæc ipſa contemnis, moderabor ipſe mihi, nec tibi oneri ero. Tantum dicam, hac noſtra ætate, his hominum moribus adhuc nuſquam vidiſſe me in iis, qui populis & cœtibus hominum cum imperio præſunt, vim cum jure, poteſtatem cum modeſtia, religionem cum armis, ſummam rerum atque artium optimarum ſcientiam cum gubernandi labore atque cura, niſi in te uno eſſe conjunctam: ut qui te ſemel noverit, idem ſi fiat poſtea tui immemor, facile etiam probare poſſit, eſſe ſe oblitum ſui. Verum pauca hæc hactenus, quæ tamen vereor, ne tibi nimium multa eſſe videantur. De commentario meo incredibiliter gaudeo, & operam & ſtudium meum tibi probari. Quapropter ego, etſi ſponte mea ſatis in id ſtu-

dium animatus, tua tamen cohortatione, & monitis factus ardentior, enitar poſthac, ut plura præſtare poſſim. In quam eveſtigio curam & cogitationem incumberem, ni haberem in manibus veteres quaſdam lucubratiunculas meas, quas perficere conſtitui, ne omnis anteactæ vitæ labor intereat. His quidem abſolutis, quod brevi fore confido, omnis mihi opera in ſacris & rebus, & literis inſumetur, Deus modo propitius ſit, conabor efficere aliquid, quod ſi non propter doctrinam, quæ in me perexigua eſt, neque propter vitæ & morum ſanctitatem, a qua ego longiſſime abſum: at propter amorem & ſtudium Chriſtianæ religionis quo ego ſum majorem in modum incenſus, afferre nonnihil luminis ad communem vitam & utilitatis poſſit. Sed hæc Deus direxerit, is qui omnia unus poteſt. Ego te mihi chariſſime, ac doctiſſime Pice, & amo coloque, tantum ſcilicet, quantum cum mea fides, tum tua eximia virtus poſtulat, & me abs te amari vehementer gaudeo; habeoqne Gregorio Lilio noſtro gratiam, qui occaſionem hanc præbuerit, & tibi ut ſcriberes ad me, & mihi tibi reſcribendi. Quem quod foves & ſuſtentas in ejus afflictis rebus, facis quidem quod te decet: neque ego habeo exemplum aliud quid deceat, quam te ipſum præſtantius. Sed & mihi facis gratiſſimum, qui illum non mediocriter diligo. Erit igitur hoc quoque in numero tuorum optime ſanctiſſimeque factorum. Paulus meus, & idem tuus (te enim ſemper fere habet in ore) mirifice literis bonis deditus eſt: quas etiam ſequuntur mores boni. Itaque tantos progreſſus facit, ut mihi ipſi magiſtro judicium

cium ejus in meis ſcriptis, non modo exquirendum, verum etiam extimeſcendum eſſe videatur. Eum ego confido (Deus ita conata adjuvet) & meæ, & veſtrum, qui illum amatis, expectationi cumulate ſatisfacturum eſſe, atque in eam partem maxime, quam tu Pice recte probas. Is tibi refert plurimam ſalutem. Vale, & nos dilige. Ex ſuburbano noſtro Carpentoracti, IX. Calend. Auguſti M. D. XXX.

EPISTOLA CXX.

FEDERICUS FREGOSIUS
ARCHIEP. SALERNI

Jacobo Sadoleto Epiſc. Carpentor.
S. P. D. *Carpent.*

Rationem tradit, qua tutius ejus liber ad ſe perferatur, deque ſuis ſtudiis, confectiſque a ſe in duos Pſalmos meditationibus eum certiorem facit.

QUam vellem mutua tibi amicitiæ noſtræ officia ex meis ſtudiis præſtare poſſe: & te quam ſimillimo munere remunerari. Sed quando pares tibi referre gratias minime poſſumus, eo majores habebimus. Quapropter hunc ad te ex noſtris contubernalibus nuntium deſtinavi, ut eſſet cui tuto, ac ſine utriuſque noſtrum ſolicitudine liber tuus committeretur, & ad nos quam celerrime præferretur. Mira enim aviditate teneor tuorum ſcriptorum, dum ea non lego, & dum lego voluptate. Gratum tamen mihi admodum

feciſſes, ſi ſuperioribus tuis literis libri argumentum ſignificaſſes. Sed hoc te puto facere voluiſſe, ut una tantum, ſed ea majore lætitia perfunderemur. Tuæ autem prudentiæ erit ſic librum involvere, & operimentis munire, ut a pluviarum injuria integer atque incolumis nobis reddi poſſit. Eum cum perlegero, ſententiam de eo meam, atque judicium diligenter perſcribam: ut ex me cognoſcere poſſis, quam in tua ſcripta atque in te ipſum iniquus ſis judex. Nemo enim eſt (mihi crede) a quo ea probari malle debeas, quam a te ipſo: nec gravius judicium ad ea examinanda afferri poteſt, quam quo in ſcribendo fuerint meditata. Scripſeram ego quoque his diebus meditationes quaſdam in duos Pſalmos quam breviſſimos, in CXXX. & CXLV. ferventi ſane animi affectu, ſed frigido atque inerti ſtylo: meo ſcilicet; quas ad te olim miſiſſem, niſi & eadem librariorum penuria ac tu, hìc laboraremus. Et (ut verum fatear) acrimoniam ingenii atque judicii tui ſubveritus eſſem, ne tu ab aliis exigeres, quod præſtare ſolus potes. Illudque veniebat in mentem, huic quid mihi cum tam ſevero judice, qui cum ſua ſcripta cæteris probentur omnibus, ac permagni æſtimantur, ſolus ipſe non probat ac rejicit. Sed ſi æquiorem fore te in me judicem, quam in te ipſum ſis, pollicitus fueris, fortaſſe mittam, & aliqua ratione eas deſcribendas curabo: ea etiam conditione addita, ut nulli omnino eas legendas concedas, niſi plane intimus amicus tuus ſit, ac prope domeſticus: ne antequam adhortationibus tuis de atterendis Tullianis codicibus obtemperare cœpero, inertiæ ac tardi-

tatis

tatis infamiam ſubeam. Miſi eas tamen Ludovico Bajucenſi Epiſcopo, cujus judicium non adeo reformido. In quibus eum utinam affectum deprehendere poſſes, quo ſcriptæ fuerunt: minus enim eſſent ineptæ: attamen aliquantulam in ſacris literis exercitationem agnoſces. Sed de his nimis multa. Profectionem meam in Italiam ex primo vere in ultimam æſtatem rejeci. Quid etiam tunc facturus ſim, mihi nondum plane compertum eſt, ita omnia mea conſilia incerta atque implicata reddidere eæ calamitates, quæ ex Italia nuntiantur. Quicquid autem ſtatuero, quam primum ut ſcias curabo. Illo enim ſuavi amicorum noſtrorum convictu atque conſuetudine, ex qua ſummam voluptatem percipere ſolebam, vix tam diu careo, vitamque meam eo nomine acerbiſſimam puto. Hic verò novos parare, qui loco illorum ſubſtitui poſſint, quos vel mors eripuit, vel fortuna disjunxit, mihi ſane eſt impoſſibile, his præſertim temporibus, his regionibus, his moribus. Fac ut valeas, & amicitiam noſtram, ut literis mandas, ita etiam memoria conſerves. Paulo verò noſtro multam ſalutem. Divione, pridie Non. Februarii (*a*).

(a) Annus quo hæc Epiſtola ſcripta ſit, omnino incertus. Non enim reperitur Sadoleti ad eam reſponſum, ex quo aliquod lumen poſſemus accipere. Attamen ſi conjecturis locus dandus eſt, eam ad annum potius 1529. rejiciendam putarem, quo anno in Italiam Fregoſius eſt profectus, ut patet ex Epiſt.CI. p.296. & CII. p.299. Has autem litteras redditas Sadoleto non fuiſſe dicendum eſt, ſi ad ea quæ idem ſcribit Ep.CIII. p.289. animum adjiciamus.

EPISTOLA CXXI.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni
S. P. D. *Bononiam.*

Ejus literis reſpondens, de beneficiis ſibi ab eo collatis agit, excuſatque tarditatem literarum.

ETſi quotieſcunque literas tuas lego, toties ſentio me nova quadam lætitia affici, ut nihil eſſe mihi poſſit earum lectione jucundius: tamen proximæ literæ tuæ, quas ego Nonis Julii abs te datas, tertio Nonas Septembris accepi, mihi moleſtiæ aliquantum plus, quam voluptatis attulerunt. Nihil enim gravius accidere mihi potuit, nec quod minus ferre poſſent ſenſus animi mei, quam intelligere, te ſuſpicari, aliquid mihi accidiſſe abs te, ex quo animus meus in te eſſet offenſior: cum præſertim id agas tam multis verbis, ut vere de me neſcio quid dubitaſſe videare. Aſt ego contra, primum hoc dico, nihil me unquam eſſe in te conſpicatum, quod vel proprium eſſet tuum, vel mecum tibi in noſtra amicitia commune, in quo non admirabilis mihi tua virtus, & benevolentia erga me, eximia viſa fuerit. Et in utroque quidem multa mea extant, neque ea obſcura, de tua virtute humanitateque teſtimonia. Sed non ſumam mihi in præſentia, cuncta ut commemorem. Illa perſtringam brevi, quæ tui amoris erga me propria ſunt, quorum nunquam me quidem cepit

cepit oblivio. Sed commemorationem antehac verecundia impedivit, cujus tu nunc non prætermittendæ neceſſitatem quandam mihi affers. Nam ſive prima noſtræ familiaritatis initia ſpectemus, quid tua tunc erga me comitate, liberalitate, beneficentia illuſtrius? ſive hæc poſtrema (nam media fortunæ vitio, occupationibus maximis utriuſque noſtrum, & locorum disjunctione, non tam teſtata eſſe potuerunt) quem ego poſſum afferre ex pluribus amicis, quos mea mihi officia quamplurima conciliarant, qui majus erga me oſtenderit ſui animi ſtudium, aut cui tantopere ſalus mea curæ fuerit? Veni in Galliam, nudus rerum omnium, tanquam ex naufragio in terram ejectus. An me oblitum putas illarum literarum tuarum, quas ad me prior miſiſti? in quibus cum eſſet ſuaviſſima recordatio veteris noſtræ neceſſitudinis & declaratio amoris in me tui: nonne cum fortunas omnes tuas in communionem meorum temporum mihi obtuliſti, tum humaniſſimis atque amantiſſimis verbis paria facta reſponderunt? Juviſti me opibus, inſtruxiſti libris, quorum ego jactura (maximam enim feceram) non mediocriter angebar: omnibus & prudentiæ, & liberalitatis tuæ conſiliis auxiliiſque foviſti. Quo quidem tempore, cum cætera mihi ex te jucundiſſima acciderent, illud tantum ſubmoleſte ferebam, quod majora ſubire conabaris mea cauſa onera, quam ut meus pudor facilè pati poſſet. Hæc ego qui noſſe debeam & in memoria habere, quid ita, quæſo, ſum a te in injuſtæ iracundiæ crimen vocatus? qui etiam ſi juſtam aliquam haberem ſuccen-

 ſendi

ſendi tibi cauſam, non poſſem id ſine nefario ſcelere, & ſine magna commutatione meæ naturæ ac voluntatis facere: quam ita jam pridem habeo inſtitutam, ut nullas cognoſcat injurias, ſignificationibus autem benevolentiæ maxime obligetur. Vide quæſo dulciſſime Federice, ne in hoc me aliquo inconſtantiæ & levitatis crimine condemnes. Quod etſi moleſtum mihi foret tibi ita videri; mea me tamen conſcientia conſolaretur. Mihi enim ipſe ſum cognitus, & ſcio nihil a me commiſſum; quod ad noſtræ amicitiæ fidem, vel minima ulla ex parte violandam poſſit valere. Quanquam ne tu quidem de me aliter ſentis: non enim dubito quin me firmum & certum amicum eſſe conſtituas, potiuſque tua illa ſuſpicio tota fuit amoris; & nimirum ita eſt. Habet enim hoc illa animi affectio peculiare, ut quod maxime appetit atque optat, ejus amittendi ſuſpicione maxime ſtimuletur. Sed tu ſi verè de me exiſtimare volueris, & cogitare cum animo tuo, quis aut ego ſim, vel cujuſmodi eſſe debeam, præſertim adverſus te, cujus tot & tanta erga me extant merita: cognoſces profecto, nihil fieri poſſe in omni amore & obſervantia tui, ſtudio meo & voluntate flagrantius. Nam quod jam diu non ſcripſi, primum, non fuit quod ſcriberem, nec per quos: neque tu tamen in eo diligentior me fuiſti. Deinde, nunquam ego in literis arbitratus ſum indicium omne amoris & benevolentiæ conſiſtere: vel eo argumento, quod tam diu antea cum nihil inter nos commeaverit literarum, incolumem tamen benevolentiam ſervavimus. Et tamen recordor me

ſta-

ſtatim ad eas tuas reſcripſiſſe, quas Avenione cum eſſem, acceperam, Pſalmique impreſſi volumen unum tibi miſiſſe, cum,ſi tum me aut tua Ariſtotelis reprehenſio, aut cohortatio ad ſacras literas commoviſſet, fuerim aliquod ſignum turbati animi tibi daturus. Ac cohortatio quidem tua mihi & ſapientiſſimi conſilii, & amiciſſimæ voluntatis ſemper plena viſa eſt. Cum Ariſtotele vero nulla mihi eſt cognatio, niſi quod hominis illius acumen & doctrinam præcipue miratus ſum: ac maximus mihi ille quidem & doctiſſimus Philoſophorum ſemper eſt habitus. Sed quid tam liberum eſſe debet, quam ſuum unicuique de re quaque judicium? opinionum porro inter amicos diſſentio aliqua aliquando eſt, voluntatum nunquam. Quamobrem de his tu & quemadmodum voles ita ſenties, & hoc nos animo erimus, ut Philoſophiam cum ſacra doctrina nunquam non conjungendam eſſe arbitremur. Sed hæc ſatis, aut nimis fortaſſe multa. Ego his diebus accepi ex Germania aliquot doctorum hominum, & in his Eraſmi literas (a). Pſalmum noſtrum ibidem de integro impreſſum ſtatim divulgaverunt: unum volumen miſerunt ad me; rem mirabiliter probant. Eraſmus quidem, ut ſibi ipſe diſplicere, & ſua jam ſcripta contemnere videatur. Literæ ſcriptæ docte & copioſe. Sed de doctrina nihil ſcilicet novi. De hominis probitate, ingenuitate, virtute, aliquid novi fortaſſe, vel enim non tantum, vel non ita putares. Scito igitur ea in illius

 lite-

(a) De his Eraſmi ad Sadoletum litteris, vide quæ diximus in notis ad Epiſtolam CXII, pag. 336. & 337.

literis elucere ſigna integri animi, & probi, & alienam virtutem ſtudiosè amplectentis, ut digniſſimus ſit, qui & ametur a nobis, & in honore habeatur (a). Cui ego me ut reſpondeam, paro (b): ne me humanitate & ingenuitate vinci patiar. Spes eſt aliquid in ea natione a nobis profectum fuiſſe. Quod ſi benignitate Dei fuerit factum, næ ego maximum,

(a) Atqui multum rei Catholicæ Eraſmum incommodaſſe, cum a Friderico Electore Saſſoniæ requiſitus quid de Luthero ſentiret, nimiam dumtaxat ſcribendi acerbitatem excipere viſus eſt, cetera non improbare, nemo eſt qui ignoret. Conſtat præterea inter omnes, multa in Eraſmi ſcriptis irrepſiſſe partim impia, partim a recepta more inſtitutoque majorum, atque a Catholica Eccleſia comprobata doctrina omnino abhorrentia, adeo ut optimo meritoque jure a Tridentina Synodo delecti Patres Theologica ejus ſcripta alia abſolute legi vetuerint, alia donec expurgentur prohibenda exiſtimarint. Quæ quidem quamquam ita in aperto ſint, ut res demonſtratione non egeat, illud tamen etiam fateri debet, Eraſmum ſæpius contra Lutheranos declamaſſe & Catholicorum partes ſuſcepiſſe. Itaque nunquam illum inter ſuos Heterodoxi homines numerare potuerunt; *qui noſter profecto non fuit* (ut Georgii Calixti verbis utar) *neque eſſe vel audire unquam voluit*. Atque hæc potiſſimum in cauſa ſunt, cur mirari minime debeamus, indulgentiorem erga illum fuiſſe Sadoletum, ejuſque laudes celebrare cum hoc loco, tum ſæpe in Epiſtolis quas ad eum vel proprio, vel Leonis X. nomine ſcripſit. Vide hac de re notas in Epiſtolas Pontificias pag. 121. & 222. nec non in Familiares quæ ſunt ordine XXXVI. XLVI. LXXXVI. XCII. pag. 118. 137. 247. 248. 336 & 337. tum etiam adnotationes ad Sadoleti vitam pag. LXXIII. & ſeqq.

(b) Et quidem reſpondit Epiſtola ſequenti, quæ eſt ordine CXXII.

mum, & maxime optatum mei laboris præmium fuero adeptus. Sed alias de his. Tu ut me ames; teque a me & diligentiſſime coli, & conſtantiſſime amari, ut certum atque exploratum tibi habeas magnopere a te peto. Vale. Pridie Idus Septembis M. D. XXX. Carpentoracti.

EPISTOLA CXXII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Deſ. Eraſmo Roterodamo. *Friburg.*

Ejus doctrinam virtuteſque commendat, hominemque iterum hortatur, ut quædam pietatem redolentia oppugnare prætermittat, deque nonnullis Græcis Pſalmorum interpretibus ſermonem inſtituit.

TUm de meo pſalmo judicium, tanquam profectum ab homine omnium doctiſſimo, & viro maximo (*a*) magna quidem animum meum voluptate affecit. Sed cum tui nominis auctoritas, mi Eraſme, ejuſmodi ſit, ut brevis tua commendatio pro inſigni laude ceterorum omnium valere debeat, facile perſpexi, quo plus tu in laudes dixiſti meas, quam quod mei ingenii tenuitas ſuſtinere poſ-

Q 6 ſet,

(a) Vide quæ de propenſa Sadoleti erga Eraſmum voluntate, eximiaque ejuſdem de illius doctrina opinione, diximus ſuperius in notis ad Epiſtolas XXXVI. XLIV. & LXXXVI. pag. 118. 137. 247. & 248.

ſet, totum id abs te amori in me tuo fuiſſe datum, & tuæ præſtanti eximiæque humanitati: in qua tu mihi videris jam velle, ſicut in optimarum artium tractatione & ſcientia, omnibus nobis antecellere. Etenim ſi meus frater germanus eſſes, qui potuiſti magis, aut oſtendere lætitiam animi tui, quam ex mei ingenioli partu qualicumque illo quidem, percepiſti, aut tuam erga me benevolentiam declarare, in quo ipſo utique apparet & extat quædam rara omnibus ſeculis naturæ tuæ probitas & ſingularis integritas, nullo infuſcata obtrectandi ſtudio. Quod tamen eſt veræ atque perfectæ virtutis proprium; cujus qui compotes ſunt, cum ipſi ſibi confidant, alienas etiam ſolent virtutes exoſculari. Sed ego me indignum tuo iſto de me teſtimonio arbitraturus ſum, ſi tibi conceſſero, ut tu in me amando priores partes feras. Non enim aut ita tardo ingenio ſum natus, ut non cognoſcam, quid requirant præſtantiſſimæ virtutes tuæ, aut ita ingrato, ut tuæ optimæ erga me voluntati non parem gratiam reddam. Sed quoniam hæc factis melius præſtanda ſunt, quam verbis; ſit hactenus de eis dictum. Pſalmum tuum mihi redditum (*a*), cum in prandio eſſem, & aliquot graves viri mecum una eſſent, avide perlegi, curſim videlicet, nec potui illum retinere quin mihi extorqueretur e manibus: tanta eſt cunctorum legendi tua cupiditas. Itaque expecto dum eum de integro legam. Quantum

(a) Loquitur heic Sadoletus de Eraſmi Commentario in Pſalmum XXII.

tum tamen ex illo primo aſpectu percipere potui, duæ me res in eo eximiè delectaverunt. Una, quod ubique fere & omnibus in locis ſtimulis quibuſdam pietatis ac religionis ex verbis tuis animum meum pertentari ſentiebam: ita dulcis & pia, & omneis deliniens ſenſus fluebat oratio. Altera, quod tu certe in hoc genere factus es conſtatior adverſus ineptorum hominum moleſtiſſimas garrulitates non tam refutandas, quam contemnendas. Quod ego te prioribus literis cum hortabar; idcirco mi Eraſme faciebam, quod tuæ me dignitatis ſtudium, & cura ſtimulabat. Quanquam enim (ut tu ſcribis) altius vitiis indormientes, inclamare aſperius aliquando ſit nec eſſe: tamen id ita agere, ut non a ſtomacho neque ab iracundia illiuſmodi reprehenſio profecta eſſe videatur, ſi cuiquam, tibi profecto convenit. Difficile omnino eſt, vel potius inuſitatum, non commoveri cum odioſe ſunt qui obſtrepant, & quo ipſi aliquid ſibi inanis gloriolæ aucupentur, inutilibus diſputationibus tamquam gladiatoriis libellis laceſſunt ampliſſimos viros. Sed ad tuam ceterarum laudum omnium excellentiam, hanc quoque accedere decorum tibi eſt, ut eos vel negligas; vel ſi objurgandi ſunt, paterno quodam admoneas affectu, quando tu quidem in ſacris litteris ad antiquum decorem ſplendoremque revocandis, & omnium noſtrum, & hujus ſeculi es pater. Illud item cenſuerim, cum jam accepta vulgo quædam ſint, quæ ſuapte natura ita redolent pietatem, ut ſolum in eis, quod nimium eſt, ſubaccuſari poſſe videatur (cujuſmodi eſt quorumdam ſancta-

ctorum veneratio (*a*), & picturarum crebritas (*b*), non eſſe popularibus ſtudiis obſiſtendum. Non quin multo ſit rectius figere in Chriſto

(a) Animadvertendum, hoc loco ita Eraſmum argui a Sadoleto, ut ne eum quidem in nimia quadam hac in re populi religione ſubaccuſanda operam ponere Sadoletus velit. Porro Angelos viroſque ſanctos in Cœlo cum Chriſto regnantes pie ac utiliter a nobis coli atque invocari, ut quæ a Deo per Jeſum Chriſtum flagitamus bona, facilius eorum deprecationibus impetremus; Catholicæ Eccleſiæ dogma eſt, in quod licet Eraſmus paullo iniquior fuerit, illud tamen Orthodoxi omnes uno ore fatentur, ut pote divinarum ſcripturarum oraculis innixum, & Patrum conſtanti traditione atque uſu luculentiſſime comprobatum.

(b) Superſtioſa nimirum quædam imaginum adoratio, quam a Sanctis Patribus improbatam fuiſſe videmus. Doctrina autem quam hac de re Eccleſia inſinuat, a Generali Tridentina Synodo ſeſſ. xxv. explicatur his plane verbis: „ Imagines porro Chriſti, Deiparæ Vir„ginis & aliorum Sanctorum, in templis præſertim ha„bendas & retinendas, eiſque debitum honorem & ve„nerationem impertiendam; non quod credatur ineſſe „aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam ſint „colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel „quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim „fiebat a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam colloca„bant, ſed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur „ad prototypa, quæ illæ repreſentant: ita ut per „imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput „aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & „ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt veneremur: id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ „Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnato„res eſt ſancitum. „ Vide hac de re Dionyſium Petavium Theolog. dogm. de Incarnat. lib. xv. cap. xiii. & & ſeqq. Natalem Alexandrum Seculo viii. Diſſert. vi. alioſque Catholicos de Theologia dogmatica ſcriptores.

Chriſto cogitationum ſummam; ſed neque iſta a fide noſtra aliena ſunt, & non queunt omnes ad ſublimiora illa facile aſcendere. Hæc ego temere ſcribo fortaſſe, & parum conſiderans quis ad quem. Sed ignoſce, mi Eraſme, audaciæ meæ. Summus quidam & incredibilis meus in te amor me cogit uti libertate in amicitia prope ad temeritatem: quanquam tu quidem pro tua ſumma benignitate in bonam partem accipis. Sed ego ne ſim ſalvus, ſi quicquam aliud ſpecto, niſi quietem & dignitatem, & amplitudinem tuam: quam ſemper tutatus ſum, & quantum in me fuit etiam affectam præmiis, atque ornatam eſſe volui. Itaque recordor, me quondam Pontifici Maximo ei qui nunc eſt, ſuaſorem fuiſſe, ut tibi inſigne Sacerdotium quoddam in Germania traderet. Quod ille, qua bonitate eſt & ſtudio erga homines doctos, erat facturus, niſi certi contradixiſſent, hacque adverſus te nixi calumnia, bonum animum Pontificis in aliam vertiſſent partem. Stunicam autem hominem doctum meditantem adverſus te ἀντιφωνήματα quædam, auctoritate & precibus ab ea voluntate ſententiaque deduxi: nec quoad ego manſi Romæ, quicquam ille in te ſcribere eſt auſus. Quid ergo eſt? ego quod in hoc recente pſalmo duarum illarum rerum, quas notavi, alteram video penitus prætermiſſam, alteram leviſſime tactam, mirifice ſum tua moderatione animi, & prudentia delectatus. Nam cetera tua in illo & admiranda, nec nova: orationis ſplendor, gravitas, copia, rerum quæ tractantur in eo varietas, ac dignitas, & quidem triplicata ſerie: ut perſpicuum ſit, orationis theſauros non

non exhauriri apud te tanquam collectos; ſed ſemper ſcatere. Atque ego cum meum dicendi genus comparo cum tuo, aſpicio plane me ſerpere humi, & nimis familiariter illa divina tradere, quæ tu μυστικώτερα eſſe facis. & ea in ſua veneratione gravitateque conſervas. Et tamen quicquid ſumus ego atque tu, a Deo ambo totum obtinemus: in quem grati eſſe ejuſque honori & gloriæ perpetuo inſervire debemus. De Heſychio quod quæris, habueram pſalmorum græcum librum vetuſtate inſignem. In eo procemium Heſychii luculente ſcriptum in eam ſententiam, ut probare conaretur omnes pſalmos Davidis eſſe. Is liber mihi cum cæteris omnibus periit. Reliqua ſunt apud me Græca collectanea in pſalmos incerto auctore, ſcripta non tam copioſe, quam eleganter, quibus præcipue utor: in his interdum citatur Heſychius. Sed ego cum illa legi, & latinorum aliquos de eorum numero quos prædicas; non tam illorum explanationem valde ſequens, quam ſpiritui ſancto permittens me totum, feror quocumque me ille vocat: cujus utinam ut ſpiritualis in me homo, ſic etiam corporalis templum idoneum eſſe poſſet. Sed crede mihi, mi Eraſme, noſtra nobis nos parum ad hæc obeſt infirmitas. Deus autem omnium potens, qui tibi labores, & ſolicitudines, & affectam valetudinem dat, quis ſcit an majore tuo bono id faciat, quam ſi quietem tibi, & molle otium præberet? equidem confido ita eſſe nihilque laborioſa ſolicitaque vita, ſed quæ cum Deo prorſus conjuncta ſit, videtur revera fieri poſſe felicius. Germaniæ nationi bene ſit: amo enim gentem totam, digniſſimaque arbitror,

quæ

quæ in vera tuenda ac propugnanda religione, ſuorum majorum gloriam conſequatur: cui qui obſunt, & contaminant patriæ ſuæ decus, ad bonam eos mentem convertat Deus. Tuæ in pſalmum meum annotationes mihi gratiſſimæ. Itaque cogito magnam partem illorum mendorum tollere: nam aliqua ſunt, quæ auctoribus optimis nituntur. De me, mi Eraſme, ſic tibi perſuadeas volo: quamquam ego tenuis ſum, & magnis a fortuna detrimentis mulctatus; nihil me tamen habere, quod non tuum æque velim eſſe ac meum. Neque in hoc ſolum, ſed in omni tua dignitate atque fama conſervanda hoc ſum animo ut ſponte per me ipſe & abs te monitus, ſummam tibi fidem in amicitia ac benevolentia ſemper ſim præſtaturus. Vale. XIV. Calend. Octobris M.D.XXX. Carpentoracti.

EPI-

EPISTOLA CXXIII.

JACOBO SADOLETO EPISCOPO

Germanus Brixius S. D. (a)

Ejus cum Sadoleto ac Bembo veteri amicitia commemorata, prolatiſque utriuſque laudibus, ſpondet ſe quamprimum Carpentoracte ut cum eo ſermones conferat, venturum.

GAditanum quendam memoriæ proditum eſt, Titi Livii nomine ac gloria commotum, ad eum videndum, ab ultimo terrarum orbe, Romam uſque profectum fuiſſe, atque eo viſo abiiſſe: eandem prope mentem, eunanimum virtus mihi tua, Sadolete doctiſſime identidem inſpiravit, non quidem ut a Gadibus Romam, ſed ut a Celtica hac noſtra in Galliam provinciam iſtam veſtram ad te non tam videndum, quam & ſalutandum, & conveniendum me conferrem. Nam qui te olim Romæ vidi tantum, non etiam tecum ſermones contuli, quo tempore tu apud Neapolita-

(a) Fuit Brixius hic natione Gallus, patria Altiſſiodorenſis, (eſt autem Altiſſiodorum *Auxerre* urbs ampla & culta Galliæ Celticæ in ducatu Burgundiæ xI. leucis a Lutetia diſtans in meridiem) atq. inter eruditos ſui temporis viros locum obtinet, ut ex nonnullis ejus ad Eraſmum, & Eraſmi viciſſim ad ipſum litteris patet. Simultates aliquas exercuit cum Thoma Moro Anglo homine cum pietate, tum rerum ſcientia ſpectatiſſimo, contra quem opus quoddam ſcripſit, cui tit. *Antimorus*. Nonnullæ ad eum extant inferius Sadoleti litteræ.

litanum (a) ego apud Albienſem Cardinalem (b) agerem (longi temporis tibi memoriam ſuggero) ſed qui te per eos dies Romæ vidi, jam tum ad Romanæ Academiæ principatum dextro Apolline, magno candidatorum applauſu anhelantem; equidem verbis vix aſſequi poſſim, poſteaquam te eouſque dignitatis ſine cujuſquam controverſia, diis hominibuſque approbantibus perveniſſe cognovi, quanta cupiditate incenſus, quanto ſtudio inflammatus fuerim, ut vel Romam uſque recurrerem, tibi tum principatum eundem gratulaturus, tum vero doctiſſimorum iſtorum colloquiorum ad dies aliquot uſuram aliquam capturus, &, ſi per te liceret, ſub te etiam principe nomen inter candidatos illos daturus. Quam etiam cupiditatem auctiorem reddebat contracta jam ante id, quod dixi tempus, Venetiis cum Petro Bembo clariſſimo viro, & ipſo tanquam tuo in eo principatu collega, familiaritas: quem quidem audiebam tanta tecum & ſtudiorum, & fortunarum etiam ſocietate conjunctum, ut quum vos ambos voluntas una connecteret, vos ambos conſenſus unus copularet, omnia eſſent inter vos ea, quam Pythagoras in amicitia ſanxit, lege communia. Hic enim ex re in ſpem ego certiſſimam ingrediebar, fore, ut me ſtatim pro mutua illa inter vos

(a) Oliverium Caraſam Neapolitanum Cardinalem intelligit, a quo Sadoletus quum primum an. 1503. Alexandro VI. Pont. Max. Romam venit in fidem & contubernium receptus eſt. Vide notas ad Sadoleti vitam pag. VI. & VII.

(b) Antonium ſc. a Prato Franciæ Cancellarium Archiep. Senonen. & Epiſ. Albienſem, de quo infra redibit ſermo.

vos neceſſitudine in fidem, amicitiamque tuam reciperes: fieremque tibi æque ac Bembo ipſi familiaris, atque amicus. Siquidem juxta Theophraſti dictum conveniat vel maxime, ut ceterarum rerum, ita amicorum communionem inter amicos exiſtere. Sed cum meæ vitæ rationes, tam Italiæ veſtræ bellis ex eo propemodum continuis divexatæ, turbulenta fata annos permultos propoſitum hoc meum retardarunt magis, quam eripuerunt. Nunc quum factum videam, ut tu Roma derelicta, iſtam quam dixi, Galliam inhabitare cœperis, ſiſque quodammodo (quod & tibi & nobis felix fauſtumque ſit) jam Gallica civitate donatus, in qua etiam Pontificatus inſignia geſtes; factum, inquam, quum videam, ut noſtra ad te profectio non ita multum longa, ac moleſta futura ſit, profecto mihi vitam acerbam tantiſper putabo, donec in hoc ipſo colloquii tecum conferendi deſiderio, quod graviter fero verſari cogar. Sic enim habeas velim, me amicitiæ cum tua amplitudine ineundæ ſic cupidum ambitioſumque eſſe, ut qui maxime uſquam eſſe poſſit. Quæ quanquam per utriuſque ab altero abſentiam coire, literiſque ultro citroque miſſitandis coaleſcere poteſt, tamen neſcio quo pacto plus præſentia, & ut dicitur, viva vox afficiet. Certe quod ad me attinet amoris erga te mei notas ex meo præſentis non ſermone ſolum, ſed geſtu, vultu, ore, fronte, oculis vivacius atque expreſſius, quam ex meis abſentis ad te literis repræſentari poſſe puto· ut qui non eouſque eloquentiæ aſpiraverim, ut ea abſentem me oratione aſſequi poſſe confidam, quæ mihi ab adminiculis iis,

quæ

quæ dixi, ſubminiſtrari præſenti velim. Itaque nihil non pertentabo, nihil non experiar, denique quod ajunt πάντα λίθον κινήσῃ, ut ad te non ita multo poſt tempore adeam, tuiſque doctiſſimis colloquiis ad dies aliquot perfruar. Nam præter quam quod videndi, conveniendique tui ſum cupidiſſimus, magnæ item voluptati mihi erit, ad Claromontanum Cardinalem, iſtius Galliæ Propontificem ſummum, cujus patrocinio jampridem ornatus ſum, ſalutandum accedere: quem ſi videris, meis interim verbis, niſi grave eſt ſalutabis. Vale decimo Calendas Januarias, M. D. XXX.

ANNO M.D.XXXI.

EPISTOLA CXXIV. (a)

PETRUS BEMBUS

Paullo Sadoleto S. D. *Carpent.*

Ejus litteris reſpondet, hominemque ad optimarum artium ſtudia vehementius excolenda excitat.

AMabam equidem te antea Paulle: nam & quod Jacobi Sadoleti fratris filius es, & & quod optimis ſtudiis te tradidiſti, putabam me meam tibi benevolentiam præſtare debere. Idque apprime faciebam quod quidem

(a) Extat Epiſtolarum Bembi Familiarium lib. VI. ep. 75.

dem cognoſcere anno ſuperiore potuiſti, cum domum rediiſſes, literaſque ad me vernaculo ſermone ſcriptas miſiſſes; ad quas tibi ſtatim reſcripſi (a) lepore tuo captus. Hoc vero tempore, cum alteras abs te latinas literas acceperim bellas mehercule, & pereleganteis, valde gaudeo, teque facio, uti debeo, plurimi (b). Quanquam accendiſti tu me quidem ad te omnibus animi mei ſenſibus amplectendum, etiam ea opera, quam te ſcribis ponere in meis legendis libris. Qui quidem libri ſi tibi animum addiderunt, ut affirmas, ad progrediendum in eam ſcribendi rationem, qua patruum tuum, quaque me uti vides, cur te non amem infinitum jam in modum? aut cur non ſuavier iſtam ipſam voluntatem tuam? Itaque ſic exiſtimes velim, te mihi eſſe plane chariſſimum. Spero autem fore, ut cum te per ætatem confirmaris, nihil ſint docti homines in te deſideraturi, ſi ſe ardor iſte tuus (quo es ad bonas arteis capeſſendas inflammatus) nihil remiſerit, neque tua elangueſcet induſturia. Cave enim putes quicquam eſſe in literarum ſtudiis, quod adoleſcentes tam provehat ad ſummam laudem, gloriamque promerendam, quam aſſidua, & diligens laboris, & induſtriæ perfunctio, atque conſtantia. Sed hæc tu omnia de patruo tuo melius, quam ex me. De reliqua epiſtolæ tuæ parte, qua me in cœlum fers, quaque mihi

(a) Has Bembi ad Paulum Sadoletum literas habes ſuperius pag. 279.

(b) Hæc Pauli ad Bembum Epiſtola haud quaquam reperitur.

mihi gratularis, quid tibi ego reſpondeam? In eo ſi non falleris, lætor judicio tuo: ſin deceptus es, amore benevolentiaque delector. Vale. Quartodecimo Calendas Februarias M. D. XXXI. Venetiis.

EPISTOLA CXXV.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Herculi Gonzagæ S. R. E. Cardinali S. P. D. (a) *Romam*.

De propenſa ejus in optimas arteis voluntate gaudet, hominemque ad Ariſtotelis de moribus & de Republica libros legendos hortatur, deque nonnullis ſuis operibus ſermonem habet.

SUperioribus proximis diebus, cum tibi lucubrationem quandam meam miſiſſem, neque ipſe tunc propter valetudinem ſcribere potuiſſem; monui meos, ut me tibi excuſarent, perpetuamque meam in tua amplitudine omnibus meis officiis colenda, tibi declararent voluntatem, qui ſe id diligenter feciſſe, teque in optimam partem omnia accepiſſe, mihi reſcripſerunt: inſuperque te eis præcepiſſe, ut ſcriberent ad me: ſi quid haberem in præſentia elucubrati, aut quandocunque aliquid haberem, id ne gravarer communicare tecum: ne ſi ſecus agerem, gravior fie-

(a) Vide quæ de eo habentur in notis ad Epiſtolam XXVII. pag. 180.

fieret a me amicitiæ noſtræ & veteri inter nos conjunctioni injuria. Quo ego nuncio dupliciter delectatus ſum. Nam & tui de me animi judicium, & egregiam tuam cognovi ad optimas artes amplectendas voluntatem: quæ mihi ſemper in te omni digna honore, & laude viſa eſt, hoc etiam magis, quod in tanta raritate & penuria eorum, qui nobilitatem cum virtute habeant conjunctam, tu unus excellis: qui utrunque ita adeptus ſis, ut in tuis plurimis maximiſque ornamentis, major tamen multo virtuti tuæ, quam fortunæ gratia habenda ſit. Itaque recordor jam inde ab tua ineunte adoleſcentia, me ſemper indicaſſe, te fore unum, aut certe præcipuum inter cæteros, in quo his temporibus perditis lumen veræ dignitatis illuceſceret: qui omnibus & naturæ & fortunæ bonis inſtructus, nobilitatem & potentiam, non arma injuriæ, ſed inſtrumenta bonitatis eſſes habiturus. Poſtea verò quam ego in has ſane longinquas regiones me contuliſſem: tuque ad urbem acceſſiſſes, domiciliumque in ea fortunarum ac dignitatis tuæ conſtituiſſes, nunquam mihi inauditus fuit ſplendor tuus, & ſingularis in omni genere morum elegantia, & comitas. Quæ cum una & conſtanti omnium voce laudaretur, non dici poteſt qua lætitia afficiebar: cum intelligerem, cæterorum quoque hominum judiciis conſentire. Atque hæc quæ nobilitati & generi, & tuæ majorumque tuorum dignitati debita erant, illuſtrius tamen abs te gerebantur, quam reliquorum uſus ferat. Quid? Illa quæ jam tua ſunt & propria, quæ pauci iſto loco attingunt, quanti tandem facienda ſunt? quod bonas literas, quod optimas artes,

tes, omniaque honeſtiſſima ſtudia ita conſectaris, ut in honore ipſo, non inſignibus honoris, quibus ſolis plerique nituntur, ſtatum tuæ dignitatis poſitum putes. Atqui ab his initiis viri illi oriuntur, quorum nunc conſiliis maxime eget Reſpublica, quæ, niſi me fallit, adducta eſt in id diſcrimen, ut vehementer nobis ſit de communibus fortunis extimeſcendum. Sed qui in ſecundis rebus comparant ſeſe, ut poſſint adverſas & dubias, ſi quando inciderint, conſilio regere, & virtute ſuſtinere; hi omnia in ſe obtinent beatæ vitæ præſidia: ad quæ tute eximie paratus es. Facile enim & prudentiam in capiundis conſiliis, & in dandis fidem, autoritatem in ſententia dicenda, in omni vita conſtantiam & gravitatem, iſta tibi optimorum autorum lectio ſuppeditabit, accedente præſertim uſu atque ætate. Quorum quidem princeps Ariſtoteles, cujus libros, eos qui de moribus & de Republica ſunt, habere te in manibus, & ego confido, & imprimis plane expedit: omnes enim in illis & prudentiæ, & doctrinæ ſcatent fontes. Sed ego fortaſſe ineptus, qui hæc ad te ſcribam, quæ tu melius ſcis, quam ipſe qui ſcribo. Facit autem amor, non temeritas mea, me loquaciorem. Quapropter de his hactenus. Quod ad meas autem lucubrationes attinet; ego illas orationes, quas requiris, neque confeci, neque adeo amplius mihi conficiendas puto: alienæ enim videntur hac jam ætate, & hoc genere vitæ quod profitemur. Unam earum quam perſcripſeram, miſiſſem tibi, ni veritus eſſem, ne quorundam offenderem animos, qui mihi neceſſario in illa oratione nominandi ſunt. Sed loco illarum mittam tibi

cum primum probare cepero, dialogum de optimo genere inſtituendæ adoleſcentiæ (*a*), quem æſtate proxima confeci: in quo multa, & magna complecti conatus ſum: hoc labore majore, operaque difficiliore, quod neminem habui veterum, qui me adjuvaret. Unus omnium antiquorum (quod ſciam) de hac eadem re Plutarchus ſcripſit: ſed non in eum modum, ut mihi magnopere imitandus eſſe videretur. Nunc habeo in manibus de Philoſophia librum, in quo illa a me defendenda eſt, graviter vituperata a T. Phædro: etenim partes illas ei dedi, amico homini jam mortuo, per quas & ingenium illius, quod erat in eo ſummum, & natura prompta ad accuſandum laceſſendumque commendaretur poſteritati. Sed eſt opus arduum admodum, & perdifficile (*b*). Nam cum de rebus altiſſimis, & maxime remotis a communi hominum ſenſu, diſſerendum eſt; tum obſcuriſſimæ res illuſtribus verbis & ſententiis explicandæ. In quo alter eſt cogitandi & concipiendi labor, alter non minor, cogitata exponendi. Spero tamen fore, ſi ad calcem pervenero, ut maximis utilitatibus, quæ è Philoſophia ſunt, intellectis, & tota vi præſtantiſſimæ diſciplinæ cognita, multum poſthac luminis dubiis hominum mentibus afferatur. Sed de his quoque

(a) Vide quæ de hoc Sadoleti de liberis recte inſtituendis libro (hic eſt enim dialogi titulus) diximus in notis ad eius vitam pag.xxx.

(b) De alio hoc opere & multa dicta a nobis ſunt in notis ad Sadoleti vitam pag.xxx. & ſeq. & alia ſæpe inferius dicentur in animadverſionibus ad ſequentes Epiſtolas.

que ſatis. Extremum eſt, ut te orem, ut me tui amantiſſimum ſtudioſiſſimumque & diligas abſentem, & tuo patrocinio protegas, ac tueare. Vale. Carpentoracti, VI. Calend. Februarii M. D. XXXI.

EPISTOLA CXXVI.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Joanni Salviato S. R. E. Cardinali
S. P. D. (a) *Romam.*

Paulum Sacratum Sororis filium ei etiam atque etiam commendat, ut illum Canonicorum Ferrarienſium Collegio adſcribat.

COgnovi ex literis meorum, id quod mihi magnæ voluptati fuit, te ſalvum ad urbem, & ad Pontificem Maximum revertiſſe: atque utinam ut virtus tua mihi plane perſpecta & probata ſemper fuit, ſic habeat locum his duris temporibus, quo Reipublicæ & Eccleſiaſticæ autoritati poſſit eſſe adjumento: quod tamen confido fore, fretus prudentia tua, & optimi Pontificis ſapientia atque conſilio. Ego cum tu etiamnum in Gallia eſſes, memoria teneo, me tibi ſcripſiſſe, excudi a me neſcio quid in ſacris literis, quod ſimulac abſolviſſem, continuo tibi miſſurus eſſem. Id nunc mitto, commentarios videlicet in Pſalmum XCIII. aliquanto ſerius, quam volebam: quod expectatio mea quoad ſcirem

R 2 ubi-

(a) Vide notas in Epiſt. LXXVIII. pag. 217.

ubinam locorum conſtitiſſes, ſtudium mittendi meum retardavit. Nam quin tibi in omni laude doctrinæ ac literarum plurimum tribuam, ne tu quidem dubitare quicquam potes. Noſti enim jam diu animum meum erga te, & perpetuum judicium, quod ego cum de ingenio tuo, tum de præſtantiſſimis virtutibus, omnique tua integritate & modeſtia ſemper feci. Quæ hoc majora ornamenta putanda ſunt, quo rariora in hoc tempore cernuntur. Itaque gratum quidem mihi fuerit tibi probari lucubrationem meam, ſi tamen probanda ſit. Verum illud quoque gratius, me abs te admoneri, ſi quid inerit quod reprehenſione dignum eſſe videatur. Tendenti enim mihi ad ſimilia alia, admonitio tua præcepti in poſterum, & doctrinæ apud me locum obtinebit. Sed de hoc ſatis. Reliquum eſt, quod ego neſcio quamobrem hæſitem petere a te, cum a tali viro, eodemque patrono ac defenſore tum meo, tum meorum omnium, ſi qua opus ſunt, audacter poſtulanda ſint: neque tamen (ut ego arbitror) meæ modeſtiæ in petendo fines tranſiliam. Habeo ſororis filium de tuo Ferrarienſi populo, Paulum Sacratum (*a*), bene ac liberaliter eductum, opti-

(a) Hic ex Joanne Baptiſta Sacrato nobili Ferrarienſi, & Margatita Sadoleta Jacobi noſtri ſorore natus, is eſt qui Canonicus poſtea Ferrarienſis factus, præclaris editis ingenii monumentis, tantum ſibi, familiæ ac Patriæ lumen attulit atque ornamentum. Præter Commentarios in Pſalm.CXVIII. & in Principium Geneſeos, multas ſcripſit ediditque Epiſtolas mira

optimiſque inſtitutum & moribus, & literis: qui mihi cordi vehementer eſt, & propter neceſſitatem ſanguinis, & multo magis, quod ex indole bona virtutis ac ingenii ſpem de ſe maximam omnibus nobis affert. Is eccleſiaſticam ſectam ſecutus, dedit in ſacram militiam nomen, & a me jampridem ſacerdotio quodam donatus fuit (*a*). Verum pater ejus Joannes Baptiſta, cujus tibi virtus, pudor integritas, nota eſt, tam multorum liberorum onere præmitur (*b*), ut nequaquam id illi ſubſidii ſatis ſit. Quare cum ipſius Pauli egregia indoles, & optimarum artium ac literarum ſtudium, tum domus illius ac familiæ nobilitas digna eſt, quam tu tua humanitate ac liberalitate complectaris. Feceris igitur rem tua virtute vehementer dignam, ſi ſacerdotio alio quodam in ipſius patria illi deferendo eum juveris, quo & ſtudioſius colere bo-

---

mira quadam latini ſermonis elegantia ac ſuavitate conſcriptas quæ omnium manibus circumferuntur, ut facile ex illis appareat, eum ex Sadoleti patrui diſciplina ac inſtitutione prodiiſſe. Sed de eo jam ſatis egimus in notis ad Sadoleti vitam pag. XCVIII.

(a) Tranſtulit nimirum in illum Sadoletus *penſionem* quamdam, quam Clemens VII. quum Joan. Matthæum Gibertum Veronenſi Eccleſiæ præfecit, eidem Jacobo dedit, cum facultate in fratrum ſororumve filios illam transferendi.

(b) Nam præter Paulum hunc, alios liberos habebat, Philippum ſcilicet & Jacobum. Hic autem Jacobus is eſt, qui in Epiſcopatu Carpentoractenſi Paullo Sadoleto patrueli fratri ſuo ſucceſſit, quique etiam Comitatus Venaiſini Rector extitit. Vid. Sammarth. in Gallia Chriſtiana.

bonas arteis, & patris fratrumque onera, quæ multa & magna ſunt, queat ſublevare. Quod ego a tua amplitudine ut efficiam ſummopere contendo, atque imprimis, ſi tibi videatur, ut eum in illius Ferrarienſis Eccleſiæ Canonicorum, quos vocant, Collegium aſcribas: Erit hoc mihi ex multis tuæ erga me benevolentiæ judiciis maxime gratum, prorſuſque honorificum. Tu verò cum illam familiam honeſtaris, in bonoque ſtatu collocaveris: tam egregiam illam, quæ de te eſt, & de tua ſingulari ſapientia ac religione, confirmaris opinionem: tanquam ſic ſtatuas, ſacerdotia, non ad temeritatem & arbitrium efflagitantium, ſed ad ornandos homines idoneos, & ad bonorum mentes ſtudio virtutis ac doctrinæ accendendas, diſpenſari oportere. Ego ſi hoc (ut ſpero) impetraro, maximo me abs te affectum beneficio, & perpetua debitione gratiæ tibi devinctum eſſe arbitrabor. Vale mi Patrone, & patrem tuum clariſſimum virum meis verbis ſalvere jube quam plurimum. Carpentoracti.

EPI-

EPISTOLA CXXVII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Joanni Salviato Cardinali (a)
S. P. D. Romam.

De optima ejus erga ſe & Paulum ſororis filium voluntate gratias agit, ſuorumque populorum cauſam ei iterum commendat, deque inita a ſe in Eccleſia ſua permanendi ratione, multis tractat.

SÆpius mihi jam contigit, ut ad te ſcriberem, aliquos tibi commendans: quod & dudum in ſororis meæ filio feci, cum petii abs te, ut quoad commodo tuo fieri poſſet, aliquo eum ſacerdotio in patria ſua honeſtares; & proxime his literis, quibus commendavi tibi cauſam meorum populorum, quorum eſt mihi ſalus, & meæ fidei potiſſimum ab Deo credita. Sed vere hoc loquar, tuum in me ſtudium, & præſtans in omni genere humanitas, longe vicit expectationem meam. Sic enim ex meorum literis intelligo, nullum tibi dari locum declarandi amoris tui erga me, quin id ita aperte prolixeque efficias, ut facile appareat, tibi eſſe cordi & voluntatem, & commendationem meam. De quo gratias tibi ago quantas poſſum maximas, atque utinam referre poſſem: eundem me re ipſa eſſe

(a) Vide notas in Epiſt. LXXVIII. pag. 217.

erga te experirere, quem oratione præ me fero. Sed crede mihi, ſi amor, ſi cultus, ſi obſervantia, ſi tuarum plurimarum earundemque præſtantiſſimarum virtutum prædicatio, aliquam partem obtinet referendæ gratiæ, te nullum meum officium deſideraturum, quod proficiſci ab homine gratiſſimo poſſit; daturumque me operam, quantum in me erit, ut quæ tua ſit integritas, quod ingenium, quæ virtus, & in conſervandis ac tuendis clientelis, etiam abſentium, & veterum amicorum fides, non præſens ſolum ætas, ſed etiam futura intelligat. Non enim parva laus, ſed meo quidem judicio omnium prope maxima homini potenti, & maximis opibus prædito, charam præcipue eſſe & humanitatem in omnî agenda vita, & in tuendis amicitiis fidem: atque hoc major, quo rarior. Verum hactenus de his: uberiorem enim ea orationem deſiderant. Quod ad ſororis filium attinet, accipio excuſationnem tuam, & in ſervandis promiſſis virtutem animi, conſtantiamque collaudo. Cum autem poteris, cum erit tibi commodum, tunc de eo cogitabis, ſi voles, & ſi tibi pro liberalitate tua, amplectenda probitas adoleſcentis, & ad optimas artes ad quas propenſa eſt, adjuvanda eſſe videbitur. De meis quidem populis te rogo atque obteſtor, ut cogitationem aliquam ſuſcipias. Incredibile dictu eſt, quantopere eos diligam: in quo mihi ab illis refertur gratia. Non enim ſuam pene ſalutem mea ipſi ſalute habent chariorem. Sed tamen multis jamdudum incommodis affecti, & inter nationes exteras quaſi exemplum quoddam præferentes, quid ſit ſub æquitate

& di-

& ditione Romanæ Eccleſiæ vivere; digni ſunt, quibus majore cum indulgentia imperetur. Itaque ego nec tot procuratorum ac judicum miſſionem, nec minas formidineſque probo, quibus hominum mentes a voluntate obtemperandi potius abducuntur. Eccleſiaſtica manſuetudine agendum cum illis eſt: id quod etiam magis puto profuturum. De quo ſi tibi videbitur, ut cum ſummo Pontifice loquare, aliquidque ad me quam primum reſcribendum cures, magnopere a te peto. De meo ad Urbem reditu, quem tu jampridem exoptare videris, agnoſco equidem benevolentiam tuam. Veruntamen confirmo tibi, ſi quis uſpiam eſt, quem ſui ſtatus minime pœniteat, me eum eſſe. Nullam enim rem poſſum optare de eis rebus, quæ ad ſedandum animum pertineant quam non mihi pene ultro divina bonitas obtulerit. Abſunt opes a me, & eximii illi honores, & concurſus hominum negotiorumque: quibus ego in rebus nullam unquam partem beatæ vitæ repoſitam eſſe putavi. At multa adſunt, quæ ego ſtatuo eſſe potiora: pax animi & tranquillitas, & mens mediocribus contenta rebus, tum amor cunctorum qui circum me ſunt: imprimis verò ſtudiorum, & literarum voluptas ac delectatio, quæ & maxima eſt, & latam & rectam ad immortalitatem munit viam. Denique ſi mihi vitæ ratio eſſet ex omnibus una eligenda, ea quæ maxime faceret ad felicitatem: non videor aliam fuiſſe electurus, quam hanc quæ mihi ſingulari Dei beneficio nec opinanti tributa eſt. Quamobrem redeundi iſtuc quidem meum nullum conſilium eſt. Sed mens cer-

te & voluntas ſummo Pontifici & Sanctæ iſtius ſedis honori & autoritati vehementer dedita, tuique imprimis peramans: quem ego patremque una tuum virum clariſſimum, atque univerſam familiam veſtram, omni ſemper ſtudio & obſervantia ſum proſecutus. Qua in ſententia etiam quoad vivam permanebo: nec ullo unquam loco, aut ſedes a me apoſtolica boni Epiſcopi, aut vos amiciſſimi ac benevolentiſſimi hominis officium requiretis. Vale, VI. Calend. Martias M. D. XXXI.

EPI-

EPISTOLA CXXVIII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACTEN.

Hieronymo Nigro S. P. D. (a)

Ejus in adverſis fortiter ferendis conſtantiam atque in litteras amorem laudat. De Leonici morte dolet. Lazarum Bonamicum commendat, deque ſuis ſtudiis ſermonem habet.

NON mediocriter delectaverunt me literæ tuæ Idibus Aprilis datæ (*b*), quas ego ad XI. Calend. Junii accepi. Nam & amoris tui erga me, uſitatum illud quidem, ſed tamen ſemper optatum, & mihi jucundum teſtimonium attulerunt; & multa ut ſcirem effecerunt, de quibus audire antea avebam. Imprimiſque de ſtatu tuo, de quo, quod animo parato ad amplectendum otium es, & tibi valde gratulor, & agnoſco moderationem tuam: qui in illis fluctibus ſic jactaris, ut fortunæ quidem nunc cedas, vel obſecundes potius, quando in altum dudum provectus es; idque non tam judicio tuo ab initio, quam vi quadam & tempeſtate: veruntamen portum ſemper ex illis ſpectes, & tutam magis ac te-

R 6 nuem,

(a) Conſule quæ de Nigro diximus in notis ad Epiſtolam LXX. pag. 189. & ad Epiſtolam LXXII. pag. 198.

(b) Has Nigri ad Sadoletum litteras haud reperire licuit.

nuem, quam periculis copiiſque conjunctam ſedem jampridem expetas fortunarum tuarum: nihilque tantopere cupias, quam toto animo vacare ſtudiis honeſtiſſimis. Quæ voluntas docto & libero homine digna, ſi ſemper laudi fuit optimis etiam temporibus, quid cenſes perditis? neque eo dico, quod eam in qua nunc verſaris, vitæ rationem eſſe improbandam purem: ſed ut hanc illi multo anteponam, quatenus ea ſalvo officio poſſit ſuſcipi. Sed ut liberæ virtutis diligere id quod eſt optimum, ita occupatæ atque conſtrictæ conſolari ſe ſpe bona. Quod tu cum facis, non parvam jam nunc obtines ejus tranquillitatis partem, ad quam totus propenſus es. A Bembo meo acceperam literas paulo ante quam ad me eſſent allatæ tuæ (*a*). In his de illo ſenatuſconſulto, & de ſuſcepto onere conſcribendi res Venetorum geſtas multa mentio. Sed ut ipſe rem arbitretur fore magni laboris, ut quæ delata inopinanti ſit, neque unquam antea in illa meditatione curaque verſato: gaudeo factum eſſe judicium ſane honorificum ipſius dignitatis eximiæque virtutis. Nunquam enim profecto civitas illa æternam ſuorum monumentorum memoriam illi commendaſſet, niſi ſummi viri ingenio, atque eloquentia, ſuas quoque laudes illuſtriores futuras judicaviſſet. De Leonico male factum. Optimum virum & doctiſſimum amiſimus (*b*), quem

(a) Vide Epiſtolam CXVIII. pag. 354.

(b) Ex his corrigendus Nic. Papadopolus qui in Hiſt. Gymn. Patavini tom. I. lib. III. ſect. 2. cap. IX. n. XLIV. hujuſce-

quem ego amabam merito illius plurimum : neque unquam videram hominem , niſi quod virtus , eximia præſertim , nunquam non cui- vis

---

juſce Leonici ſive Nicolai Tomæi obitum an. M.D.XXXIII. incautus conſtituit. Ortus eſt autem Leonicus Venetiis patre Epirota. Ab ineunte ætate Patavii Latinis ac Græcis litteris (in his Demetrium Chalcondylem præceptorem eſt nactus) apprime inſtructus, ad Philoſophiam animum appulit, magiſtro uſus Thomá de Vio Cajetano Ord. Præd. quem ipſe ætate ſuperabat. In ea quantum Leonicus ſtudio ac labore profecerit, illud indicium eſto , quod ipſe is primum extitiſſe fertur, qui tricis polemicis amandatis, in animum induxerit, ut Ariſtotelis textu prolato non fucatam & implexam , ſed veram philoſophandi rationem exponeret , & barbaram aſſeclarum Averrois doctrinam e Gymnaſio prorſus eliminaret. Obiit Patavii an. M.D.XXXI. ut ex hac Epiſtola patet , ſepultuſque eſt in Templo S. Franciſci , ubi hoc ejus legitur elogium a Petro Bembo conſcriptum :

Naturæ ſi quis rerum te forte latebat
Hoc legis in magno nunc , Leonice , Deo.

Leonico Tomæo Veneto mitioribus in literis pangendiſque carminibus ingenio amabili , Philoſophiæ vero in ſtudiis , & academica peripateticaque diſciplina longe præſtanti. Nam & Ariſtotelicos libros Græco ſermone Patavii primus omnium publice docuit , ſcholamque illam a malis Latinis interpretibus inculcatam perpolivit , & Platonis majeſtatem noſtris hominibus jam prope abolitam reſtituit , multos claros erudiit viros , præter virtutem , bonaſque arteis tota in vita nullius rei appetens. Vixit autem An. LXXV. *M.* I. *D.* XXVII. *integer. Petrus Bembus amico incomparabili P. C. adſcripto carmine , quod ſibi vivens fecerat.*

Νῦν ὄντως ἀδεὴς καὶ ἄελπις ὑπὸ πλακὶ τῇδε
Κεῖται ἐκοιμήθη πᾶσιν ὀφειλόμενον.

vis noſtrum conſpecta eſt. Quamobrem doleamus noſtra id quidem magis, quam ipſius cauſa: qui, ut ſcribis ipſe, ad certam & veram vitam immortalitate jam translatus eſt. Verum noſtro quoque dolori ea res fuerit ſolatio, quod expreſſam habemus imaginem præſtantiſſimi viri in eis libris, quos ipſe & plureis & ſcriptos egregie reliquit (a). Hi illum nobis referent, atque eum lugeri patientur pro mortuo. Lazarum (b) tradere Patavii optimarum artium doctrinam juventuti, nec ſcivi antea, & nunc cognoſſe lætor. Dederam ego ad eum bis terve literas, neque ullum ab eo reſponſum. Quod mirabar, & quidem uſque eo, ut de illo neſcio quid timerem. Nunc video cauſam hanc adverſus me ſilentii, quod cum diſcipulis illi plus ſatis colloquendum eſt. Equidem hominis erudidítiſſimi, omni honore & commodo plurimum lætor: ſed tamen me illi totum effluere ex animo, etiam moleſte fero. Tu illi a me plurimam

(a) Hæc ſunt autem edita Leonici opera: *Comment. in Ariſtotelis Moralia parva, quibus adduntur quæſtiones naturales & Amatoria problemata. Liber de Morbo Gallico. Dialogi X. more Academico propoſiti. Quæſtiones de intellectu. Libri Ariſtotelis aliquot Latine verſi, Paraphraſi & argumentis illuſtrati. De Alica farre noto, & inde alimento. De Aſtragalo, ſeu ſignificationibus vocis hujus.* Inter cetera autem Leonici opera maxime probantur, cum ob elegantiam pulchritudinemque ſermonis, tum ob exquiſitam eruditionem libri ejus III. *De varia Hiſtoria.*

(b) De Lazaro Bonamico, vide notas in Epiſtolam LXVI. pag. 174.

rimam ſalutem. Quod Pſalmum meum probas, gratum mihi. Ego perfecto Hortenſio (a), in quo quidem nunc elaboro, ſi tamen ut perficiam magnitudo rei patietur, totum me daturus ſum ad ſacras literas. In quibus & animi noſtri voluptas plenior multo eſt, & cæteris utilitas paratior. Tu ut valeas, & nos perpetuo diligas, vetereſque noſtros neceſſarios ſalutes meis verbis, ſi qui in urbe Roma reliqui jam ſunt, imprimis a te peto. Vale, Carpentoracti, III. Nonas Junii, M. D. XXXI.

(b) De hoc opere vide notas in Sadoleti vitam pagina XXXIV.

EPI-

EPISTOLA CXXIX.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Petro Bembo S. P. D.

Ejus Epiſtolæ quæ eſt ordine CXVIII. *adcurate reſpondens, de communibus amicis deque ſua quadam in Judæos oratione multis agit.*

GRatum eſt mihi, quod video tibi curæ eſſe, quemadmodum crebro inter nos per literas colloquamur: quando quod potuit eſſe gratius, ut liceret nobis garrire coram quæcunque in buccam veniſſent (qui quotidianæ fructus familiaritatis uberrimus eſſe ſolet, & ſuaviſſimus) nobis fato quodam eſt ereptum. Sed tamen ne hujus quidem officii exercitatio deſpicienda eſt: eſt enim & jucunda & dulcis: modo literæ curſum haberent & ſecundum & facilem. Video enim tuas datas Januario menſe (*a*), mihi extremo Majo fuiſſe redditas, cum hæ prius ad aulam Regis perperveniſſent, & illinc demum, tanquam errore agnito, ad me ſe vix aliquando recepiſſent. Ego tamen in dandis literis ſequar inſtitutum tuum, ut Lugdunum mittam, unde Venetias poſtea perferantur, ad Lazarum Bayſium legatum Regis, hominem ut ego quoque cognoſcere videor, & doctum & perhumanum (*b*). Qui cum ad me prior ſcripſiſſet, non

(a) Nimirum XIV. Calend. Februarii. Eas habes ſuperius num CXVIII. pag. 354.

(b) Vide notas in eamdem Epiſt. CXVIII. pag. 358.

non exiſtimavi amicitiam petitis alte principiis, & magno ambitu verborum conciliandam eſſe. Sed ſcripſit apertiſſime & familiariſſime: ut ingenuæ ſuæ naturæ illuſtre teſtimonium jam tum mihi dederit. Amo igitur eum, neque id mediocriter. Porro accedet corollarium, mihi quidem non meleſtum, ut item ad illum ſemper aliquid dem, quo etiam meæ ad te commodius ferantur. Sed ad literas tuas. Illæ vero, mi Bembe ſuaviſſime & optime, admirabile eſt, quanta animum meum voluptate affecerint; quod, utrum eloquentiæ in illis tuæ tribuendum putem, an amori in me tuo, qui undique in illis literis ſe oſtendit, difficile eſt dictu. Eminet enimvero utrunque meque ita delectat, ut nihil unquam magis. Sed de genere orationis ſtylique elegantia, vereor, ne ſi plura dicam, tibi etiam ipſi videar ineptus. Teſtatum enim jam diu apud omneis eſt, & qui tu ſis, & de te ego quid ſentiam. De amore ergo potius, quem tuum eſſe erga me tantum, quantum audeo optare, & video, vehementer lætor. Itaque illa quam ſuaviter ſcripta, de mea benevolentia erga te, tibi plane perſpecta, de fratrum noſtrorum filiis, de ſtudiis domeſticis, de omni cura cogitationeque rerum etiam intimarum? quæ tu tam amanter, tam fraterne ſingula commemoras, ut non tuas literas legere, ſed teipſum videar audire loquentem: quem ego abſentem, tanquam præſentem, & audio medius fidius, & quotidie intueor. At (ſi verum loqui volumus) hoc eſt proprie amare, communicare videlicet recondita conſiliorum ſuorum: non id quod plerique facimus, cum nullo argumento propoſito accedimus

mus ad ſcribendum, verbis crebro jactare, & quaſi oſtentare benevolentiam. Sed ne vivam, ſi concedo tibi, ut plus me ames, quam ego te amo: qui in hac ratione præſertim debeam partes ferre potiores. Nam ut mittam initia & ortus familiaritatis noſtræ, quorum ſemper mihi quidem jucunda eſt recordatio, cum tu principio a me appetitus, dediſti mihi te promptum & facilem, ac in omni genere elegantem ac perhumanum; utque reliqui deinceps temporis indicia tuæ erga me voluntatis prætereum, quæ & magna & multa ſunt: hoc tuo officio quid poteſt eſſe conſtantius, quod eandem amicitiæ fidem abſenti mihi præſtas, quam olim præſenti jam diu præſtitiſti? Namque ego, qui veteribus neceſſitudinibus relictis, ad novas atque inſolitas fortuna quadam translatus ſum, ſi conſervo memoriam meorum familiarium, quid quæſo, aliud facio, quam id quod natura fert? ſcilicet ut leniam deſiderium animi mei recordatione eorum quos diligo? Tu qui domi cum tuis chariſſimis remanſiſti, qui amicis abundas, cujus domus aſſidue floret copia lectiſſimorum hominum: cum me ipſum tanti abſentem facis, in amoreque perſiſtis, nec diuturna jam disjunctione noſtra quicquam eſſe imminutum de tua priſtina voluntate ſignificas, & benevolentiæ in te meæ faces ſubjicis, & tibi officii ſummam laudem vendicas. Quæ nulla re a me poteſt, niſi magnitudine amoris compenſari. Sed quid ego? labor equidem longius: etſi enim hæc grata memoratu, minime tamen neceſſaria ſunt. Quapropter ea miſſa faciamus. Quod tuus in fratris filio inſtituendo labor non eum adhuc exitum aſſecutus

cutus ſit, quem tu ſperares: credas mihi hoc velim, non minus curæ mihi rem eam eſſe, quam tibi ipſi. Quid enim intereſt, utrum tuus ſit, an meus? Sed ego ſpe quadam adducor, ut confidam, fore tibi illum aliquando voluptati. Multum enim illum ætas, multum imitatio domeſtici exempli adjuvabit: nec boni ſeminis virtus facile eſt interitura. Quapropter ſuadeo tibi, ut neque ſpem de eo, neque ſtudium deponas. Meus quidem, cum eſt uti ego maxime volo, Deo habeo gratiam. Is te unum ſumme omnium colit: miroque afficitur deſiderio, tum viſendi te, tum arctius adhærendi tibi: cui rei utique aliqua aliquando capietur occaſio. De ſtudiis noſtris, in quæ præter expectationem ſuam, & cæterorum, uterque noſtrum delapſus eſt, hoc de me tibi habeo dicere: viſum fuiſſe mihi, iſta magis convenire huic jam ætati, & huic perſonæ quam gero, eſſeque officio meo conjunctiora, quam illa quæ lucis quidem habent ac laudis plus, ſed utilitatis certe minus. Itaque in hæc jam totus immineo, perfectoque Hortenſio, quem habeo nunc in manibus (*a*), etſi negotii ejus magnitudo pene ut deſperem facit, (eſt enim res prorſus maximi operis) ſed tamen eo aut perfecto, aut abjecto, non facile aliud agere me, neque alibi uſpiam, quam in ſacris literis verſari cognoſces. Tua verò ſuſceptio conſcribendæ hiſtoriæ (*b*), dignitatis plena eſt (ut ego judico) non medio-

(a) Conſule quæ de hoc opere diximus in notis ad Sadoleti vitam pag. xxxiv.

(b) Vide notas in Epiſt. cxviii. pag. 359. & 358.

diocris: nam & honorifico ſenatuſconſulto ad hoc munus vocatum fuiſſe, eximiæ tuæ eſt gloriæ: præſertim cum illud non ambitione expreſſum, ſed ſponte, & ipſo judicio Senatus exortum fuerit: & tua ſummopere laudanda ac prædicanda eſt pietas, non denegaſſe patriæ hanc operam, ut illius geſtæ res tuo ingenio potiſſimum, graviſſimoque teſtimonio poſteritati proderentur. Quare id cupio tibi bene & feliciter evenire. Quanquam non illud quidem tibi tam optandum eſt, quam ut incolumis diu valetudine bona perfruare: cætera enim abunde adſunt, per quæ & tui ingenii laus, & Rei tuæ publicæ monumentorum memoria conſecretur immortalitati. Tibi ſane ea res cecidit non incommode: non enim neceſſe habuiſti, id id quod mihi contigit, deflectere a vetere curriculo ſtudiorum tuorum, & velut incognita in via imprimere novas orbitas, ſiquidem hoc opus eſt, (ut ille inquit) omnium unum oratorium maxime. Sed ne illud quidem aſſentior, viſum iri hoc tibi difficile, aut laborioſum: quid enim eſt, quod tibi, pro tuo iſto ingenio, iſtaque doctrina, ac eloquentia, qua inſigniter præditus es, aut novum accidere, aut difficile poſſit? Verum de his ſatis. Colam meum tantopere probari a te, & magnifieri, neque miror, & vehementer gaudeo. De Flaminio idem ſentio, quod tu. Lazarum Bonamicum (*a*) audio tradere Patavii publice doctrinam bonarum artium juventuti. Eum ego hominem majorem in modum diligo: neque dubito, quin

(a) Vide notas in Epiſt. LXVII. pag. 174.

quin tibi jam factus ſit perfamiliaris: ſummo eſt ingenio, excellentique doctrina. Sed virtus, & probitas, & in omni officio fides atque conſtantia, in primis in illo homine amanda & complectenda eſt. Eum tu ſalvere jubebis verbis meis plurimum. Credo te memoria tenere, confectam a me olim, cum Romæ etiam eſſem, orationem quandam in Judæos, quam ego cauſam in duas actiones partiri inſtitueram: ſed prior fuit pars tantummodo abſoluta, ſi tamen abſolvere eſt, quod parum polite efficias: eam ego nunquam duxi edendam, neque hercule nunc in alia ſum voluntate (*a*). Sed cum flagitanti jam ſæpius, & ami-

---

(b) Vide quæ de hac contra Judæos oratione diximus in notis ad Sadoleti vitam pag. XXXVII. & XXXVIII. De eadem hæc habet Hieronymus Niger in Epiſt. ad M. Ant. Michaelem data Romæ *alli* 25. *di Marzo* 1527. quæ legitur inter Epiſtolas Principum tom. 2. pag. 68.
„ Il Reverendiſſimo Sadoleto ha compoſta una elegantiſ-
„ ſima oratione contra i Giudei *in genere judiciali*. La
„ ipoteſi è queſta. Altre volte i Giudei habitanti in Car-
„ pentraſſo & in Provenza ottennero da i Pontefici certi
„ Privilegi di poter comprar beni ſtabili da i Chriſtiani,
„ derogando alle leggi che lo vietano, in modo che in
„ breve ſpazio di tempo opprimendo i poveri Chriſtiani
„ con loro uſure & illeciti contratti, s'eran fatti padro-
„ ni d'una gran parte di quel paeſe. Et ſiccome avviene
„ hoggidi, che i ricchi ſono i più ſtimati, erano rive-
„ riti come ſignori, & tenevano i Chriſtiani falliti come
„ ſchiavi. Finalmente riſentiti di tale indegnità que'
„ Cittadini, ricorſero a piedi del Pontefice, & otten-
„ nero la derogatione di così ingiuſti privilegi; riducen-
„ do le coſe ſecondo la forma delle leggi noſtre. I Giudei
„ credendoſi trovare un Pontefice, come era quello, da
„ cui

amicitiæ nomine vim quaſi afferenti, Herculi Gonzagæ (*a*), homini & nobilitate virtuteque majorum ſuorum, & ſuis ornamentis ac laudibus ampliſſimo, omniumque & cultu & amore digniſſimo, reſiſtere amplius non poſſim, illam ad eum mitto (modo enim in faſciculum conjecta eſt) hac lege tamen, in quo multis precibus cum eo ago, ut ne cuiquam omnino copiam illius deſcribendæ faciat, præterquam tibi, ſi id forte petiveris: & ſi damni nihil putaveris, bonas horas tuas in ea legenda conſumere non bene. Quod tibi notum eſſe volui, ut cum de meo animo certior factus eſſes, quid tibi eſſet faciendum, ipſe ſtatueres. Vale mi optatiſſime atque humaniſſime Bembe; & M. Antonium Michaelem, quem ego unice ſemper dilexi, quemque mei viciſſim cognovi amantiſſimum, ſaluta meis verbis, etiam atque etiam. Carpentor. XI. Cal. Julii M.D.XXXI.

„ cui impetrarono quei privilegi, vennero a Roma, & „ con promiſſioni di danari, & altre loro arti, cercaro„ no la reſtitutione di tai privilegi. Noſtro Signore „ commiſe queſta cauſa a Cardinali Giudici, innanzi a' „ quali fù diſputata *utrinque*. Monſignor Sadoleto preſe „ il patrocinio de' ſuoi Dioceſani, & non ſolamente li „ difeſe *verbo & re*, ma ancora *ſcriptis*, per non man„ car loro in conto alcuno. Sono due attioni. La pri„ ma è finita, la quale io hò già letta, nè credo *in hoc ge„ nere* poter mai leggere coſa migliore. La ſeconda è „ imperfetta, per eſſer ſua Signoria parte ſtata amma„ lata, parte occupatiſſima, in modo che mi maravi„ glio come poſſa haver fatto tanto in queſti impedi„ menti „.

(a) Vide notas ad Epiſt. LXVII. pag. 180.

EPI-

EPISTOLA CXXX.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoracten.

Joanni Nicolao Aptæ Juliæ Epiſcopo S. P. D. (a)

Quod una cum Legato aliiſque Collegis ſtatuerit, ut S. Pauli Epiſtolæ publice explanarentur, magnopere gaudet, optatque ut idem Legatus juris dicundi tuendique munera rectius adminiſtrari curet.

Vellem tantum dari mihi ad ſcribendum facultatis, ut exprimere poſſem eam, quam concepi animo incredibilem lætitiam, poſteaquam audivi tua, & cæterorum Epiſcoporum, qui iſtic ſedes & domicilia habetis, opera, autore & principe ampliſſimo legato, factum eſſe, ut divinum illud Pauli epiſtolarum volumen publice explanaretur: voſque una cum aliis multis, flagrantes ſtudio ſacrarum lectionum, in illud adjutorium conveniretis frequentes. Certe enim ſi Chriſtianus ſum, charamque imprimis habeo omnipoten-tis

(a) Hic Joanni de Montaigu an. 1524. in Aptenſi Epiſcopatu ſucceſſit: (eſt autem Apta Julia urbs Galliæ Narbonenſis ab Aquis ſextiis ſua Metropoli & ſede Parlamenti verſus Occaſum & Avenione verſus ortum medio itinere ſita inter Druantiam & Rhodanum). Breviarium peculiare illius Eccleſiæ ad meliorem formam reduxit. Obiit menſ. Martio an. 1533. Vide Sammarthaſios in Gallia Chriſtian.

tis Dei gloriam (quemadmodum quidem habeo vita ipſa mea longe chariorem) hoc nomine maxime læter neceſſe eſt. Non enim alia re magis illa illuſtratur, neque ipſius Dei majeſtas, infinitaque bonitas melius oſtenditur, quam cum illius beneficia erga nos memorantur: plurima illa quidem paſſim & maxima, quæ omni humano generi ab eo tributa ſunt. Sed quod ad fidem Chriſti, & adoptionem noſtram in genus ſummi Dei pertinet, qua nos tanquam filii in hæreditatem regni cœleſtis vocati ſumus, tale atque tantum, ut vix humana ulla cogitatione magnitudo illius beneficii poſſit concipi, cujus in uno Paulo ſunt explicata myſteria: ſi vero legati ſummi viri laudi faveo; ejuſque dignitatem cupio eſſe quam ampliſſimam: ſicuti profecto omni cum benevolentia facio quid illo dignius? quid honori, nobilitati, nominique ejus convenientius, quam autorem eſſe tanti boni ſuis populis? ſuamque tantam & tam beneficam in omneis homines oſtendere voluntatem: ut quos patrocinio regit, conſilio gubernat, imperio & autoritate in pace & officio continet, eos etiam ſtudeat non ſolum terrenis bonis, verum etiam cœleſtibus florentes ſua opera fieri, ac beatos? Magna iſta laus, & principe magno digna. Hoc ille nimirum ſuo facto, hac providentia, hoc inſigni præſtantique beneficio plane aperit animi ſui naturæque magnificentiam: & digniſſimum ſe demonſtrat, in quem tam multa dona ſint ornamentaque fortunæ a Deo hominibuſque collata. Te vero, mi optime ac jucundiſſime Nicolae, quibus efferam laudibus? cuperem de te omnia proferre quæ ſentio, Novi tuam bonitatem, juſtitiam,

ſtitiam, integritatem, ſenſus tuos novi pleniſſimos pietatis, animum quoque optimis ſemper deditum & artibus & literis, quod ſæpe miratus ſum. Atque eo magis, quod te ex maximis curis & occupationibus, quibus diſtinebare, aliquid ſemper videbam ſurripientem temporis, quod verioribus ſtudiis impartires. Cuperem, inquam, hæc de te loqui, & enucleatius commemorare omnia. Sed vincit tua virtus ſtudium meum, neque eſt noſtra tuis laudibus facultas ullo pacto par. Veruntamen etſi tu neque nunc primum, nec unquam mediocriter, ſed diu ante totus in optimis ſtudiis fuiſti: hoc tamen recente tuo facto, quod ſummi doctoris & præconis magni Dei lectionem provehere, atque illuſtrare pro tua parte conatus es, ſic me tibi devinxiſti, ut in vetere noſtra mutuaque benevolentia, meus in te amor quaſi novo igne inflammatior factus eſſe videatur. Itaque cum te magis magiſque quotidie amo; tum vero fratres illos noſtros, qui tibi honore pares, me autem ipſo omni dignitate ſuperiores multo ſunt, & colo nunc demum & veneror, quantum equidem poſſum, non quantum illi meriti ſunt: qui tecum in tam præclari operis ſocietate conſenſerunt: qui ea quæ ſe digna ſunt & fovent, & ſectantur. Ex quibus ipſi quantum in animo ſuo lætitiæ ac veræ voluptatis, quantum apud homines bonæ exiſtimationis comparaturi ſint, ipſa re, ſi perſeveraverint, experientur. Urbi etiam iſti Avenionenſi gratulor: in qua ſi hæc vigere ſtudia, & germinaſcere incipient, tantorum præſertim adjuta autoritate virorum, maximum illi civitati non modo ornamentum, ſed etiam commo-

dum acceſſurum eſt. Aperietur enim animis ingenuis, & altius quam pro vulgi captu ſeſe attollentibus, via, qua non è terra ſe natos neque in terram verſos eſſe intelligant, ſed cœli dominos ſeſe & cœleſtium rerum intueantur: non in litibus conterant ætates; ſed ipſi cæterorum litibus & controverſiis apponant modum: non ignavis, & abjectis, & vilibus curis, ſolicitudinibuſque rerum, & opum terrenarum tantopere deprimantur, quæ hominem cogunt ſui obliviſci, & a ſe ipſo deficere, atque in turpem quandam & pene monſtruoſam degenerare naturam; ſed celſi, & erecti, ac veris divitiis opibuſque fidentes, incolumem ſtatum retineant dignitatis ſuæ. Atque hæc ego confirmo hominum naturis & animis agnaſci ex his literis, & ex hac tanti doctoris lectione præclara. Non de jejuniis, nec de vigiliis, aut aſſiduitate orandi, aut paupertate profitenda nunc loquor: hæc enim quanquam ſancta ſunt, & cœleſte præmium promerentur; tamen in alio quodam virtutis genere ſunt ſpectanda. De illa vita dico, quæ poſita in honoribus, referta divitiis, in magiſtratibus collocata, animum ſecum affert ad iſta omnia longe plus ſuis & propriis bonis, quam his, quæ ſunt fortunæ dona confidentem: quæ in negotiis & conventibus hominum, in aulis, in conviviis, in omni ſermone & familiaritate convivendi, ita voluptatem & lætitiam conſectatur, ut a decore quodam ſuo, & ſpecie præſtantis viri non diſcedat: plena illa ſemper gaudii ac jucunditatis: nihil unquam fere moleſtiæ in ſe ac perturbationis admitteus: cum hi, qui terrenis iſtis cupiditatibus rapiuntur, & omnia in pecunia poſita putant, nunquam vere,

vere, nec ex animo lætentur: ſed habeant vitam ſolicitudinibus, ſcrupulis, aviditate, pœnitentiaque perpetuo infeſtam. Ad hæc tanta commoda, atque bona, quando inſpirante ſummo Deo maximi & clariſſimi legati noſtri ſapientia ac liberalitate, vobis illius exemplum autoritatemque ſequentibus, aditus jam in iſta civitate patefactus eſt: & gratiæ a nobis Deo agendæ ſunt, & ipſe multum ſeduloque orandus, ut nobis omnibus, quibus hæc legati providentia ac benignitas uberrimos fructus veriſſimorum bonorum allatura eſt, felix & fauſtum hoc principium facere dignetur: ut bonis initiis meliores quotidie ſuccedant exitus, & quæ bene incepta ſunt, ſtudioſius perficiantur. Sperandum enim eſt, hoc egregio opere perfecto, & cœleſtis doctrinæ lectione inducta ac confirmata, adjecturum animum eundem ipſum legatum ad hanc tollendam confuſionem, quæ in adminiſtrando jure, nullum ferme jam veſtigium veritati ac juſtitiæ reliquum fecit: ut non ſedandarum diſcordiarum cauſa, & ut jus ſuum unicuique tribuatur, ſed malitiæ, perfidiæ, avaritiæque exercendæ gratia in forum atque uſum adducta videatur. Ex qua, magna cum clade detrimentoque multorum, neque hominum ſolum, verum etiam populorum, certum quoddam genus unum depaſcitur, quod eſt ad aliorum conſumendos labores prava jam conſuetudine inveteratum. Hoc reſtat adhuc, hoc in expectatione eſt, quod ab optimi præſidis prudentia ac virtute poſtuletur: hujus eſt muneris functio, & adminiſtratio reliqua: in qua tractanda, ordineque conſtituenda, quantum illi laudis ab omnium ſermonibus perventurum &

commendationis ſit, ex finitimo provinciali exemplo poſſumus intelligere. Atque ego, qui ampliſſimi legati honorem & dignitatem præcipue expeto, ipſumque incredibili amore obſervantiaque complector, non ſum quietum animum habiturus, donec eum videro hanc ſibi etiam laudem, hoc apud homines clarum & celebre nomen comparare: præſertim cum ſi ipſe tantæ adipiſcendæ gloriæ occaſionem prætermiſerit, alius qui ſucceſſerit (ita enim credibile eſt) libenter eam ſit arrepturus. Quid ergo eſt? non omnes omnia faciemus, ut is, quem maxime amamus, hac potiſſimum fama, hoc honore potiatur? qui noſtra omnia ad eum colendum contulimus, non hoc illi imprimis proponemus, in quo ipſe ſuſcipiendo ſuam longe adaugeat dignitatem, in ore omnium & laudibus cum admiratione verſetur, illuſtre teſtimonium præbeat ſuæ eximiæ virtutis & bonitatis, memoriam nominis ſui cum æterna benevolentia cunctorum in omnium animis relinquat? Quid ipſe? Feret ne alium potius, quam ſe, in hujus boni poſſeſſionem accedere? patietur tantum ingenium, tanta nobilitas, tanta virtus, alios ſibi occupare hanc gloriam? & in tam præclara actione, quam ipſe dimiſerit majores ſeſe illo, & animi præſtantioris oſtendere? Non eſt ita exiſtimandum. Equidem quod ad me attinet, cum illum convenero, omnibus precibus obteſtationibuſque adnitar, ut ſe ipſe det ad hanc curam, ſua nobilitate prudentiaque digniſſimam. Ceterum tu optime Nicolae, qui cum illo aſſiduus es, cujus ille fide & opera plurimum utitur, & amori integritatique maxime credit, (in quo quidem nil fallitur) enitere quæſo, contende,
ela-

elabora, ut communem patronum noſtrum, ad cætera plurima maximaque ornamenta, quibus a Deo inſignis factus eſt hujus quoque facti clariſſimi & præſtantiſſimi, gloria videamus inſigniorem. Sed ego fortaſſe verboſior ſum, quam opus ſit. Id tu mihi ignoſcas velim, & ſic exiſtimes, me ab initio tantum voluiſſe gratulari, cum gaudium, quod ex lectione Paulina in honorem publice adducta (*a*) conceperam, continere non poſſem. Poſtea verò ad alia hæc ſcribenda amore, quo legatum, & hoſce ſimul populos proſequor, fuiſſe provectum. In quo ſi quid a me peccatum eſt, tuæ eſt humanitatis, & erga me benevolentiæ, in bonam partem accipere, atque errori meo veniam dare. Ego in te amando colendoque, augebo potius ſemper, quam unquam diminuam ſtudium meum. Vale, & nos, quod facis, dilige. Carpentoracti, VII. Calen. Junii, M. D. XXXI.

(a) Vide quæ hac de re ſcribit Clementi VII. Epiſtola CXXXIII. pag. 421. & 422.

EPISTOLA CXXXI.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Antonio Prato S. R. E. Cardinali
S. P. D. (*a*)

Rogat eum ut munus Præpoſiti Aquenſis quo Caſſinerius nuper mortuus fungebatur, homini probitate doctrinaque præſtanti, ut ille erat, mandari curet.

MEA tuarum maximarum occupationum cogitatio facit, ut minus ſæpe ad te literas dem, quam cuperem. Sed ubi nominis tui honor agitur, non puto me alienum ab officio facturum, ſi quæ tuæ dignitati convenire arbitrer, libere ad te ſcribam. Sumus in maximo mœrore omnes, quibus rectus regendi ordo, & juſtitia cordi eſt, ex Coſſinerii Aquenſis præſidis viri clariſſimi & ſanctiſſimi morte. Qui his regionibus & populis abs te præpoſitus, tanquam è cœlo nobis miſſus, novæ integritatis & juſtitiæ lumen quoddam omnibus oſtendebat, ſuamque prope inauditam virtutem cum tua maxima laude, & iſtius regis admirabili gloria, labore & vigiliis ſuis, omnium hominum tempori & commodo expoſitam habebat. Qui alieno ſane tempore nobis ereptus eſt: ſuo ipſe profecto non mediocri bono, ſed cum noſtro gravi incommodo. Quan-

(a) De Antonio Prato, conſule quæ habentur in notis ad Epiſt. LXXXIV. pag. 237.

Quanquam ego eum de facie non noveram. Verum ita ſe gerebat in eo munere, quod illi abs te commiſſum fuerat, ita æquitatem, veritatem, imbecillitatem, adverſus injuriam, mendacium, violentiamque protegebat, ac tuebatur, ut quotidianis illius laudibus, & commemoratione clariſſimorum operum calerent aures meæ. In quo egregia quædam juncta erat commendatio nominis tui, cum incredibili cunctorum erga te benevolentia. Sic enim omnes judicabant, ad tuas cæteras virtutes, quæ uno omnium ore celebrantur, prudentiam, gravitatem, integritatem, doctrinam, quæ ita in te elucent, ut ſolus prope omnium hominum tantis curis & negotiis, quæ gubernas, habeare par, hanc quoque accedere laudem dignam ſapientia tua, ut non ſolum per te, ſed per alios etiam, velles populorum & gentium ſaluti ac tranquillitati eſſe conſultum. Cum enim cerneremus omnes, quam tu curam ſuſcepiſſes, ut optimus nobis rector præficeretur: & tuam providentiam de nobis agnoſcebamus, & in te amore incredibili accenſi ferebamur. Ac noſtra quidem erga amplitudinem tuam voluntas eadem futura eſt, eademque de tuis virtutibus opinio. Sed tu in quo ſpes noſtræ ſitæ ſunt, cujus fiducia cuncti in tanto dolore aliquantum acquieſcimus: per Deum ipſum immortalem, qui hæc facta & opera imprimis intuetur, qui te merito voluit tanta poteſtate eſſe præditum, ut iſtam tuam mentem tot ſapientiæ theſauris refertam, ad publici boni curam totam conferres: ne deſere nos, eandemque adhibe autoritatem & diligentiam, quam adhibuiſti antea, ut ſimilis nobis præſes juſtus ac gravis, tuæque

S 4 imi-

imitator diſciplinæ de integro præponatur. Quod cum feceris, non magno tuo labore maximam es conſecuturus ad Deum gratiam, apud homines laudem. Nos quidem qui tui toti ſumus, & tuo nomini, famæ, honorique præcipue dediti: quantum erit in nobis, non ſinemus hujus tui tanti ac tam inſignis beneficii prædicationem, neque nunc ſilentio tegi, neque apud poſteros mutam eſſe. Vale, Carpentoracti, pridie Nonas Junii, M. D. XXXI.

EPISTOLA CXXXII.

LAZARUS BONAMICUS

Jacobo Sadoleto Epiſcopo Carpent.
S. P. D.

Ejus laudes celebrat, rogatque ut Hortenſii opus quamprimum abſolvat.

Bonitas naturæ tuæ omni ex parte ſe effert in iis literis quas ad Nigrum ſcripſiſti de quærendo Græcarum & Latinarum literarum doctore & magiſtro. Nam tibi ſatis non eſt officio tuo non deeſſe, ut ſumma cum religione, pietate, fide epiſcopatum geras tuum, & in omni Chriſtiani muneris adminiſtratione eum te præbeas, qui charus ſis omnibus, atque admirabilis: ſed quæ aliis curæ eſſe debent, docendo, admonendo, cohortando, ut rectiſſime curentur, omni contentione elaboras. Commoviſti provinciam a ſtudio pulcherrimarum literarum abhorrentem. Hoc non ſolum bonitatis fuit, ſed cum ſapientia atque eloquentia conjunctæ bonitatis. Ego & quia rem ho-

honeſtiſſimam eſſe, & tibi placere video, & ſum ipſe ad communes utilitates propenſior, inveſtigando mentem & cogitationes meas figam. Mira eſt paucitas horum hominum ,, quod te fugere non arbitror: in ea tamen ſtudium extabit noſtrum. De Hortenſio cave ne longius tam præclarum opus ducas (*a*), quam in dialogo de educatione puerorum promiſiſti. Turpe aliis, datam fidem non præſtare: epiſcopo verò, & Sadoleto quidem epiſcopo, turpiſſimum: præſertim cum ſis habiturus hujus mendacii noſtram ipſorum memoriam, atque adeo poſteritatem teſtem. Vide quanta cupiditate ardeam, qui timeam ea quæ ne ſuſpicari quidem de te poſſum. Ignoſces autem mihi, tuæ prope gloriæ faventi magis, quam meæ. Hic de bonis literis bene mereri non deſino: & in eo me plane navaſſe operam intelligo, quod undique concurritur. In hoc numero ſi quis erit idoneus, & impetrari id poterit (quod tamen difficile judico) eum ad te mittam. Vale. Paulo noſtro plurimam ſalutem adſcribimus. Patavii, XIII. Calend. Sextilis M. D. XXXI.

(a) Vide quæ de hoc opere diximus in notis ad Sadoleti vitam pag. XXXIV. & ſeqq.

EPISTOLA CXXXIII. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Clementi VII. Pont. Max.

Joannem de Piſcia Legatum Avenionenſem & Commiſſarium, apud Pontificem defendit & laudat.

PAter Sanctiſſime ac Beatiſſime poſt pedum devota oſcula beatorum. Venit ad has regiones Sanctitatis veſtræ commmiſſarius D. Joannes de Piſcia homo peritus & prudens & mihi jamdiu amicitia conjunctus (b), qui tres commiſſiones attulit; ex quarum una, quæ maximi momenti eſt, & adverſus Officiales jus male adminiſtrantes inſtituta eſt, & in qua Sanctitas veſtra me quoque nominatum eſſe voluit, facile cognovi id, quod mihi maximæ lætitiæ eſt, meam illi fidem, & ſervitutem ſatis eſſe probatam, pro quo ago ſemper eidem Sanctitati veſtræ maximas gratias. Sed quod ad zelum pertinet juſtitiæ (qui ſemper in Sanctitate veſtra fuit ſingularis) & ad illam ſummam integritatem ac prudentiam, qua Sanctitas veſtra & Dei munere, & ſua voluntate, ac virtute in primis eſt prædita, viſum eſt mihi eam de toto ſtatu hujus ſuæ provinciæ per litteras facere certiorem, ut re plene

(a) Extat Miſcellan. tom. 1. pag. 562.

(b) Hujus mentio habetur in Epiſt. Italica ad Franc. Binium data *A* 11. *di Nov.* an. 1531. Neſcio án ille ſit, de quo multis agit Florebellus in Vita a p. XXXI. ad XXXVI.

ne cognita, poſſit ipſa deinceps iis, qui querelas ad ſanctam Sedem deferent, ea reddere reſponſa, quæ ipſius ſummæ dignitati, & ſapientiæ erunt convenientia. Ac primum Pater Sanctiſſime, non poſſum hoc affirmare, nullos unquam errores ab Officialibus his committi, cum ut Sanctitas veſtra optime ſcit, in magna copia eorum, qui juri reddendo præfecti ſunt, aliqui, interdum quidem etiam malitia, ſed ſæpius negligentia, aut etiam ignorantia poſſint peccare. Sed quod ad Reverendiſſimum D. Legatum pertinet (ego enim Pater Sancte, dabo fidele veritati teſtimonium, neque hominibus odio, aut amore ero affectus, ſed res ipſa & facta cujuſque, cujuſmodi ipſa fuerint, integro animo ſinceraque fide, aut laudabo aut reprehendam) quod igitur ad Dominum Legatum pertinet, ſciat, & teneat Sanctitas veſtra, nihil illo fieri poſſe ad gubernandum populos ſibi creditos, aut juſtius hoc tempore, aut providentius. Et quoniam laus a verbis communibus ducta, parum videtur habere ſoliditatis, narrabo ipſa facta, ut Sanctitas veſtra intelligat, utrum habeamus, necne, omnes qui in his locis degimus juſtam, & agendi gratias Deo, & gloriæ veſtræ Sanctitatis, ac honori ſanctæ iſtius Sedis gratulandi rationem. Primum annus eſt, & eo plus, quod nos qui de Comitatu ſumus, cum aliquot capita juris viderentur nobis ab Officialibus adminiſtrari aliquanto ſecus, quam ſtatuta Patriæ, & noſtra utilitas ferret, adivimus D. Legatum, & ad eum cauſam totam, poſtulationeſque noſtras detulimus; qui convocato Conſilio, rebuſque coram (nam, & ego adfui præſens) examinatis, ac diſcuſſis,

nihil nobis denegavit eorum, quæ honeſte, & juridice petebantur: atque id ita prompto, & liberali animo fecit, ut in quibus ratio etiam juris non ita erat certa ac liquida, maluerit tamen pro ſua benignitate noſtræ voluntati morem gerere, quam aliquid ſuæ poteſtati reſervare. Itaque earum poſtulationum, & conceſſionum decem circiter, aut duodecim capitula confecimus, quæ univerſæ Patriæ gratiſſima, opportuniſſimaque ſunt, & nobis ſumma cum fide obſervantur. Secuta eſt peſtilentia paulo poſt, quæ nos omnes in varia loca disjecit: annus deinde, & a principio ſterilis, & extremis tribus menſibus, omnibus his veſtræ Sanctitatis populis ferme perniciosfus; quo tempore, aſperrima fame incrudeſcente, hominibus tanquam feris per agros, & nemora victum ſibi ex ramis herbiſque quærentibus; cum D. Legatus ab urbe Avenione abeſſet, facileque poſſet, ſi vellet, cauſam probabilem ſuæ abſentiæ reddere, nihil ejuſmodi fuit, ſed venit ultro in civitatem, & ſemetipſum obtulit: multiſque laboribus atque omni diligentia, miſſis circumquaque hominibus, & proſpexit quantum fieri potuit publicæ indigentiæ, & privatim ipſe, magnifico, & memoribili opere, pauperum turbam, & numerum ingentem, ferme ad duo hominum millia, duorum menſium ſpatio amplius, privatim aluit, pane ſingulis, & pulte quotidiana præbita: cujus præclari facti exemplum, atque imitatio ita animavit incenditque ceteros, ut plurimi, qui domeſticis copiis inſtructiores erant, domum ſuam indigentibus aperuerint, nec unquam, ut ego arbitror, ulla in gente tantum miſericordiæ & charitatis fuerit aut expecta-

ctatum, aut viſum, quantum in populis veſtræ Sanctitatis reipſa, & opere fuit expertum, & cognitum: quæ res, quantum ad decorandum, & celebrandum S. Sedis Apoſtolicæ nomen inter has gentes valuerit, Sanctitas veſtra optime poteſt exiſtimare. Conſtat quidem certe, niſi hæc Domini Legati virtus, & magnificentia lumen ſalutis pauperibus oſtendere cœpiſſet, multique exemplum pietatis ſecuti fuiſſent, non pauca hominum millia fame interitura fuiſſe. Tranſiit iſta nox famis, & tenebrarum; & cum ubertatem frugum, non ſolum terra monſtrare, ſed effundere etiam cœpiſſet; ipſaque ſpe propinquæ ſaturitatis facile homines per ſe ſuæ ſaluti ſubvenire inciperent, Dominus Legatus interea, accerſito homine doctiſſimo, & Religioſo peritiſſimo, qui natione Italus, patria Vicentinus regulam Fratrum Prædicantium profitetur, rem novam, & inauditam in his regionibus, maximeque ſanctam, & ſalutarem inſtituit, ut beati Apoſtoli Pauli epiſtolæ publice legantur. Nam hæ gentes, Pater Sanctiſſime, ſua quidem ſponte, & chriſtianiſſimæ, & devotiſſimæ ſunt; ſed præter fidem illam ſimplicem, & illa prima Religionis rudimenta, nihil unquam, neque legerunt, neque audiverunt, quod ad altiora fidei Chriſtianæ myſteria intelligenda pertineat; una eſt illis litterarum cognitio in jure, & canonibus, in quo genere doctrinæ, multi ſane verſantur; ceteras quidem artes, & diſciplinas liberales, & præſertim eas, quæ ad cognitionem Dei, & ſui unicuique ſunt neceſſariæ, nemo ferme in his terris cognoſcit. Quod videns D. Legatus & bonitate quadam; ac ut cœleſtis ſcientiæ ſemina in his populis fere-

ſereret, providentia erga ſuos adductus, hominem iſtum conduxit, non publico civitatis, ſed ſuo privato ſumptu atque impendio, qui ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi, Deoque dilectiſſimi Apoſtoli myſteria fidei, ac præcepta hominibus aperiret. Itaque tanta eſt ex hac lectione, facta Avenionenſibus animorum concitatio, ut concurſus ad audiendum magni fiant; ſperandumque ſit, Deo ſanctum opus dirigente, maximas ex hoc utilitates, & quidem cœleſtes potius, quam terrenas in his populis eſſe proventuras. Mitto nunc Monaſteriorum reformationes, in quibus feminæ Deo ſacræ verſantur, quæ cum nomen quidem Religionis haberent, parum autem proſpera eſſent pudicitiæ fama, ipſius D.Legati cura, & attentiſſima diligentia, reſtrictæ, & correctæ ſunt: mitto particulares aliquas Curiarum, & Tribunalium emendationes. Ad maximum enim & pulcherrimum D. Legati factum feſtinat animus; qui, jam menſes aliquot ſunt, cum videns judicia, & juriſdictionem in populis hujus Provinciæ, longo abuſu, & malitia multorum, depravata non minimum, & corrupta eſſe; liteſque perpetuas, fugas, & fraudes cavillantium eſſe infinitas, adjecit animum ad univerſalem totius juſtitiæ correctionem, vocatiſque peritis, & conſilio cum illis communicato, plurima decreta, ſtatutaque confecit; quæ licet nondum plane perfecta ſint, ad finem tamen, & exitum ſunt propinqua: quæ ſi in uſum venient, & in jure dicendo obſervabuntur; credat mihi hoc affirmanti Sanctitas veſtra, maximas a populis ſuis incommoditates, & conſumptiones bonorum ac fortunarum, & privatim, & publice fore amotas.

Hæc

Hæc ego cernens, gaudebam animo, & triumphabam lætitia, ſperans propediem me viſurum lumen Domini in his terris, & ut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nomen in antiquam dignitatem, auctoritatemque reſtitueretur: quod eo etiam mihi erat jucundius, quod Sanctitate veſtra Sedem iſtam ſanctam obtinente, videbam hujus rei gloriam ad ipſius præcipue laudem & decus redundaturam eſſe, cui ego toto corde & animo ſum affectus. Sed interim, Pater Sancte, quod cum dolore aliquo loquor, hæc intervenit nova commiſſio, quæ aliquantum de honore, & fama D. Legati detrahens, apta ſit animum ipſius potius retardare ab his actionibus præclaris, quam intendere, nec dubito, quin illa ab optimo animo, & ſapiente conſilio Sanctitatis veſtræ profecta ſit; novi enim ejus pietatem, prudentiam, religionem, atque in primis zelum juſtitiæ, quo prædita eſt. Sed accidit, ut puto, maligni hoſtis conſilio, qui ſemper ad diſturbandas pias actiones paratus eſt, ut aliquorum apud Sedem Apoſtolicam querelæ hoc tempore plus valuerint, quam fortaſſe valere debeant. Quamquam qui ſint iſti, & quam querendi cauſam habeant, poſtquam ita placuit Sanctitati veſtræ; ego cum Commiſſario ſimul agnoſcam. In ceteris vero, ut inquiramus contra Officiales, & ſalvos conductus præbeamus; hoc putarem ita novo Brevi eſſe moderandum, ut ſi quid ſit, quod reprehendendum, & corrigendum eſſe videatur, de eo nos non judicemus, nec ſalvos conductus præbeamus, ſed ad D. Legatum deferamus: qui non ſum dubius, ſiqua conſtabunt Officialium errata, quod emenda-

bis

bit illa & corriget. Atque ad has fortaſſe nondum intellectas Sanctitati veſtræ D. Legati actiones, egregiæ ipſius voluntatis, & optimi animi teſtes, cum accedat ejus potentia, nomen, auctoritas, quæ in his nationibus permagna eſt, & maximis opibus, clientelis, cognationibuſque munita, ſi licitum mihi eſt infimæ Sanctitatis veſtræ creaturæ loqui coram ea libere quod ſentio, auderem rogare eam, quam etiam rogo atque omnibus precibus obteſtor, ut mutata ratione ſcribendi, ipſi D. Legato de his rebus, & factis potius gratuletur; eumque in hac præclara voluntate confirmet; commendet, & approbet quæ geſta ſunt; ad cetera quæ ſuperſunt gerenda adhortetur. Hoc enim Sanctitas veſtra ſi efficiet, maximum certe bonum ſuis fideliſſimis populis procurabit, & inſigne, atque eximium ſuæ ſapientiæ, juſtitiæque lumen his gentibus oſtendet. Altera commiſſio eſt de feudis, & juribus Cameræ, ſi qua uſurpata ſint, recuperandis; quæ cum juſta & honeſta ſit, caute tamen & prudenter eſt tractanda: de qua re tota cum ipſo Commiſſario locutus ſum. Tertia contra Lutheranos, & alios Hæreticos intenta eſt; quam ſanctiſſimam eſſe nemo poteſt negare. Sed tamen Pater Sancte, in hac Eccleſiaſtica Provincia, Lutherani ſeminis nulla ſuſpicio eſt, & Hæreticorum nomen incognitum. Eſt quædam natio, quæ in hanc ſuſpicionem apud aures veſtræ Sanctitatis adducta forte eſt: non enim ignoro ſenſus, & voluntates horum hominum, ac quorundam inter ſe æmulationes. Nam per hæc calamitoſa omnibus fere locis tempora, multi multis ex locis mercatores

Ave-

Avenionem ſe receperunt, factaque eſt ob hanc cauſam hæc civitas opulentior; quod omnes ita exiſtimabant, ſi in hanc urbem ſe contuliſſent, portum in ea pacis, & tranquillitatis ſe reperturos; quibus ſi iſti nunc terrores, & formidines oſtendantur; video Pater Sancte, cum parvo iſtius S. Sedis, aut nullo potius commodo, magnam commutationem rerum futuram eſſe, ut demigrent in alia loca qui hic ſedes conſtitutas habeant; quorum tamen ſpecies, & forma tanquam bonorum virorum eſt, nec unquam de illorum impietate ulla extitit ſuſcipio. Itaque ego fretus veſtræ Sanctitatis juſtitia, dixi Commiſſario, ut, ſi quid per teſtes probatos intelligeret, ſeveriſſime exequeretur; ab ignominia autem & dedecore ne inciperet, cum hujus peccati infamia gravibus viris ipſa morte ſit durior, nec illis aures, qui odio ſimultateque feruntur, præbendas eſſe duceret: quos ego novi, Pater Sancte, qui ſint, & quemadmodum ſeſe habeat res tota, optime intelligo. Sed quod magis pertinet ad honorem Sedis Apoſtolicæ, & non mediocrem etiam utilitatem, aperta eſt via ipſi Commiſſario, ab ipſo etiam Reverendiſſimo D. Legato, per quam cum ſumma juſtitia, & æquitate, commodis Cameræ poterit conſuli; de quo Commiſſarius eamdem Sanctitatem veſtram plenius eſt informaturus. Ego Sanctitatem veſtram humiliter deprecor, ut hæc omnia quæ ſcripſi in optimam partem accipiat, atque ita reputet, me fideliſſimo animo, & ſumma cum fide omnia ſcripſiſſe: non quin poſſim judicio falli; ſed certe, quod mihi ipſum perſuaſum eſt, rectum & æquum

eſſe,

eſſe, id Sanctitati veſtræ ſtatui eſſe per me exponendum; quæ ſolita ſua cum ſapientia omnia & gubernabit, & diriget: quam Dominus Deus noſter omni felicitate, & gratia augere ſemper dignetur, & cujus ſanctiſſimis pedibus me commendatum eſſe & cupio, & rogo. Carpentoracti, XXVIII. Julii M. D. XXXI.

S. V. Humillim. ſervus Jacobus Sadoletus.

EPISTOLA CXXXIV. (a)

JACOBUS SADOLETUS

Clementi VII. Pont. Max.

Gaſparum de Brancatiis commendat.

PAter Sanctiſſime ac Beatiſſime, poſt pedum devota oſcula beatorum. Cum Gaſpar de Brancatiis, præſentium lator Romam accederet, petiit a me, ut eum Sanctitati veſtræ litteris meis commendarem; quod ego libenter feci, non tam meis litteris, quam Sanctitatis veſtræ benignitate & clementia fretus. Cum autem ſit juvenis optima indole, ac egregiis moribus præditus, tum autem ex nobili familia & genere, cujus pater Dominus de Cæſariſta, inter primos hujus provinciæ, exiſtimatione, & fortunis ornatus eſt, mihique amiciſſimus, commendo hunc juvenem San-

(a) Extat tom. I. Miſcellan. pag. 571.

Sanctitati veſtræ, ut in eis rebus quas poſtulabit, quæ cum honeſtate & juſtitia, & cum veſtræ Sanctitatis dignitate conjunctæ fuerint, velit ei ſuam humanitatem, gratiam, benignitatem, libenter impertire, in quo, & ſuæ optimæ clementiſſimæque naturæ rem conſentaneam faciet, & mihi valde gratam: qui Deum continue rogo, ut veſtræ Sanctitati omnia proſpera feliciaque concedat; cujus ſanctiſſimis pedibus me humillime commendo. Carpentoracti VIII. Octobris M. D. XXXI.

Devotiſſimus ſervus Jacobus Sadoletus.

EPISTOLA CXXXV.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Antonio Puccio Cardinali (a)
S. P. D.

De obitu Laurentii patrui dolet, gaudetque ſimul de amplificatione dignitatis ejus.

CUM cognoviſſem ex literis meorum, Laurentium Puccium patruum tuum, virum ampliſſima dignitate & omni virtutis gloria flo-

---

(a) Magnum in Antonio Puccio Florentino & ad utriuſque Philoſophiæ ſtudia & ad omnes bonas artes capeſſendas extitit ingenium. Etenim cum ſumma Theologicæ rei ſcientia, tum egregia eloquentiæ cognitione præſtitit, ut patet ex ejus quatuordecim Homiliis, quas poſt illius obitum M. Ant. Georgius emiſit in manus hominum.

florentem, ceſſiſſe a rebus humanis, teque in ejus locum eſſe ſuffectum, qui eundem, quem ille, honoris & autoritatis gradum obtineres: ſane & dolui animo vehementer, & lætatus ſum. Nam & illius amiſſi, quem in parentis loco ſemper habuiſſem, deſiderio commovebar: & tuæ amplificatione dignitatis mirum in modum gaudebam. Qua in diſceptatione doloris atque lætitiæ aliquandiu cum fuiſſem: rationibus utrinque perpenſis atque examinatis, tandem judicavi æquius eſſe multo, tibi & dignitati tuæ gratulari, quam illius obitum deceſſionemque lugere: præſertim cum hoc a me erga te officium amicitia vetus noſtra requirat: illi autem nihil omnino mali contigerit, quod ſit luctu & lamentatione dignum. Nam ſi vitam illam cogitamus beatam & immortalem, quæ in cœlo his qui cum fide & pietate hic vixerunt, poſt mortem a Deo eſt propoſita: nihil omnino earum rerum, qui-

---

minum. Poeſim quoque attigit, videlicet ne illius eſſet expers ſuavitatis, ſcripſitque nonnullos rithmos octonarios elegantiſſime. Ceterum egregius Laurentii Pucci præſtantiſſimi Cardinalis ejus patrui fuit imitator. Ab eo enim Romam accerſitus, interque familiares ſuos a Leone X. receptus, quum pietate, prudentia, eruditione, omniumque virtutum ornamentis floreret, primum Apoſtolicæ Cameræ Clericus, poſtea Epiſcopus Piſtorienſis ab eodem Pontifice factus eſt, quo imperante luculentam habuit orationem in Synodo Lateranenſi. Tandem ampliſſimis ac difficillimis ſumma nominis ſui laude perfunctus muneribus, anno M. D. XXXI. die XXV. Septembris Cardinalis eſt renunciatus. Obiit prid. Idus Octobris an. M. D. XLIV. ſepultuſque eſt in Templo S. Mariæ ſupra Minervam. Vide Cicconium tom. 3. col. 522.

quibus illa comparatur, prætermiſit Laurentius. Mitto nunc bonitatem, mitto liberalitatem, mitto innumerabiles ab eo, & prope infinitos aſſidue pro Republica ſuſceptos labores, humanitatem etiam, facilitatemque prætermitto, qua ille ad ſe adeuntibus, & ipſius ope ac conſilio uti volentibus, expoſitus ſemper fuit. Quid illa vel pietate & religione potuit eſſe illuſtrius, qua ipſe erga Deum illius honoris ſtudio incenſus ferebatur; vel charitate, qua erga homines? cum nec monere errantes, nec erigere lapſos, nec ſolari deſperantes ullo unquam tempore deſiſteret: omniaque ſua cogitata, conſilia, acta, eo potiſſimum conferret, ut ſanctæ eccleſiæ honos apud omnes, & autoritas magna haberetur. Quod ſi illa etiam ſpectantur, quæ in hac vita nobis, qui ſuperſtites adhuc ſumus, allevamenta doloris ſunt: nullius unquam nomen nec clarius, nec frequentius, quam Laurentii toto orbe terrarum pervagatum eſt. Ille curiam regebat, ille & civibus & exteris lumen præferebat ſapientiæ ſuæ: erga pauperes comis, potentibus non infenſus, bonis omnibus fautor; nulli unquam acerbus, maximis porro Pontificibus & conſilio ſemper & opera & omni fide atque amore conjunctus & conſentiens. Itaque non dubito, quin iſta tanta urbs, & iſta curia talis viri tam benefici, & tam ſalutaris, morte ſibi tota ſquallens, & pene ornamentis omnibus ſpoliata eſſe videatur. Ego vero, in quem plurima illius beneficia extiterunt, qui me in filii loco dilexerat, in quo ego patriam mihi ſanctitatem & venerationem conſtitutam habebam, facere equidem non poſſum, quin gravi & in-

& intolerando mœrore urgear. Sed tamen magnum mihi affert ſolatium, quod intueor te, quem fraterno amore ſemper ſum complexus, cujus patrui tui virtutes egregie imitatus es, ejuſdem factum eſſe honorum & dignitatis hæredem. Quod & ex animo lætor, & tibi ac generi tuo Reique publicæ Chriſtianæ bene id ac feliciter evenire cupio. Videor enim ſperare debere, te talem patriæ & amicis futurum, ut eximias virtutes tuas ingenii, integritatis, doctrinæ, cum magno ſuo commodo Chriſtiana imprimis religio experiatur: noſque, qui tibi amiciſſimi ſemper fuimus, tuorum ornamentorum, & laudum participes etiam ſimus. Ego quod ad me attinet, quem amorem & obſervantiam perpetuo erga te habui, & aucturus etiam magis, & conſervaturus ſum, ſicut & mea natura, & tua præſtans dignitas virtuſque poſtulat: tu ut me ope & patrocinio tuo, ubi uſus veniat, defendas ac tueare, magnopere te rogo. Vale, Carpentoracti.

EPI-

EPISTOLA CXXXVI.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoracten.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali (a)
S. P. D.

Pro collatis ſibi beneficiis gratias agit.

NON reperio verba, quibus tibi agam pro tua eximia ac præſtanti erga me voluntate gratias, quam tuis diſertiſſimis literis præclare declaraſti, Voluntate autem dico? quis unquam illuſtrius, & certioribus factis oſtendit, alterius honorem ſibi cordi, quam tua erga me non dicam facta, ſed merita jam complura ſunt. Nam quod fidem amicitiæ mihi abſenti præſtas eandem, quam præſenti olim officiis omnibus præſtitiſti: neque officit animi tui quaſi luminibus, altitudo & fortunæ, & dignitatis tuæ, quo minus me reſpicias, in eodemque habeas loco, quo antea habere eras ſolitus: ſit hoc virtutis, ſit conſtantiæ, & animi magnitudinis tui. Quæ vero in ipſum me contuliſti multa & magna non amoris ſolum indicia, ſed ſummæ etiam liberalitatis, quibuſnam ipſe verbis, aut quo dicendi genere ſatis exprimere poſſim? Quod faviſti mihi videlicet ex animo ſemper: quod mei abſentis famam & nomen adverſus malevolos ho-

(a) Vide quæ de Accolto diximus in notis ad Epiſtolam XCVI. pag. 281.

homines & alienæ laudi libenter obtrectantes, ſtudioſe tutatus es, quod meis, & meorum amicorum, affinium, familiariumque negotiis, nunquam tuum patrocinium & autoritatem deeſſe paſſus es, nemoque apud principem pro me aut ſæpius interceſſit, aut vehementius: quæſo, iſta omnia quanti? præſertim a tanto viro, tanta autoritate, tanta eloquentia, tantis ornamentis honoris, fortunæ, ingeniique prædito? Quibus tamen contenta temeritas mea non fuit: auſus enim præterea ſum (quid enim mihi non daret audaciæ bonitatis tuæ fiducia, & opinio tui erga me amoris) auſus ſum, inquam, cum hominem unum ex meis Romam mitterem, qui mea ibidem negotia gereret, collocare eum domi tuæ, & tanquam meo jure velle, ut is tuo ſumptu atque impendio meis rebus deſerviret. Quam quidem meam temeritatem in eum modum tua liberalitas excepit, ut quod audacter feceram, ſapienter feciſſe viſus ſim. Nec ſolum tu opibus tuis difficultates meas levaveris, ſed etiam virtutibus vitia obſcuraris. Atque hæc cum ita ſint, ſcribis tamen ad me amicitiam noſtram ſummis a me officiis cultam, a te ſolum grato animo obſervatam fuiſſe. In quo admiratus valde ſum novam in te quandam atque inauditam vim humanitatis, qui iſto animo in amicitia colenda ſis, ut cum beneficia tribuis, accipere te arbitrere. At ego hoc ſolum mihi reſervaveram ex omnibus officiis, quæ ſunt amicitiæ debita, ut cum tu me autoritate & patrocinio tuo, cum opera & gratia, opibus etiam tuis foveres & ſuſtentares: ego qui in cæteris tibi par eſſe non poſſem, iſta ipſa

de te

de te prædicans, & magnum obligationis vinculum, quo tibi teneor aſtrictus, ingenue confitens aliquam partem gratiæ referre tibi viderer. Quam ſi tu quoque laudem ad partes tuas rapis, & commutatis nominibus rerum, bene mereri de altero, in te vis eſſe idem ac alteri debere: amabo te mi Accolte optime atque humaniſſime, quam nobis partem reliquam in officii laude facis? Sed ego ne ſim ſalvus, ſi non contendero omni mea ope, atque elaborabo, ut mea quoque officia & ſtudia erga amplitudinem tuam, etiamſi minus propter ſtatus noſtri mediocritatem, eximia magnaque fuerit; ab animo tamen amiciſſimo, & gratiſſima voluntate profecta videantur. Etſi hoc ipſum quoque, ut mihi majus eſſet ac difficilius Rainerius meus fecit, qui nuper abs te reverſus, non deſtitit adhuc prædicare, nullum genus humanitatis liberalitatiſque fuiſſe, quo tu non illum uberrime atque amantiſſime proſecutus ſis. Quod ego totum mihi in illo abs te tributum eſſe ſentio, agoque tibi propterea maximas gratias. Sed quæ ille ad me tuis verbis detulit de ſtudio tuo & cura augendæ dignitatis meæ, id eſt ejuſmodi, ut iſta tua voluntate & in me benevolentia nihil mihi quidem poſſit eſſe jucundius: rem autem ipſam cum ætas noſtra jam ingraveſcens, tum ſtudium artium optimarum, in quibus omni tempore verſor, facile patitur ad alios potius accedere, quibus iſta magis cordi ſunt, quam ad me, qui hiſce rebus ſatis perfunctus ſum, & nunc aliud quoddam genus vitæ conſector (ut ego quidem ſtatuo) aliquanto beatius. Ego in omni officio atque amore, tuæque amplitudinis obſervantia, eam tibi amicitiæ ve-

ritatem, & id ſtudium animi grati polliceor; quod cum tua excellens virtus ac dignitas, meritaque erga me plurima ac maxima, tum tum autem fides inprimis mea & natura poſtulat. Vale, Carpentoracti.

EPISTOLA CXXXVII.

JAC. SADOLETUS EPISC. CARPENTORACT.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali S. P D. (a)

Accolti Epiſtolarum nitorem, elegantiam, ac pulchritudinem commendat, quodque ad tantum eloquentiæ laudem pervenerit, gratulatur; poſtea de Reſpublicæ miſeriis, deque ſuo ſtatu nonnulla ſcribit.

TArdius mihi redditæ fuerunt literæ tuæ: eas enim x. Calendas Septembris datas, ego circiter Nonas Octobr. accepi. Sed earum lectione mirifica, incredibile eſt quanta animi voluptate fuerim affectus. Quanquam quid primum de illis dicam, aut quid collaudem potiſſimum, neſcio. Illud dico, nihil leporis eſſe, nihil venuſtatis, nihil omnino humanitatis, nihil benevolentiæ, quod non in illis literis præclare eximieque luceat: & cum ſingularem tuam ingenii ac eloquentiæ laudem, tum amorem tuum erga me perſpicuum mihi ponat

(a) De Accolto, conſule ſuperius notas ad Epiſtolam xcv. pag. 281. & 282.

ponat ante oculos. Sed horum utro magis ſim delectatus, ſatis adhuc conſtituere non poſſum. Jucundior fortaſſis eſt amoris & voluntatis illa ſignificatio: ſed tua in ſcribendo ſubtilitas atque elegantia multo certe admirabilior. In qua tantum te profeciſſe, ut ad ſummam laudem perveneris, nec jam cum noſtri temporis hominibus, ſed cum antiquitate ipſa contendas; gratulor tua quidem mehercule imprimis, ſed nonnihil etiam noſtra cauſa. Facile enim proſpicio, cum extare jam incipiat, quis tu homo, quanti me facias, fore, ut hoc tuum de me judicium magno mihi ornamento apud omneis ſit. In ſumma tibi hoc perſuaſum eſſe volo, nunquam quicquam me egiſſe his literis tuis, quas proxime accepi, caſtius, purius, liberalius. Itaque te jam ne hortor quidem, ut omnia ſumma tibi propoſnas, atque ita ſtatuas, dignitatem tuam, quam ego intelligo eſſe maximam, non minus ex his optimis & præclariſſimis artibus, quam in omni honore & præmiis fortunæ exiſtere. Tua enim excellens & eximia virtus hortatione non indiget. Sed ego, quod proprium mei amoris in te fuit, & optavi ſemper te intueri talem, qualem nunc aſpicio, & mei optati ac voti compos factus, jure nunc triumpho atque lætor. Habeo enim id quod maxime optandum homini eſt, amiciſſimum meum omnibus & fortunæ & ingenii bonis ornatiſſimum. Verum hæc hactenus. Nam nec pluribus agere verbis de eis neceſſe eſt, & tantum quantum in re eſt, non poteſt tamen explicari. Quod acceptorum beneficiorum commemorationes, actioneſque gratiarum; ac cætera ejuſmodi

amicitiæ verecundioris officia, auferri jubes ex literis noſtris, libereque inter nos & perfamiliariter agi; agnoſco magnitudinem animi tuam, qui fructum liberalitatis tuæ in ipſa liberalitate conſtituas. Nam ſi ſcriptioni & operæ parcendum ſit, mihi conſulitur uni. Meæ enim illæ erant partes agendarum gratiarum: meum munus, in quo nec par quidem tibi eſſe poteram: cum tu de me bene merendo, ego tibi gratias agendo, quotidie inter nos quaſi certaremus. Sed ut tunc liberalitati & benignitati tuæ, ſic nunc voluntati bonitatique concedo: patiorque ea a me ſilentio præteriri, quæ alioquin prætereunda non eſſet: niſi hoc mihi tu pollicerere, quod tamen polliceris, te animum meum gratum & memorem non ſecus habiturum. De publicis rebus utinam aut tu mihi nunciares lætiora, aut ego his quæ gravia impendent, aliquid opis ferre atque auxilii poſſem. Voluntas certe mihi non deeſſet, neque adeo etiam tibi. Nec vero tantum ullum eſſet periculum, tantus labor, quod nos pro ſalute & ſtatu Chriſtianæ Reipublicæ defugere vellemus. Sed cum neutrius noſtrum ſit poteſtas, cum res eo deducta ſit, ut omni cogitatione dignitatis jam dimiſſa, reliquæ ſalutis ſpem non in conſiliis noſtris, ſed in incertis eventibus rerum totam repoſuerimus; quid attinet ſolicitudinem capere velle de his, quæ nec provideri a nobis poſſunt ne accidant; nec cum acciderint vitari? Una eſt ratio opitulandi reliqua, quæ ſola mederi iis incommodis queat: quam tu ſanctiſſime, & prudentiſſime commemoras: ſi forte Deum noſtri miſertum ſit. Etſi de eo quidem
non

non dubium eſt, quin ad miſerendum ſit paratus. Potius, ſi forte bona fide nos aliquando ad illius opem & miſericordiam ſtudeamus confugere. Nam de oſtentis & prodigiis, quæ multa ſcribis & mira Romæ inſpecta partim, partim aliis ex locis nunciata fuiſſe, ſane ego quam minimum laboro. Quò enim portentorum ſignificatione opus, cum quæ è talibus ſolent ſignificari damna, mala, incommoda, quotidie ſentiamus? quæ ſatis ipſa portentum ſibi ſunt: nec ab aliquo disjuncto monſtro, ſed ex ſe ipſis non magis portendunt, quam inferunt calamitatem. Nihil certe novarum cladium jam expectamus, quod non ante fuerimus experti: niſi forte univerſus impendet interitus. Sed hæc Deus viderit, in cujus manu ſunt omnia. Nos damus operam quoad poſſumus, ut domicilium ibi nobis præparemus, ubi tantum datur verè vivere, ne cum ex his locis fuerit migrandum, velut re nova atque inopinata perturbemur. Ad quod magna nimirum opus eſt non ſolum cura, verum etiam felicitate, & apud Deum gratia. Habemus multa ut homines, quæ nos interpellent, verum tamen adnitimur. Tu qui in illis fluctibus verſaris, qui ſunt ventis pluribus expoſiti, majorem artem & conſtantiam adhibeas neceſſe eſt. Quod ipſum tamen tuæ virtuti præſtanti & ſingulari futurum eſt non difficillimum. Quod reliquum eſt, ego meum in te amorem, inſignemque obſervantiam ſumma cum pietate conſervo. De tua voluntate erga me prorſus ſum perſuaſus. Omnia tibi proſpera & fauſta evenire opto. Tuis opibus & facultatibus cum uſus venerit, perinde utar,

ut meis. Denique tibi confirmo, nec habere te quenquam, qui te magis diligat, quam ego diligo, & me cui plus confidam, quam tibi, reperire profecto neminem. Vale, Carpentoracti, XVII.Calend.Novemb. M.D.XXXI.

EPISTOLA CXXXVIII.

BENEDICTUS ACCOLTUS CARDINALIS (a)

Jac. Sadoleto Epiſc. Carpentoract.

S. P. D.

Suam erga eum benevolentiam teſtatur, narratque felicem exitum pugnæ Helvetiorum contra Hæreticos, in quorum numero erat Zuinglius, qui in eo prælio eſt interfectus.

CUM mihi nihil ſoleat in hac disjunctione noſtra non ſolum jucundius, verum etiam utilius accidere, quam tuæ epiſtolæ; vereor ne illud mihi ſæpius, pene quodam fato, accidat perincommode, ut ſive tabellariorum negligentia, ſive meis occupationibus, ſerius quam ego vellem meæ ad te literæ perferantur: mihique propterea fructu jucundiſſimo atque uberrimo tuarum epiſtolarum diutius ſit carendum. Nam etſi nihil ſtatuam eſſe tanti, ut cum his honeſtiſſimis ſermonibus, quibus abſentiæ noſtræ deſiderium per literas

ſua-

(a) De eo, vide notas ſuperius in Epiſt. xcv. pagina 281.

ſuaviſſime lenire conſuevimus , ſit conferendum ; tamen ita negotiis quibuſdam odioſis , atque adeo importunis , his diebus proximis diſtinebar , ut quod in ſuperiore mea epiſtola tabellariorum culpa eſt commiſſum , ut tibi tardius redderetur ; nunc plane ſit effectum mea , qui ex illis moleſtiis non valuerim tantum demere temporis , quantum ad reſcribendum ad diſertiſſimam illam tuam epiſtolam plenam ſingularis tui erga me amoris , quam ad me XVII.Calend. Novembris dediſti, ſatis eſſet . In qua tanti me a te fieri animadverti , ut qualem me eſſe cupio , talem tu illuſtribus quibuſdam amoris notis pigmentiſque lectiſſimis mirifice expreſſeris . Quod quamvis ab incredibili tua in me benevolentia profectum agnoſcam , ampliſſimum tamen iſtud , atque inſigne tuum de me teſtimonium quanti a me fieri oporteat , quantumque ornamenti apud omnes bonos mihi ſit allaturum , facile intelligo . Itaque cum tibi omnia me debere antea profiterer , neſcio quo pacto magnus nunc (quod minime jam poſſe evenire putaveram) innumeris ſingularibuſque tuis erga me officiis , hoc etiam nomine ſit additus cumulus . Atque utinam aut ea quæ tu de me amiciſſime ſentis , præſtare poſſim aliquando : (dabo equidem in eo ſedulo omnem operam) aut cæteri tibi tantiſper aſſentiantur , dum mihi facultas major ad te pro tua ſingulari eximiaque virtute , egregiiſque in Chriſtianam rempublicam meritis , ornandum atque augendum detur . Tunc enim in magnitudine mei erga te amoris immenſa atque mirifica tibi declaranda,pleniſſime mihi ipſi ſatisfacere poſſe confiderem . Quod verbis, aut ſcriptione

proſequendum non puto. Non ſolum quod eam eſſe volo animorum noſtrorum conjunctionem, ut re & benevolentia, non verbis inanibus confirmetur; ſed etiam, quod in ea ſumma voluptate, quam ex tuis literis capio, ita puriſſimis illis atque ampliſſimis admirabilis tuæ eloquentiæ ſplendoribus mei ingenioli præſtringitur acies, ut niſi ab illa tua in omnes, ſeorſumque in me inſigni humanitate recreer, plane deterrear a ſcribendo. Verum de his hactenus. De rebus publicis, eſt quod lætius quiddam tibi poſſim hoc tempore ſignificare. Ex eiſdem enim qui hac æſtate proxima nuntiabant maximum illum Turcarum motum, nuper accepimus, ea quæ ab illis nunc nobis impendent, multo eſſe commodiora. Nam ſcribunt, Turcas ipſos bonam illius bellici apparatus partem ad mare rubrum eſſe converſuros, ut per illud ad oceanum Indicum validiſſima clade delati, impendiant Luſitanos, qui ad Indos aromatum gratia ſoliti ſunt commeare. Quod etſi nobis aliquid ſit allaturum incommodi, ſummæ tamen Chriſtianæ Reipublicæ Dei Optimi Maximi immenſo erga nos amore, ita conſultum vides, ut cum e faucibus pene fati erepti ac plane conſervati eſſe videamur; tum etiam aliquid nobis ſuperſit ſpatii in eas cogitationes incumbendi, quæ ſint & tantis noſtrorum acerbitatibus aptiſſimæ, & antiquo Chriſtianæ pietatis decore digniſſimæ. Quod utiam a nobis non prætermittatur, & his quæ quaſi dormientibus nobis a divina clementia ſunt conceſſa, negligentiores non efficiamur; ſed ad ipſius Dei Optimi Maximi opem (ut eſt in tuis literis) bona fide confugiamus. Cum enim nullum tem-

tempus pietati & religioni aptum non ſit, tum id magis eſt neceſſarium, quo major in nos illius elucet benignitas, ne ipſius miſericordia fruſtra cadat: ſed ad ea potius pericula, quæ premunt, levanda alliciatur. Aut ſi quid acciderit, nobis ad ſalutem tranquillitatemque perpetuam iter patefaciamus: neve quanto ille benignior fuit in nobis conſervandis, tanto ſit in illis puniendis iratior, ſi quos tot tantaque beneficia pro maleficiis habuiſſe animadverterit. Nam cum ſæpe antea ipſius Dei Optimi Maximi immenſa noſtrarum rerum cura extiterit; tum verò non dubiis ſignificationibus (ſi modo ii erimus, qui eſſe debemus) ſperare nunc poſſumus, illum non ſolum tantam malorum molem ab extero hoſte Turca jam pridem imminentem, a cervicibus noſtris eſſe remoturum; verum etiam eas omnes, quæ nuper a domeſticis proditoribus, quos hæreticos appellant, per univerſum fere Chriſtianum orbem delubris templiſque ſanctiſſimis nefario ſcelere ſubjectæ ſunt faces, ab ipſius præſente numine reſtinctum iri. Quis enim non videt ea quæ ſuperioribus menſibus ab Helvetiis qui Catholicam fidem nobiſcum una retinent, adverſus reliquos ejus gentis pagos qui a recta religione deſciverunt, duobus magnis præliis ſunt geſta, ſine ope divina geri prorſus non potuiſſe? Cum enim magna ipſorum pars teterrima illa impietatis labe dudum eſſet contaminata: (nam ex tredecim pagis, quinque tantum in fide permanſerunt) decreverunt illi, qui nu nero ſuperabant, vi & armis ita cogere quinque pagos veræ religionis amantiſſimos, ut illos ſuæ perfidiæ ſocios ſibi adjungerent. Cumque jam res (ut

te audiſſe non dubito) ad manus deveniſſet, primo in prælio octingenti ex noſtris maximo Chriſtianæ pietatis ſtudio inflammati paulum extra aciem, quæ ex octo tantum hominum millibus conſtabat, primi procurrere, incredibilique virtute & fortitudine viginti hoſtium millia ſunt adorti. Quos continuo, occiſis hominum amplius tribus millibus, & totidem fere captis, qui projectis armis mortem ſupplices ſunt deprecati, in fugam conjecerunt. Cujus victoriæ curſui, quamvis nox magno fuerit impedimento, præliumque diremerit; in eo tamen illud maxime ſalutare accidit, & prædicandum, quod cum hoſtes rem eſſe in anguſto animadverterent, eos omnes quorum opera & artificiis plebs fuerat concitata, in primam aciem coegerunt procedere. Quod ubi ſine mora facere, vel ut ſuis adderent animos, vel quod ita neceſſitas poſtulare videbatur; minime recuſaſſent; interfecti ſunt noti fere omnes tantorum ſcelerum & perfidiæ autores, inter quos ceciderunt quam plurimi ſacerdotes, qui abjurato veræ religionis cultu, ſeſe in Satanæ famulatum conjecerant: repertuſque eſt multis vulneribus confectus Zuinglius, qui primus ad Helvetios attulit peſtifera Lutheranorum dogmata; eiſque ob ſingularem, qua maxime inter Helvetios florebat, opinionem virtutis, doctrinæ, & ſapientiæ, aſſidue imperitorum animos imbuebat: cognitumque poſtea eſt, pagum qui Tigurinus appellatur, quique omnium illorum infidelium habetur caput, ex CCC. ſenatoribus, ad ſeptem tantum, eo confecto prælio, eſſe redactum. In quo triginta tantum pedites a noſtris ſunt deſiderati: relata-

que

que ſunt ex pugna ad pagum Lucernenſem (qui itidem fidelium Helvetiorum eſt facile princeps) complura ſigna militaria; inter quæ fuit vexillum maximum pagi Tigurini, & tormenta muralia XIX. quadringentaque caſtrenſia. Hoc prælio inter hæreticos nuntiato, quanquam nulli erat dubium, quin illa omnia Dei Optimi Maximi feliciſſimis auſpiciis a noſtris eſſent confecta, mireque ipſius Zuinglii interitus hoſtes perterruiſſet; multitudine tamen & numero ſuorum confiſi, iterum prælio decertare, rurſuſque fortunam experiri decrevere. Itaque brevi redintegratis viribus, delectiſque ex omnibus pagis, teterrimo illo ſcelere imbutis, & in unum locum coactis, hominum millibus circiter triginta, additiſque præterea Germanorum auxiliis, qui ſuperiore prælio non potuerant intereſſe, in noſtros caſtra moverunt. Quibus cum noſtri appropinquaſſent, ſubito & præter omnem ſpem hoſtium, concurſu tam acri in eos impetum fecerunt, ut eum modo hoſtes ferre non potuerint. Itaque primum loco pulſi, deinde diſſipati, univerſi terga verterunt. Quos noſtri inſequuti, compluribus captis, magnum eorum numerum trucidarunt; multos quoque ex eis repentinus ſuorum terror, ac fuga, in quaſdam locorum anguſtias compulit: quibus intercluſi, ex præruptis altiſſimiſque rupibus, noſtris urgentibus, ſe præcipitaverunt. Hoc prælio a noſtris feliciſſime confecto, rurſuſque hoſtibus profligatis, & inſigni clade affectis, cum Lucernenſes, qui ut ſupra memoravi, inter quinque pagos fideles in maximo habentur honore, aliquot oppida ab hoſtibus

occupata recepiſſent, ea qua Chriſtianos decuit uſi manſuetudine ac lenitate, legatos de communi quinque pagorum concilio ad Tigurinos miſerunt, qui teſtarentur, ſe quæcunque feciſſent, nullis privatis inimicitiis, ſed tantum veræ religionis cauſa feciſſe: neque quicquam aliud petere ſuis armis, quam ut ad avitum ſacrorum morem rediretur. Quæ cum æquo animo Tigurini, Dei (ut ego arbitror) ira perculſi, accepiſſent: omnes qui pertinaciores in ejuranda impietate ſunt viſi, confeſtim e pago expulerunt, ſeque Lucernenſibus & aliis fidelibus adjunxerunt. His de rebus heri in ſenatu recitatæ ſunt, magna omnium lætitia, literæ Epiſcopi Verulani, quem illuc Pontifex Maximus legatum miſerat. Quibus nobis magnam ſpem facit, cum unus omnino ſit hic pagus Tigurinus, cujus autoritate reliqui, qui a communi religione & Chriſtiana pietate diſceſſernnt, contineantur; fore, ut brevi dimiſſa priſtina errorum pertinacia, cum pagis fidelibus ſe conjungant. Quod ſi evenerit, tanto futurum eſt Cæſari adjumento in eo conventu, quem pro ſua ſumma pietate & religionis ſtudio, ad abolendum, aut ſi id fieri non poterit, aliqua ſaltem ratione, reprimendum impium Lutheri ſcelus, aliaque hæreſum monſtra conficienda, quæ ex letali illo, ac peſtifero fonte per omnem Germaniam longe lateque fluxere, ad Calendas proximas Februarii Ratiſbonæ indixit, ut ipſum multo commodius, majorique exiſtimatione & dignitate, tantis vulneribus Chriſtianæ Reipublicæ Deo bene juvante, mederi poſſe ſperandum ſit. De rebus urbanis, nihil eſt quod ſcri-

ſcribam: nam & pleræque eodem loci ſunt, quo reliquiſti, & ſi quid præterea novi ſit, puto te ab aliis certiorem fieri. Itaque venio ad poſtremam epiſtolæ tuæ partem, in qua de vitæ tuo inſtituto graviſſime ſcribis. Qua perlecta in eadem opinione continuo fui: eaque non modo eximiam quandam, & ſingularem pietatem, religionemque præ ſe ferre mihi eſt viſa, verum etiam jucunda accidit & ſalutaris. Cum enim ſemper judicaverim hæc fortunæ membra, divitias, honores, dignitates, inania eſſe & caduca, magiſque ad laborem & pericula, quam ad ſalutem valere, ſemperque ſtatuerim, ipſius Dei cultum, & ſalutem animorum longe his eſſe prævertendam, tamen vix dici poteſt, quam hæc mea mens tuo iſto judicio ſapientiſſimo, monitiſque graviſſimis fuerit confirmata. Itaque dum ea mihi ſpes propterea non evaneſcat, quæ me mirifice ſuſtentat: fore, ut habita (quod dudum oportuit) eximiæ multiplicisque virtutis tuæ ratione, huc ad nos quandoque redeas; egoque hanc uſus & congreſſionis tuæ intermiſſionem, quoad mihi per tua tempora licitum fuerit, aſſiduitate & diligentia ſarcire poſſim. Dum igitur ſpes iſta non extenuetur, non ſolum approbo ſanctiſſimum iſtud tuum propoſitum, quo ſolo ad æternam domum recta pervenitur via; verum quantum potero enitar ipſe quoque, atque a Deo Optimo Maximo aſſiduis precibus contendam, ut tandem aliquando utar pacatis fluctibus quo mihi ſecurus ad veram tranquillitatem muniatur curſus. Interea ſi quid eſt, quod me tua aut cujuſquam tuorum cauſa curare oporteat, id tibi ne polli-

con-

cendum quidem videtur, cum & voluntatem meam tibi ſatis notam eſſe intelligam, & ea quæ reſtant, re tibi magis quam verbis me probaturum confidam. Vale, Prid. Id. Decembr. M. D. XXXI. Romæ.

EPISTOLA CXXXIX.

JACOBUS SADOLETUS EPISC. CARPENT.

Matthæo Giberto, Epiſc. Veronæ S. P. D. (a)

Excuſat ſe quod tamdiu intermiſerit officium litterarum. Quod vero optimos Græcos authores ſua impenſa edendos curaverit gaudet, ſeque in Commentariis in Epiſtolam ad Romanos conſcribendis operam navare ſignificat.

JAM diu eſt, cum ego ad te nihil literarum dedi, quod accidit non oblivione tui mea, neque pigritia, aut negligentia noſtra; ſed quod ipſe meis occupationibus impeditus, dubitans de tuis, veritus ſum ne mea ſedulitas forſitan tibi moleſta eſſet, ſi te a gravioribus & ſanctioribus curis inanium lectione literarum avocaſſet. Etſi inanes nunquam epiſtolæ eſſe ſolent, quæ ut aliud nihil afferant, teſtes tamen ſunt amoris, & conſervatæ optimæ voluntatis. Verum hoc teſtimonium neque (ut ego arbitror) tu a me deſideras, neque ego abs

(a) De Giberto, vide notas in Epiſt. LXV. pag. 170.

abs te requiro. Satis enim noſtra vetus conſtanſque amicitia teſtimonii utrique noſtrum præbet, eſſe nos inter nos quales eſſe debemus; amiciſſimo animo videlicet, & conſtantiſſima voluntate conjunctos. Ego iis proximis menſibus audivi, impreſſos eſſe tua impenſa, & opera, optimos autores Græcos: quorum in ſacris literis interpretandis egregia doctrina eſt & autoritas, quo nuntio valde ſane lætatus ſum, animumque tuum priſtinum recognovi propenſum ad bene merendum de artibus optimis. Quarum tamen princeps iſta eſt, quæ ad Deum, & ad veram felicitatem eſt directa. Hoc ſi ita ſit, quod ego confido eſſe, fretus tua animi præſtantia & liberalitate, peto a te, ut me certiorem facias, ut, ſive ſit perfectum negotium, ipſis voluminibus & libris, ſive in eo ut perficiatur, ſpe propinqui commodi oblectare poſſim. Nos hic commentarios in Epiſtolam ad Romanos ſcribimus (a): opuſque difficile & arduum ita tractamus, ut in eo præcipue laboremus, quo extare poſſit tibi, quod jam pridem ſumus polliciti; obſcuras ancipiteſque ſententias in ea epiſtola permultas noſtra cura & diligentia dilucidiores fore. Magno in eam rem animo incumbimus; majore etiam labore. Sed neque animus noſter, neque labor, ſine Dei ope quicquam poteſt. Ad eum igitur confugiendum eſt, omniſque verioris ſcientiæ illuminatio ab eo uno poſcenda, ac flagitanda. De cæte-

(a) Vide quæ de hoc opere diximus in notis ad Sadoleti ipſius vitam pag. XXXVI.

cætero, ſat recte nos valemus, tametſi ingraveſcente jam ætate, appropinquantis ſenectutis incommoda incipimus præſentiſcere. Sed illa feremus forti animo. Tua mihi curæ eſt valetudo, quam cupio proſperam atque bonam tibi perpetuo eſſe. Et quanquam dixi paulo ante a neutro noſtrum debere deſiderari mutuum amoris & benevolentiæ teſtimonium, quod illud utrique noſtrum de altero exploratum eſt; tamen ſi quandoque ad me ſcripſeris, deque tua erga me voluntate certiorem me feceris, nunquam non maximam capiam ex tuis literis voluptatem. Hoc ſi tibi erit difficile ipſi, poteris idem per tuos. Omnis enim de te ſignificatio, & de ſtatu tuo atque incolumitate, deque recordatione noſtræ neceſſitudinis, ſemper mihi gratiſſima, atque optatiſſima futura eſt. Vale, & nos dilige. Carpentoracti, VI. Calend. Novembris M. D. XXXI.

EPISTOLA CXL.

JACOPO SADOLETO VESC. DI CARPENTRAS,

A M. Gio. Franceſco Bini.

Primum de nonnullis a Clemente VII. Pont. negotiis ſibi commiſſis agit, cui priorem partem orationis a ſe contra Judæos conſcriptæ mittit; poſtea ejuſdem Pontificis laudes optimamque voluntatem commemorat.

PER più voſtre ricevute da me in diverſe volte, m' havete detto trè coſe da parte di N. S. Ch'io deveſſi pigliare & mandare a Sua Santità information certa del valore & qualità, & importantia di molti di queſte ſue Caſtella. Che Sua Santità voleva, ch'io m' interponeſſi nelle coſe che ſi faranno da queſti ſuoi commiſſarii, perchè io haveſſi riguardo all'honore, & anche al profitto di quella. Et che voleva veder l'oration mia, ch'io già cominciai contra Judæos. Per riſpoſta delle quai coſe, vi dico prima alla prima, che io vi mando ora l'informatione della valuta di quei luoghi, ſecondo ch'ella s' hà potuto havere, & come ſtà ai libri quì della Camera Apoſtolica, perchè altra informatione publicamente della grandezza & numero delle caſe; non m'è paruto di cercare, per non offender gli animi di neſſuno, trovandomi io trà certi obblighi, che difficilmente havrei potuto far queſto, ſenza far pigliar qualche nuova opinion di me da qualch'uno. Però me ne ſon rimaſo, penſando che Sua Santità che è pru-

prudentiſſima, ſaprà molto bene & intender le cagioni, che mi hanno ritenuto, & provedere a queſta coſa, sì come meglio biſogna. Quanto alla ſeconda, che Sua Santità mi commette, ch'io habbia cura all'honor ſuo quì in queſte coſe, che debbon' eſſer trattate da' ſuoi Commiſſarii, in queſto le prometto io largamente ogni opera & ſtudio, perchè per l'amore ardentiſſimo, ch'io porto, & porterò ſempre a Sua Santità; queſto è ſtato il primo & principal propoſito, dopo haver ſatisfatto a Dio, & all'obligho ch'io hò con lui, al ſervitio del quale hò dato & dedicato queſto mio rimanente di vita principalmente. Ma dopo quello, niſſuna coſa è che più mi prema, ne in che io ſpenda più volentier l'opera & i penſier miei, che nella conſervatione dell'honor di Sua Santità. Il che farò adeſſo tanto più prontamente, eſſendomi così comandato da Sua Beatitudine, ne laſcerò anche di penſare all'utile & comodità ſua, quanto però ſi potrà fare, non eſſendo diſgiunta dall'honore, come io ſon ſicuriſſimo ch' è la mente di Sua Santità. Ma delle coſe di queſte commiſſioni, & dello ſtato di queſto paeſe, Sua Santità ſarà pienamente informata da M. Giovanni da Peſcia (a) Commiſſario, il qual vien là per queſto, & le dirà ancor qualche penſier mio, col quale ſpero ſi potrà trarre qualche utile per quella, ſenza ſuo alcuno diſhonore. Dell' Oratione, io non deliberava di mandarla fuori, perchè come ſapete ella era partita in due parti, nè mai feci la ſeconda, perchè queſta allora

(a) Vide Epiſtolam CXXXIII. pag. 418 & ſeqq.

allora ceſsò, & io fui diſviato da altri penſieri; & ancor queſta prima non è mai ſtata sì veduta & aſſettata da me, ch'io l'approvi col mio giudicio (*a*). Ma volendola Sua Santità, qual'ella è glie la mando. Nella quale potrà vedere il teſtimonio, ch'io dò della virtù & ſanta mente ſua. La qual virtù, ſe così la fortuna aveſſe ſecondato con ſucceſſi proſperi, come io ſon certo, che il mio teſtimonio è vero, vedremmo Sua Santità in tal grado d'honore, autorità, & vera grandezza, che & eſſa, & tutti noi ſuoi ſervitori ſaremmo beatiſſimi. Dove ſe ora pareſſe per la malignità della fortuna il mio teſtimonio eſſere in alcuna parte offuſcato & labefattato, diaſi più toſto la colpa ad altri, perchè io per me non poſſo dire altramente, ſe non che ſempre hò viſto & conoſciuto la mente di Sua Santità in tutto deſideroſa & volta al bene. Il qual bene; perchè tutti li ſuoi habbiano parimente deſiderato, ſi ſono eſſi però ingannati in diſcernere il vero dal falſo. Ma di queſto non è più luogo di parlare. Io non manco di pregar Noſtro Signore Iddio in ogni mia oratione, che voglia mantenerci lungamente Sua Santità & darle proſperità. Alla quale umilmente bacerete li piedi per mia parte, ringratiandola infinitamente dell'umanità ſua verſo di me, & pregandola però, che per l'avvenire mi voglia dar manco di queſte impreſe,

che

(a) Eadem ſcripſerat Petro Bembo xi. Cal. Julii 1531. Epiſt. cxxix. pag. 405. Vide etiam quæ de eadem oratione habentur in noſtris adnotationibus ad vitam ipſius Sadoleti pag. xxxvii. & ſeq.

che ſarà poſſibile, perchè non habbia cagion di diſturbare i miei ſtudii: ne' quali io tutto il giorno m'occupo con grandiſſimo deſiderio, & animo, & in coſe di maggior importantia, cioè negli ſtudii delle ſacre lettere, de' quali ſcrivo ancora a Sua Santità. Io comincio a ſentir la vecchiezza, & mi mancano molto le forze & la viſta; & ſe non ch'io m'ajuto col buon governo & forte moderato, io non potrei reſiſtere alle fatiche, & maſſime a quella dello ſtudio, la qual però tanto mi diletta, che mi fà ſtimar niente tutto il reſto. Pregovi M. Bino mio, che vi conſerviate ſano, & mi raccomandiate a quelli miei Signori & amici, & in primis al Revenna (*a*). Di Carpentras. A' III. di Novembre M. D. XXXI.

Il Reverendiſſimo Trivultio (*b*) è paſſato di quà con molto honore fattogli da queſte genti; & egli s'è portato forte bene, & con molta prudentia, & gentilezza; & s'è moſtrato molto affezionato all' honore & al nome di N. S.

(a) Benedicto nimirum Accolto, Florentino, qui trigeſimo ætatis anno a Clemente VII. Cardinalis fuerat renunciatus die III. Maii an. 1527. Obiit Florentiæ die 21. Septembris an. 1549. V. Ciaccon. tom. 3. col. 477. & notas in Ep. xcv. pag. 281. & 282.

(b) Conſule quæ de Trivultio habentur paullo infra pag. 453. in notis ad Epiſt. ſeq. CXLI.

EPI-

EPISTOLA CXLI.

Jac. Sadoletus Episc. Carpentoract.

Auguſtino Trivultio Cardinali (a)
S. P. D.

Se ad Pontificem de ejus tranſitu rebuſque geſtis literas dediſſe narrat, eumque ut ad Pontificem ſcribat, hortatur.

QUanquam tu paulo ante a nobis diſceſſiſti; tamen ne vivam, mi humaniſſime Trivulti, ni jampridem mihi factum eſſe videtur, cum te non vidi neque tecum colloqu-

(a) In hoc natura quid poſſit efficere, videtur experta. Natus enim in ampliſſima Mediolanenſi civitate ſummo genere, ad omnes res aptus conſiliique plenus, opibus, auctoritate, familiaritatibus, ſummorumque Pricipum gratia unus omnium maxime floruit. Namque in Philoſophiæ ac bonarum artium ſtudiis egregie fuit verſatus; ad hæc ingenii acumini, judicii præſtantiæ, eloquentiæ, ac eruditioni, tanta acceſſit commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo poſſet reſiſtere. A Leone X. Cardinalis factus, pluribuſque cum Eccleſiis tum Civitatibus cum imperio præfectus, eas provincias ſancte prudenterque adminiſtravit. Legationibus etiam variis ac præſertim ad Franciſcum Galliæ regem ſumma laude functus eſt. Obiit Romæ pridie Calend. ſeu ut aliis placet XIII. Calend. Aprilis anno MDXLIII. ſepultuſque eſt in æde S. Mariæ de Populo. Scripſit Hiſtoriam Pontificum Romanorum & Cardinalium (quam morte præventus typis mandare non potuit) ſumma quidem fide ac diligen-

locutus ſum. Ita ſum captus tua iſta præſtanti humanitate, ſuaviſſimiſque ſermonibus, qui inter nos tales extiterunt, quales amantium inter ſe, & benevolentium eſſe ſolent, familiaritate dulces, ſimplicitate aperti. In quibus ego & animum tuum erga me perſpexi plenum amiciſſimæ voluntatis, & tu de meo perſuaſiſſimus eſſe potes. Sed etſi tuus nimium celer ſubituſque diſceſſus, non mediocre mihi deſiderium tui reliquit; habui tamen in memoria, quæ tibi proficiſcenti facturum me receperam, dedique ad ſummum Pontificem literas, tuum hac tranſitum illi declarantes, & quantum tu in omnibus ſermonibus conſiliiſque rerum aut geſtarum, aut gerendarum animo & cura mihi excubare viſus eſſes: quo ipſius dignitas, & Sedis Apoſtolicæ autoritas per te ſemper ſalva incolumiſque maneret. In quo debitum tibi tribui apud eum virtutis, & humanitatis, & prudentiæ teſtimonium. Hoc cum a me ita factum ſit, ſcripſerimque præterea non pauca ad hujus ſtatum provinciæ pertinentia; tuæ nunc partes ſunt certiorem eum facere per literas, quid tibi de omnibus hiſce rebus videatur, ut ſi fieri poteſt, tua autoritate ad noſtros ſcribendi rogandique labores accedente, major ab illis habeatur

ligentia, ut Onuphrius Panvinius teſtatum reliquit, qui Trivultii lucubrationibus ac vigiliis ſe præcipue uſum fuiſſe in ea Romanorum Pontificum & Cardinalium parte quæ eſt ab Urbano VI. ad Paulum IV. concinnanda, profitetur. Extant inter Epiſtolas Principum plures Joannis Guidiccionii, Franciſci Guicciardini, ac Joannis Matthæi Giberti ad eum ſcriptæ litteræ. Vide Ciaccon. tom. 3. col. 410.

beatur horum locorum & populorum ratio , quam adhuc quidem habita eſt : & vere ſi cogitare volumus, habenda etiam eſt . Sive enim ſalvæ Italiæ res fuerint , quod opto equidem ut ita ſit , & Deum immortalem ſupplex precor , magnum ſacerdotalis famæ & dignitatis in his regionibus eſt ornamentum : ſive illæ excidio calamitatique propinquæ , quod magis formido horreoque , hic portus fortunis omnium futurus eſt tutiſſimus . Sed ego imprudentia labor , qui hæc te admoneam , cui non minus nota ſunt , quam mihi . Quamobrem de his hactenus . Illud ſilentio non præteribo , quod me meus erga te amor animo & lingua uſurpare ſæpe cogit, me tuum eſſe cum omnibus meis , atque ita tuum , ut qui te ex animo magis diligat , quam ego & diligo , & omni cultu obſervantiaque complector , habeas profecto neminem . Vale , Carpentoracti, VI. Idus Novembr. M, D. XXXI.

EPISTOLA CXLII. (a)

Jacobus Sadoletus

Epiſcopo Conchæ.

Jo. Franc. Binum commendat.

Reverende Domine mihi ſemper obſervande, poſt commendationem debitam. His menſibus præteritis cum tranſiſſet prope hanc civitatem Carpentoractenſem Dominus Alonſus conſanguineus, & Nuncius R. P. Veſtræ, & propter metum peſtis convenire me non potuiſſet, dedit ad me litteras, & ſuas, & V. R. D. quibus ſignificabantur mihi moleſtiæ, quas ipſa in Urbe ſuſtinebat: quæ mihi magnum dolorem attulerunt, propter ſingularem obſervantiam, & amorem, quo proſequor Reverendiſs. D. V. & quia ipſius ſummas virtutes cognoſcens, certus ſum, illa omnia ab iniquis animis procedere. Scripſi igitur efficaciſſime ad aliquot ſummos viros, habentes potentiam & auctoritatem, & mihi amiciſſimos, atque etiam ad ipſum ſummum Pontificem, dans illuſtre teſtimonium de D. V. & multis precibus utens, ut has calumnias tanquam veram integritatem maculantes, vellet coercere. Quæ litteræ, cum ad manus dicti D. Alonſi pervenerint, adhuc ab eo, ut intellexi, non ſunt redditæ, neque ille illis uſus eſt; quod ſi fecit, quia non fuit neceſ-

(a) Extat Miſcellan. tom. I. pag. 572.

neceſſe, multum gaudeo, rem & honorem V. Rev. D. in tuto eſſe; ſi autem non reddidit, quia parum utiles fore exiſtimavit, ego e contrario puto nihil fuiſſe nocituras: ſed dummodo V. R. D. ſciat, me, quicquid ſum & quantulum valeo, totum eſſe ipſius voluntati, & commodo ſemper addictum; de reliquo, opera mea utatur quantum ei placuerit; ego enim promitto, me neque amore, neque ſtudio animi, neque diligentia unquam illi defuturum; nec unquam ex meo animo excidet memoria illius paternæ benenevolentiæ, quam ipſa mihi, dum fuit Romæ, oſtendit. Ceterum, eſt quod rogem D. veſtram, & pro amico meo, & pro juſtitia. Alias enim cum vacaſſet beneficium De la Fuente Petro Nabarro, & id mihi in Curia Romana fuiſſet delatum, dedi Domino Joanni Franciſco Bino doctiſſimo, & probatiſſimo homini (*a*), qui me tunc in illo Secretariatus officio plurimum adjuvabat; illeque id poſtea reſignavit in favorem cujuſdam Hiſpani, viri optimi, & Sacerdotis, reſervato ſibi regreſſu, & penſione, quarum reſervationum litteræ extant Apoſtolicæ. Poſt vero, illo cui reſignatum fuerat mortuo, convenit iterum cum alio, juſque ſuum illi tradidit, qui quominus poſſeſſionem conſequatur, allegat ſe a quodam impediri, cui per V.Rev.D. illud Beneficium fuit collatum. Quod ſi ita eſt, precor Rev.D.V. ut meo intuitu, qui pro homine in omni virtute egregio, & quem ego fraterno amore diligo, multum laborem, velit ipſa efficere, ut tam ipſe meus

(a) Vide quæ de Bino diximus ſuperius in notis ad Epiſtolam LXVI. pag. 177.

Jo. Franciſcus Binus, quam ille, cui per eum id Beneficium denuo reſignatum eſt, ſuis juſtis, & debitis commodis, fructibuſque utantur, nullumque illis impedimentum a quopiam inferatur. Nam, præterquamquod hoc æquum eſt, & convenit, præſertim P.V.Rev. quæ & doctiſſima eſt & prudentiſſima, ut ſuum cuique reddatur, legeſque, & jura, quibus utitur Chriſtianitas, & quibus vivimus, conſerventur; tum vero propter amorem mei, qui hoc enixe, & inſtanter poſtulo, & propter ipſius Domini Bini magnas virtutes, cujus ſimilibus V.Rev.D. ſemper fautrix fuit: ſpero, illam hoc etiam benigne, libenter, prompteque facturam; in quo me ſibi quamvis obligatiſſimum, ſemper tamen magis obligabit. Quod ſi dubium aliquid ſit, ego ad ipſum D.Binum ſcribo, ut V.Rev.P. de omnibus per literas ſuas doceat: quem, & ipſum, & cauſam ejus totam, ut ipſam in protectionem ſuam accipiat, magnopere oro; atque eum, ſi videbitur, V.Rev.D. in ſuis rebus, & negociis adhibeat: eſt enim familiaris ſummo Pontifici, & valde ei charus ac dilectus. Ego hic in ſtudiis, & litteris aſſiduus ſum, recteque per Dei gratiam valeo, & V.R.P. ſemper optime valere, & felicem eſſe opto, me cum omni amore, & reverentia plurimum illi commendans. Carpentoracti XXVIII. Decembris M. D. XXXI.

Obedientiſſimus filius & humilis cliens
Jac. Sadoletus Epiſc. Carpent. (a)

APPEN-

(a) Extat autem in fronte hujus Epiſtolæ hæc poſita inſcriptio: *Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, & Patri mihi obſervandiſſimo, Domino Epiſcopo Conchæ.*

APPENDIX.

ANNO M. D. XIX.

EPISTOLA CXLIII. (a)

GUILIELMUS BUDÆUS

Jac. Sadoleto Epiſc. S. *Romam*.

Pro officiis in Longolium collatis ei gratias agit, ejuſque amicitiæ cupidum ſeſe oſtendit.

QUAM probe & commode naturà conſtitutum eſt, ut quæ res omnium maxime rerum paucis amplexabilem ſeſe retinendamque indulget, eadem res ipſa (quam virtutem vocamus) nulli non viſendam fere ſeipſam plauſibilemque præbeat. Id adeo reipſa cognoſcere nuper in laudum tuarum enarratione licuit. Chriſtophorus Longolius (b) homo jam tibi notus & auctoratus, claris hinc propinquitatibus fultus & neceſſitudinibus ornatus, cum eleganter & laute vitam heic agere poſſet, Urbem patriæ, voſque cognatis prætulit, nimirum Romana humanitate & ſplendore Urbano invinatus & captus.

 Quin

(a) Has & ſequentes Budæi ad Sadoletum litteras, deſcripſimus ex ipſius Budæi Epiſtolarum libro Pariſiis edito ſub prælo Aſcenſiano anno M. D. XX. decimo tertio Calend. Septembris, in *quarto*. Ideo autem extra ordinem poſitæ ſunt, quia ſero in manus noſtras inciderunt.

(b) Vide quæ de Longolio diximus in notis ad Epiſtolam XVIII. pag. 56.

Quin & comitate & beneficentia veſtra ita ſe lactatum eſſe præſeferebat, ut in mores etiam inſtitutaque veſtra degeneraſſe, animoque ſemel a nobis demigraſſe videatur. Verum is inter adventitios (ut aſſolet) feſtivoſque amplexus de ingeniis moribuſque præſentibus Italiæ quid cenſeret interrogatus, quum in ſermonem pleniorem ab iis perductus eſſet, qui rerum humanarum callentes ſunt, & gnari rerum Italicarum, ecquidquam æqui & boni ab externis tuliſſet, ſcite quidem multa eo pertinentia & expedite commemorabat, ut ſermo de unoquoque homine, & quaque re natus erat. Modicus autem alioquin in univerſum, atque in utranque partem in elogiis edendis, in Sadoleto Bemboque commendandis (*a*), tam multus erat & incitatus, ut admirationem veſtri & amorem in nobis vehementer incitarit, & inflammarit ipſe me adeo, ut eo infelicem eſſe putem, qui familiares quoque vos & notos de facie non habeam, aut alia quadam ratione mihi junctos familiaris uſus ſuccidanea. Q totus enim quiſque eſt hominum quidem humanitatis non expertium, qui æquitatem illam veſtram virtutis peregrinæ propugnatricem, deſtitutæ ac deprehenſæ innocentiæ patronam, non amet, non oſculetur, non

am-

(a) Hinc ad Bembum ſcribens idem Budæus XVII. Calend. Septembris; „ Chriſtophorus Longolius (inquit) „ juvenis noſtri ordinis .... quum recens iſtinc rediiſſet ..... Sadoletum & Bembum, Bembum & Sadoletum alternis prope verbis in ore habere, ac commendare ſolebat, non a doctrina modo literarumque „ ſplendore per cunctam Italiam illuſtri, ſed etiam a „ probitate morum in omnes benefica. „

amplexetur? Ego certe natura cum ſim oculis ſubhebetibus, ad longiſſimum proſpectum, veſtrum illud abſolutæ humanitatis ſpecimen, haud obſcure, ut audio editum, ſuſpicio heic ac demiror; ut quidem ille mihi perſuaſit ab omnibus ſuſpiciendum, qui hominem unum incolam, vel etiam peregrino propiorem, nullis opibus fidentem, nullis neceſſitudinum adminiculis ſubnixum, nulla niſi doctrinæ commendatione gratioſum, decuriatis calumniatoribus, conſcriptis delatoribus, ſummiſtis convicíatoribus circumventum, affectum, perterritum (a), auctoritate, ſuffragatione, patrocinio denique veſtro ſublevaſtis, erexiſtis, confirmaſtis, ſartumque & tectum, ut ajunt, ab omni contumelia, ignominia, diſpendio perſtitiſtis, beneficio haud dubie ad nomen univerſum Galliæ pertinente; porroque etiam ſpectante ad cunctum ordinem literatorum. Sane quidem quod ad me attinet, cauſam haud dicturus ſum, ſi quum res ita tulerit, quin hujus operæ partem egregie a te navatæ atque impenſæ Longolio, expenſam nobis ferre poſſis, ſi velis, qui numerum inter ſtudioſiſſimos ipſos literarum augemus. Tametſi non neſcius ſum majorem eſſe doctrinæ opinionem, altiuſque faſtigium iſtud tuum, meumque contra inferius ac ſubmiſſius, quod ut eo tibi unquam deſcendere aut commodum aut libitum eſſe poſſit, aut mihi eo me attollere promptum & conducibile, unas tu mecum ex æquo & ego tecum officiorum vices uſurpemus mu-

(1) Vide quæ hac de re habentur in Epiſt. XVIII. Longolii ad Sadoletum pag. 60. & 61.

ANNO M. D. XXVII.

LXV. Idem Joan. Matthæo Giberto. XVI. *Cal. Junias.* *Pag.* 170
LXVI. Idem Lazaro Bonamico. XVI. *Cal. Junias.* 174
LXVII. Idem a M. Gio.Franc. Bini. *A* XVIII. *di Giugno.* 177
LXVIII. Idem Herculi Gonzagæ. XIIII. *Cal. Junii.* 183
† LXIX. Idem Langeo. 186
† LXX. Hieronymus Niger Jacobo Sadoleto. IV. *Idus Julii.* 189
LXXI. Jacobus Sadoletus Hieronymo Nigro. III. *Idus Septembris.* 192
† LXXII. Hieronymus Niger Jacobo Sadoleto. 198
LXXIII. Jacobus Sadoletus Joan. Franc. Ripæ. XVI. *Cal. Octobris.* 201
LXXIV. Idem N. Senatus Tholoſani Præſidi. VI. *Cal. Novembris.* 203
LXXV. Idem Petro Bembo. III. *Non. Novembris.* 207
† LXXVI. Petrus Bembus Jacobo Sadoleto. XIX. *Cal. Januar.* 210
LXXVII. Jacobus Sadoletus Bonifacio Amerbachio. XI. *Cal. Decemb.* 215

ANNO M. D. XXVIII.

LXXVIII. Idem Joan. Salviato Cardinali. III. *Non. Febr.* 217
† LXXIX. Idem Sigiſmundo Regi Poloniæ. IV. *Nonas Martii.* 221
LXXX. Idem Joan. Salviato Cardinali. III. *Non. Maii.* 223
LXXXI. Idem Petro Bembo. *Prid. Idus Majas.* 226

LXXXII.

† XXV. Idem eidem. *Idib. Decembris. Pag.* 87

ANNO M. D. XXII.

† XXVI. Idem eidem. *Calend. Junii.* 89

XXVII. Jacobus Sadoletus Chriſtophoro Longolio. VI. *Nonas Julias* 90

† XXVIII. Idem N. N. IV. *Nonas Julii.* 92

ANNO M. D. XXIII.

† XXIX. Idem Card. Ægidio. *Idib. Junii.* 95

ANNO M. D. XXIV.

† XXX. Pietro Bembo a M. Jacopo Sadoleto. *A' 15. di Febr.* 100

† XXXI. Jac. Sadoletus Hippolyto. IIII. *Kalend. Septembr.* 101

† XXXII. Idem A. M. Raffael Hieronimi. *alli 4. di Ottobre.* 104

† XXXIII. Jacobo Sadoleto Gregorius Corteſius. 112

† XXXIV. Jacobus Sadoletus Gregorio Corteſio. 114

† XXXV. Jacobo Sadoleto Gregorius Corteſius. 115

XXXVI. Jacobus Sadoletus Eraſmo Roterodamo. VIII. *Id. Novembr.* 117

ANNO M. D. XXV.

† XXXVII. Def. Eraſmus Roterodamus Jacobo Sadoleto. v. *Cal. Martias.* 119

† XXXVIII. Jacobus Sadoletus Ferdinando Auſtriæ Archid. *die* XVII. *Januarii.* 123

† XXXIX. Idem eidem. v. *Cal. Novembr.* 125

† XL. Idem Sereniſ. Archiducis Secretario. XVI. *Kal. Febr.* 127

le, Pariſiis ſexto decimo Calendas Septembris (*a*).

ANNO M. D. XX.

EPISTOLA CXLIV.

GULIELMUS BUDÆUS

Jacobo Sadoleto S. P. D. *Romam.*

Sadoleti Epiſtolæ, quæ eſt ordine decima quinta officioſe reſpondet; deque Chriſtophoro Longolio multis agit.

ITA me affecit epiſtolæ tuæ lectio, Antiſtes graviſſime, quam ad decimum Calendas Martias accepi, ſtatuere vix ut poſſim, ſuavitate ne majore perfuſus, an admiratione fuerim; ſuavitate in curſu orationis puræ, emendatæ, nitentis, ac diſertæ; admiratione ob eximiam probitatem animique candorem, comitate ipſa quidem gravi condita & jucunda; cum interim animadverterem excellentiſſima iſta dignationis tuæ perſonæque ornamenta, ſua quadam decoraque urbanitate locupletata eſſe & expolita, quam honeſtiſſimæ inſtitutionis ingenuæque educationis alumnam eſſe facile

„ quit) Epiſtolam unam vidi a Sadoleto ſubſcriptam, „ in qua ſtilum admiratus ſum ad decorum attemperatum gravitatis ac dignationis Pontificiæ, purum atque latinum.„

(a) His literis reſcripſit Sadoletus VI. r. Idus Decembris Epiſtola quæ eſt ordine XV. legiturque pag. 49.

cile eſt judicare: facereque non potui, quin Longolii (a) olim noſtri, nunc veſtri conſilium ipſe tandem probarem, quod is coram mihi probare non potuit, nuncque demum animum ejus intelligo, nexum ita fuiſſe atque obſtrictum uſu & admiratione humanitatis veſtræ (tua ſcilicet atque collegæ tui Petri Bembi, qui te unus, ut arbitror, iiſdem virtutibus æquat) adduci ut nequiverit nec propinquorum nec amicorum precibus, nedum noſtris monitis, aut paucorum auctoritate, qui de eo mereri præclare cupiebant, quominus vadimonium id obiret, quo benignitas Pontificia eum vadata erat. Me vero cum eo miſerum eſſe cenſeam, qui exiliore ipſe quidem animi dote præditus, amore flagrans non minus, ad literarum bonarum ſtudium me contuliſſem omnibus fortunis, quo ipſo animus utique humanus tanquam conjugio quodam Philologia jungitur; inſuper nec in tantam tamque pronam facilitatem inciderim, peragendi curriculi ſtudiorum, nec in homines incurrerim, qui ardenteis mihi ſpiritus olerent, aut opitulatione, aut cohortatione. Sumque eorum, ut video, ſimilis; quibuſcum ipſis ſtipendia jam multa peracta ac prope emerita ſunt, rei militaris diſciplinam videre ſubmiſſionis tempus contigit conſtitutam, commode & indulgenter. Tametſi inter exauctorandos ipſe nunc potius, quam inter veteranos cenſear, aut miſſionem flagitanteis: valetudine utique cauſarius, & curis œconomicis,

(a) De Chriſtophoro Longolio egimus ſuperius in notis ad Epiſt. XVIII. pag. 56.

cis, non etiam animi languore atque remiſſione. At Longolius felix, cui omnia contigere procliviora, apparatiora, inſtructiora, cum eo ut animi quoque alacritatem naturæ benignitate ſubnixiorem, vegetaret convictum hominum hujus inſtituti principum; mihi adeo, ut non tam tædium laboris ille ſentire, quam plauſus ſpem & palmæ fovere videatur. Id quod a me animadverſum & perpenſum, efficit, ut altius opinione noſtra conſilium ejus fuiſſe in poſterum defenſurus ſim adverſus eorum pervicacem opinionem, qui cum multa ipſi cauſa ejus amplaque & vellent & cuperent, æque tulerunt hominis faſtidium (ſic enim interpretantur) domeſticis ac patriis neceſſitudinibus externas peregreque contractas amicitias anteponentis. In cujus hominis ornamentis ſi facti benignitas ea perferat, quæ frons, & auſpicatus efflorefcentis ipſius opinionis præfert, nimirum veſtra amborum in eo elucefceret exiſtimatio & claritas integritatis, probitate illa quidem, humanitate, comitate, fide, omnibuſque virtutibus elegantioris vitæ apta atque conſerta: quibus incrementorum iſtic ſuorum patrocinium ac præſidium acceptum ſe referre ipſe teſtificari ſolet. Atqui ſi quiſquam eſt hominum doctrina præſtantium atque auctoritate, cui obſtrictum maxime fateri ſe & profiteri, animi generoſi quempiam pudere non debeat, profecto tu is mihi eſſe videre e longinquo æſtimanti, aut tui ſimilis alter eodem luto factus, beneficii non exprobrator, cujuſmodi te eſſe ex literis tuis agnoſco. Cum etiam in Collega ac Theſeo, ut ita dicam, tuo, eadem lineamenta oris probi, animique peringenui, honeſtatis

amori

amori ſuffuſi, imaginer ipſe mecum: cujus ſpectrum in literis tuis aſſervo; quem ideo dignum eſſe cenſeo, qui in eundem tecum aut parem gradum laudis adoptetur. Tu velim exiſtimes animo me quam gratiſſimo accepiſſe benevolentiam tuam, quam mihi expetenti haud gravate deſpondiſti pronuba epiſtola æmula priſcæ doctrinæ. Cui ſi parem hanc ciſalpinam ac jejunam noſtram facultatem dicendi, nec perinde ductilem orationem eſſe poſſe ſperaſſem, conarer ipſe quoque hujus amicorum conjunctionis ac fœderis formulam concipere in æquum & decorum modum amicitiæ ſtudioſæ ac philoſophiæ cupidis congruentis, quæ nos ipſa tanto interſtitio ſortis locorumque diremptos, haud ſecus ac cives ejuſdemque ordinis homines conſociare poſſet. Vale, vir amantiſſime. E Marliano vico noſtro ad quartumdecimum ab urbe noſtra lapidem, ſexto Calendas Martias anno M. D. undeviceſimo, aut etiam viceſimo more veſtro, (*a*).

(a) *Non veſtro* (ſubdit Budæus in Epiſt. ad Bembum eadem die ſcribens an. 1519.) *qui annos auſpicamur a natali Reſurrectionis nobis oraculis promiſſa*.

Finis Primæ Partis.

AD-

ADDENDA ET CORRIGENDA

In volumine Epiſtolarum Pontificiarum.

IN notis ad Sadoleti vitam præfixam Pontificiis ejuſdem Epiſtolis pag. VI. lin. 2. *ab anno* 1472. lege *ab an.* 1492. & *pag.* CIII. *lin.* 15. *In ſedenti ænea Tabula*, lege *in ſequenti ænea Tabula*.

Teſtimoniis claror. virorum de Sadoleto, iiſdem Epiſtolis Pontificiis præpoſitis, adde quæ Budæus de ipſo ad Bembum ſcripſit, cujus quidem teſtimonii partem protulimus in notis ad Epiſt. CXLIII. Famil. *pag.* 461.

In iiſdem *pag.* CXXIII. *lin.* 28. *haberet aculeos*, lege *habetet aculeos*: & *pag.* CXXXI. in not. lin. penult. *Petro vero*, lege *Petrum vero*.

In vita Antonii Florebelli *pag.* 5. *lin.* 20. *Paulus Sadoletus Jacobi Card. fratris filius*, lege *fratris patruelis filius*. Idib. pag. 7. lin. 18. *& Franciſco Victorio*, lege *& Petro Victorio*. Idib. pag. 13. in not. lin. 3. AN. M. D. XL. *lege* M. DC. XL.

Si quæ forte in hac prima Familiarium Epiſtolarum parte addenda & corrigenda erunt, ea ad calcem ſecundæ earumdem Epiſtolarum partis deſcripta invenies.

MAG 2003199

Digitized by Google